INSTITUTIONUM POLITICARUM

LIBRI DUO,

Conſcripti

à

MARCO ZVERIO BOXHORNIO

Acceſſit

Explanatio ab eodem auctore profecta, nunc ab interitu vindicata.

EDITIO SECUNDA, cui acceſſit Index rerum.

BIBLIOTECA NAZIONALE
V. EMANUELE III NA

Cum Gratiâ & Privilegio Sereniſſ. Elect. Sax.

LIPSIÆ,

Typis & Sumtibus JOHANNIS WITTIGAU,

ANNO M. DC. LXV.

Digitized by Google

Google

CICERO

L. V. de Fin. ſect. 16.

UT MEDICINA VALETUDINIS, NAVIGATIONIS GUBERNATIO, SIC VIVENDI ARS EST PRUDENTIA.

PERILLUSTRIBUS ET
DOM

DOMINO
HEINRICO
LIBERO BARONI
à Frieſen/

DYNASTÆ IN Schönfeld/ Putz-
kau/ Jeſſen & Grauppa/ SERENISSI-
MI AC POTENTISSIMI ELECTO-
RIS SAXONIÆ INTIMI CONSI-
LII DIRECTORI, COMITIQVE
SPLENDIDISSIMO,

DOMINIS MEIS

Digitized by Google

GENEROSISSIMIS
INIS

DOMINO

CAROLO

LIBERO BARONI
à Frieſen/

DYNASTÆ IN Röthau/Cotta/& Geſchwitz SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ CONSILIARIO INTIMO, COMITI, SENATUSQVE ECCLESIASTICI PRÆSIDI EMINENTISSIMO,

GRATIOSISSIMIS.

NON QVOD BENE-
FICIIS,
QVEIS ME JAM DIU OBSTRI-
CTUM AGNOSCO,
MAXIMIS
VICEM EXSOLVERE ALI-
QVAM POSSE SPE-
REM,
SED UT
PIETATI ET GRATITUDINI,
QUA LICET,
SATISFACIAM

QVICQVID HEIC EST
LABORIS ET INDUSTRIÆ
MEÆ
DICO ATQVE CON-
SECRO
INCLYTO

FRISIORUM

NOMINI
ÆTERNUM ADDICTUS
CHRISTIAN-
FRIDERICUS
Franckenſtein.

Digitized by Google

Benevolo Lectori Salutem

VIr longè Clariſſimus MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS præfat. hiſtor. Univerſal. *malum illorum morem accuſat, qui, inconſulto ſe ac invito, rudimenta illa qualiscunque curæ ſuæ, quæ cupidæ hiſtoriarum juventuti ante annos aliquot tradiderat, in lucem dare parabant, niſi ipſe manum operi admoveret. Hæc & ad illos pertinere accuſatio videri poteſt, qui olim Politicas ipſius inſtitutiones vulgaverunt, & ad me, qui jam earundem explanationem, (quam ante hos XVII. annos in vicinâ Academiâ agens à Nobiliſſimo juve-*

juvene, recens ex Belgio reduce, nactus eram) *ſubjunxi. Sed mihi eadem illa parata, opinor, excuſatio eſt, quæ auctori, rudimenta hiſtoriæ univerſal. publicanti. Facturi erant alii, quod ego impræſentiarum hortatu non unius ſuſcepi, nullâ in Nobiliſſimum virum injuriâ, quem fati neceſſitas rebus humanis præmaturè exemit. Acceſſit benevolentia juvenis à genere pariter & ingenio commendandi* Johann-Friderici Hanwakeri Meinungâ-Franci, *qui exemplar ſuum nitidâ & eleganti manu deſcriptum hunc in uſum obtulit.*

Unum monere velim, idque meo judicio admodum neceſſarium, eſſe quædam in autore, quæ monarcho-machorum hæreſin, *ut ita loquar*, non occultè ſapiant. *Scilicet in republicâ, quæ legitimi ſui Prin-*

cipis obſequium exuerat, (jure ne an injuriâ, diſputare nec hujus loci, nec fortaſſe mei muneris eſt) natus atq; educatus, & publico conductus ſtipendio ſentire forſan aliter poterat, ſcribere aliter vix poterat. Sed erit fortaſſe, ſi reſpicientem habuero & magis propitiam Vacunam, cum notis quibusdam adjectis, aut adductis uberioribus exemplis vel ſignabo dubia, vel illuſtrabo obſcura, (ut jamdum paucis quibusdam locis factum eſt;) niſi quis alius hoc facere praeoccupaverit, quod me non invito futurum eſt. Benè Vale. Scrip. Lipſ. finiente anno æra vulgaris M. DC. LIIX.

Chriſtian Fridericus
Franckenſtein.

MARCI ZUERII BOXHORNII INSTITUTIONUM POLITICARUM LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Politica, ejusq; Scientia & Uſu.

§. 1.

POLITICA, Scientia eſt, quæ conſtituendæ, conſervandæ, augendæque Reipublicæ curam ac rationem tradit.

§. 2. Quæ quidem dupliciter nobis venit conſideranda, & quatenus ab uſu ſeparata eſt, & quatenus ad eum refertur.

§. 3. Uſus & ſcientia inter ſe ut plurimum diverſa & diſtincta ſunt, ita tamen cognata, ut, quin hæc ad alterius

 præ-

præſidium plurimùm conferat, dubitari non poſſit, adeò ut ſcientia ab uſu divellenda non ſit, & illa huic optimo conſilio præmittatur.

§. 4. Scientiæ fundamenta ſunt ratio æqui & boni, & res Imperiorum generatim conſideratæ.

§. 5. Uſus fundamenta ſunt, Prudentia, & res Imperiorum ſingulares.

§. 6. Scientia facit, ne in rationem, cujus perpetuus in Rep. uſus eſt; Uſus, ne in hanc, aut iſtam Rempublicam, & hæc aut iſta ejus negotia peccemus.

§. 7. Scientia denique, quamvis Rempublicam, & ejus bonum; Uſus Reſpublicas ſingulas, & ſingula alia, ac propria earum commoda, pro hominum, rerum, ac temporum varietate, conſiderat.

EXPLANATIO.

NObilis hæc ſcientia Politices perpetua eſt, quia perpetuam Reipubl. conſervandæ curam atque artem tradit.

Perpetua eſt, quanquam rebus propoſita diverſiſſimis & ea ſit, cujus principia ſunt diverſiſſima.

Scien-

Scientia hæc ita eſt uſui juncta, ut vana ſit ſine illo, & uſus vanus ſine ſcientia.

Differunt nihilominus eadem. Nam ſcientia ex ratione & exemplis conſtat. Uſus verò quando & quomodo, & cui ea ſint *applicanda*, *docet*.

Uſus autem ita ſe habere in Republ. debet, prout ſe habent ingenia eorum, in quos imperia exercentur. Quod quàm ſit difficile, vel ipſa oſtendit *ingeniorum diverſitas*. Unde fit, ut ſæpè malis ingeniis optimæ ſcientiæ regulæ peſſimæ videantur, & optimæ virtutes fugienda maximè vitia.

Habet hujus rei exemplum Tacitus *lib. 2. Annal. cap. 2. §. 6.* ubi de Vonone Parthorum Rege ait: *Prompti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia; & quia ipſorum majoribus aliena, perinde odium pravis & honeſtis.* Apparet ergò ex hâc diverſitate, non eſſe certa omninò præcepta uſus. Et ſæpè generalia Præcepta ſcientiæ in particularibus falſa exiſtunt. Scientia v. g. ſemper æquum præſcribit, uſus quoque affectat, ſed ſæpè æqui regulas ſervare non poteſt, vel ingeniis, vel temporibus, vel locis non concedentibus. Verè itaque dixit Tacitus *lib. 14. Annal. cap. 44. § 7.* Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publicâ rependitur. Atque ex his impedimentis illud profluxit, quod tot di-

verſæ imperandi rationes, tot diverſæ leges enatæ fuerint. Ita apud Orientales populos Principes ferè legum vinculo liberi, quod innatus dictat genius, pro libitu, pro imperio cuncta faciunt, prout ipſos vel voluptatis illecebræ rapiunt, vel rationis impetus ducit: Scilicet ſervilia illa ingenia jugo aſſueta tyrannidem faciliùs etiam quàm liberioris animi fructus ferunt. Aliter agitur apud Septentrionales, qui amantes libertatis legibus Reges ſuos aſtrinxerunt, & omne illis imperium animorum, imò & corporum quidam abſtulerunt. Libera nempe & gravia gentis ingenia modum regnantium vitiis impoſuêre.

Ex hac quoque ingeniorum & circumſtantiarum diverſitate illud eſt, quòd una eademque res ſæpè alio atque alio nomine, prout uſurpata fuit, nominetur. E. g. Inquiſitioni Hiſpanicæ quidam Tyrannidem, quidam prudentiam ineſſe exiſtimant, & utrumque verum. Nam quia eâ uſi Hiſpani in Belgarum gente, in libertate & ad libertatem natâ, meritò Tyrannidem dixerunt.

At prudentiæ uſus apparuit in regno Neapolitano expugnando atque retinendo: Quod conſtitui non potuiſſet, niſi inquiſitio fuiſſet adhibita. (*Eſt ea quidem primùm adverſus Mauros & Judæos introducta in Caſtellæ regno, an. Chr. 1478. cum multi ex iis ſe Chriſtia-*

nos

nos ſimularent, verùm à Papâ Paulo IV. titulo ſanctiſſimi officii adverſus Chriſtianos à Pontificiâ Eccleſiâ diſſentientes adhibita. Vid. Calviſ. in ann. 1478. & 1559.) Atque hinc videre eſt, quàm peccatum ſit ab Hiſpanis, quòd non conſideratâ gentium diverſitate, uno eodemque modo cum Belgis atque Italis egerint. Nam quemadmodum aliter in Italia, aliter in Septentrione morbi curantur & corpora malè affecta; Sic adæquè ad Reipubl. membrorum medelam, quorum animi ſæpè corporis vitio laborant, oportet ſemper ad ingenia & mores incolarum attendere. Ex hâc porrò diverſitate ingeniorum, diverſæ quoque Leges municipales ortæ, ita in Italia contractus non valent, niſi omnia ſolemnia fuerint adhibita, ob gentis nimirum indolem, quæ non faciliùs contrahit, quàm fallit, teſtibus corruptis & repudiatis. Aliter in Belgio, ubi etiam inter pocula contractus initi valent, & cautum eſt, ne contractus illi valerent, vel eorum poſtularetur executio ſequentis diei matutino tempore elapſo. Apparet itaque, quanta difficultas ſit in uſu ingeniis rectè accommodando, ut non immeritò dixerit Seneca: *Nullum animal difficiliùs rectorem ferre, quàm quod omnia domat.* Quod optimè Respub. Romana animadvertit, hinc regiones ſubjugatæ quantò ſublimiores erant, tantò magis

legibus aſtringebantur, cum cœteris liberiùs actum; adeò ut quasdam gentes timere ſe effecerit propter ingeniorum illorum ferociam, quasdam obſervare anthoritatem populi Romani docuerit, quod mitioribus eſſent ingeniis.

Diximus etiam in textu, ſcientiam & uſum longè eſſe res diverſas, ita quod in ſcientia bonum eſt, in uſu malum eſſe poteſt; imò quod in uſu alibi bonum eſt, alibi malum eſſe poteſt. Nec omne bonum in omni Republica bonum eſt, & quod ab unâ colitur, ab alterâ rejicitur & condemnatur. Ita Typographia apud nos approbatur, à Turcis nullo pacto admittitur, nec ſine ingenti Reipubl. incommodo admitti poteſt, cùm infinitæ hominum in illa ſint myriades deſtinatæ libris deſcribendis, atque eo pacto vitæ alimenta promerentes, quæ introductâ excuſoriâ arte, aut fame perirent, aut in turpem mitterentur mendicitatem; (*Reddit rationem aliam* Busbeq. epiſt. 3. de leg. Turc. p. 213. edit. Lugd. Bat. 1633.) Et fortè ad hoc evitandum, commota reſp. Romana eſt, cum quidam vitri ductilis faciendi rationèm inveniſſet, quod & alliſum terræ non rumpebatur, & componi ac minore ſpatio concludi, iterumque explicari poterat. Quippe motus in urbe gravisſimus excitatus, quod vitriariorum officinæ præripi ſibi quæſtum conquererentur, nec antè ſedatus

fuit

fuit, quàm deletâ ductilis vitri officina. (*Forſean hæc vera cauſa fuit, cur Tiberius vitri ducendi artificem intercmerit, & nequaquam invidia, ut vult* Dio. l. 57. non longè à fine.) Et domeſtica nobis ſunt hâc in re exempla. In hâc urbe (*Lugd. Batavorum*) ante hos viginti circiter annos inſtrumentum quidam invenerunt textorium, quo ſolus quis plus panni & faciliùs conficere poterat, quàm plures æquali tempore. Hinc turbæ ortæ & querelæ textorum, tandemque uſus hujus inſtrumenti à magiſtratu prohibitus eſt. *

Diverſitas præterea uſus eminentisſima & evidentisſima ex diverſis in eandem rem allatis ſententiis apparet. Mirum enim eſt, quod altera bona, altera mala videantur, quæ ex utraque tamen parte recta juſtaque ratio videatur ſuadere. Sic ubi gravisſimus urbis Senatus conſultaret, an Carthago æmula Reipubl. Romanæ exſcindenda eſſet, exſcindendam eſſe ſtatuebant alii, quod periculum patriæ immineret, potentem eam Rempubl. quæ factis famaque illuſtris, reparatis viribus, apto tempore facilè ad ſe imperium transferret, prætendebant. Alii non exſcindendam ſuadebant, ut ex eâ Romanæ juventi relinqueretur metus, ne vitiis mollibus debilitaretur, & per otium torpeſceret. Utriusque partis recta maximique momenti videntur argu-

menta (*Nec minus magni auctores. Quippe illam Cato, hanc defendebat Scipio Naſica Vid.* Plin. l. 15. N. H. cap 18. *Conf.* Freinsh. ſuppl. in Liv. l. 49.) illa tamen ſententia prævaluit, quæ exſcindendam probavit, quia majoris uſus, quàm alia erat. Nam ſecuritati potius, quàm moribus proſpiciendum erat, & juventuti aliter proſpectum eſſe potuit, bello aliò translato.

Ita ex ſcientiæ Politices præcepto rationes omnes examinentur, ex uſus verò præcepto maximè profuturæ admittantur. Atque ex hac uſus præſcriptione & illud eſt, quod ſæpè utile ſit, tolerare malum in Repub. quod probè obſervatum à Tiberio, (*Tacit. Annal. 3. c. 52* § 4. *& c. 58. §. 2.*) Nam quum de legibus ſumptuariis jam contemtis revocandis ageretur, non revocandas cenſuit. Sciebat enim, indecorum attrectare, quod non obtinetur, & labi principis authoritatem, qui aggreditur tollere vitia, quæ majora jam ſuis remediis exiſtunt: Quin & creſcere tantò magis ſolent vitia, ubi imparem ſibi Reipub. authoritatem, quæ coërceat, ſentiunt.

Ex hoc etiam *uſus* præcepto illud eſt, quod bonum ſæpè ſit, bonis exemplis non uti in Republ. Cujus rei exemplum habemus apud Tacitum 1 *Annal. 3. cap. 73.* §. 2. Tacfarinas tunc pacem conceſſione agrorum redimi voluit, Tiberius tamen id ei minimè con-

ceſ-

ceſſit, & reſpondit, *Rempublicam Romanam in tantum faſtigium eſſe evectam, ut nihil ipſi ad orbis Imperium deeſſe videatur, neq; id futurum* ex dignitate populi Romani, ſi redimere bella cum damno ſuo velit. (*Et poterant tamen adduci prioris (& ſubſequentis) ævi exempla, ubi tale quid cum fructu factum.*) Atque ita ſæpè generalia præcepta in Republ. mutari debent. E. gr. Generale illud dictum eſt: *Ante factum conſulto opus eſt*; At ubi conſulueris, maturè facto: At ex uſu Reip. longè aliud viſum Britannis fuit, qui, juxta *Tacitum in vit. Agric. c.* 15. §. 10. dicunt, ubi ſe mutuò ad defectionem cohortantur, *periculoſius eſſe deliberare, quam audere:* Quia metuebant, ne occaſio belli gerendi ipſis elaberetur. Ita quoque unum ejusdemque rei exemplum ſæpiùs probatum & improbatum. Sic de Britannia invadenda diſſentiebant Cæſarum ſententiæ. Auguſtus non tangendam eam putavit, nóndum firmatâ domi poteſtate; itemque Tiberius, quia infirma adhuc tum Principis Majeſtas erat. Alii Imperatores aggrediendam conſultum putabant, quia firmata domi Majeſtas ad externa quoque otium dabat. Prout itaque ingenia, & tempora patiuntur, ita in uſu ſcientia mutari debet; In ingeniis reſpiciendum, ut volentibus imperia imponantur, & illa quæ efficere poſſint: In tem-

pore maximè ad futura reſpiciendum. Quâ arte excelluit Philippus II. Hiſpaniarum Rex, qui omnia ſua conſilia ad futurum tempus dirigebat. Hinc quidam Senator Hiſpanus interrogatus, quid ipſi de ejus actionibus videretur, reſpondit: Quoties Philippi actiones inſpicio, toties firmam concipio ſpem, eum lætiùs poſt mortem imperaturum, quàm in vita imperat. Quæ conjectura veriſſima fuit: ita enim ille ſua diſpoſuerat Conſilia, ut iis inſtructo filio non difficile fuerit regnum paternum propagere.

CAPUT II.

Quid Reſpublica ſit, & quæ prima ejus origo?

§. 1.

RESPUBLICA eſt corpus multorum, ad agnoſcendam ejuſdem Imperii Majeſtatem, iisdem legibus, omnium & ſingulorum utilitatis cauſa, imbutum.

§. 2. Imperia verò & dominationes ſenſim atque gradatim provenerunt.

§. 3. Primum quidem Imperium, ex jure naturæ profluxit. Eſtque quod paren-

parentum in liberos & nepotes, & ex his genitos appellamus. Eſtque Respublica hæc quaſi ſeniorum cognatorum, quod Imperium humani generis exordio, cùm longævi & fœcundi eſſent mortales, uſum habuit.

§. 4. Vis ac anima ejus Imperii conſiſtit in pietate; Uſus autem in numeroſæ familiæ regimine atque conſervatione.

§. 5. Secundum imperium ex jure gentium prognatum eſt, eſtque, quo gentes omnes eidem rationi, & unanimi conſenſu receptis inſtitutis, ſe, velut legi, ſubjecerunt. Eſtque illa univerſalis Respublica omnium omninò hominum.

§. 6. Vis hujus imperii conſiſtit in ratione; Uſus autem in totius generis humani conſervatione & incolumitate.

§. 7. Tertium imperium eſt, quod ex ſingularum gentium utilitate, neceſſitate, & proprio, ſeu civili jure,

peculiare, & à cæteris diverſum, manavit, eſtque Reſpublica ſingularum nationum.

§. 8. Vis ejus conſiſtit in peculiari civili ratione; uſus autem non tàm omnium hominum, vel populorum, quàm quorundam commodis ac ſaluti eſt adæquatus.

§. 9. Nam auctis numero hominibus, iis in Oriente locis, quæ primò habitata ſunt, cùm omnibus ſuſtentandis patria ditio impar eſſet, alii alias atque alias ſedes quærere & inhabitare neceſſe habuerunt.

§. 10. Acceſsêre ad ea domeſticæ diſſenſiones & injuriæ, quibus diviſi in factiones mortales, agros, tandem & dominia diviſêre.

§. 11. Atque ita diſtinctis in Oriente, & alibi dominiis, diſtinctæ & ſuæ ſingulis jurisdictiones & Reſpublicæ, vel ejusdem, vel diverſæ formæ, placuêre.

§. 12. Quæ Reſpublicæ & Imperia initio modicæ extiterunt, dum neceſ-

ſita-

ſitatis tantùm ſuæ & ſuorum, non autem ambitionis in conſtituendis ſibi limitibus, quisque habuit rationem.

§. 13. At verò, natis interim, & creſcentibus injuriis, quibus populi diviſi, & potentia jam, opibus ac multitudine hominum, inæquales, in mutuum exitium ferebantur, plures vicinæ gentes, & Respublicæ modicæ tandem ſeſe conjunxerunt, & iisdem Principibus, Magiſtratibus & legibus, juri & Imperio ſe permiſerunt, mutui auxilii ferendi cauſâ, & ut tantò promptiùs injurias, quas alii inferebant, aut illaturi erant, quibus prohibendis ſingulæ impares exiſtebant, poſſent propulſare.

§. 14. Hinc majora tandem illa & amplisſima Imperia exſtiterunt, quæ, per juſta aut injuſta bella, proximis populis ſubjugatis, per matrimonia etiam Principum, ac ſucceſſionis, emtionis, vel ſimili jure, aliorum Principum poſſeſſionibus, ac ſubditis, ad alios devolutis, majora indies, qualia in

pleriſque videmus hodie, incrementa acceperunt.

§. 15. Atque ita quidem primò à ſe invicem diviſæ, mox cum aliis conjunctæ gentes, Imperio, pro ſitûs, inclinationis, ingeniorum, exercitio, & diverſæ neceſſitatis ratione, diverſa inſtituta, Leges, & formas imperandi, alias atque alias prætulerunt.

EXPLANATIO.

RESpublica, quam hic definimus, pro quovis imperio uſurpatur, etiam pro eo, cui unus præeſt, ſi modò ille ſaluti obedientium conſulat. At quia ſæpè is aut publica privatis poſtponit, aut illecebris voluptatum rapitur, aut ad tyrannidem inclinans tantò plus infert damni, quantò potentior eſt, obtinuit, ut Respubl. Monarchiæ ferè opponatur, quod ipſi *Tacito* placuit, *lib. 1. Annal. c.* 3. §. 9. *Quotusquisq;*, inquit, *qui rempubl. vidiſſet? Igitur verſo civitatis ſtatu, nihil usquam priſci & antiqui moris, omnes exutâ æqualitate juſſa Principis ſpectare.*

Rempubl. hanc *corpus multorum* diximus: Quamvis antiquis temporibus etiam paucorum corpus Rempubl. conſtituerit, & plerumque ſingulis Provinciis, ſinguli Principes eſſent; Quod

Quod apparet ex illa querela Britannorum in *Taciti Agricola, cap.* 15. *Singulos ſibi olim reges fuiſſe, nunc binos imponi,* Legatum nempe & Procuratorem. Longior apud Batavos, quàm Britannos etiam antiquitùs ordo: Unde medio tempore tot hîc Principes & Comites, qui cum diſcordiis agitarentur, & illi ſuperiores eſſent, qui bello valebant, cæteri imperiis magis, quàm nominibus exuti ſunt.

Diximus quoque *Rempubl. ad agnoſcendam ejusdem imperii majeſtatem congregatam eſſe.* Corpus enim Reſpublica eſt, hujus anima, teſte Ariſtotele, eſt Majeſtas. Ut ergo corpus ſine anima ſubſiſtere non poteſt, ita & Reſpubl. ſine Majeſtate. Ut verò agnoſcere poſſimus, quid Majeſtas ſit in qualibet Republica, quæ ejus cauſæ, quæve principia habeantur, videndũ ubi populi aut optimatum, aut unius regat Majeſtas. Sciendumq; Majeſtatem penes eum ordinem eſſe, ex quo in reliquos derivatur autoritas. Sic in Republ. Romana apparet, populi imprimis fuiſſe Majeſtatem, quia ille leges ferebat, Magiſtratus eligebat, bella indicebat.

Dictum porrò eſt: Utilitatis cauſâ Remp. congregatam. Utilitas enim omnium non eſt poſtrema cauſa originis imperiorum. Cum enim ſinguli non eſſent pares ſuis commodis, & plurima utilia eis deſiderarentur, congregati in pluribus inveniebant utilitatem, quam in ſe ſinguli non habebant, quivè diviſi

ſi ante, injuriis plurium facilè patebant, congregati easdem facilè vi repellebant. Quod in alio argumento in Britannis *Tacit. in Agric. c. 12.* declaravit: *Rarus duabus tribusq; civitatibus ad propulſandum commune periculū conſenſus: Ita dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur.*

Denique iisdem legibus velut nervis conſtrictam & colligatam Rempubl. eſſe debere diximus. Leges autem imperantis obſequium exigunt, & Majeſtas obſequio juncta eſſe debet, nec enim Majeſtas eſſe poteſt, ubi obſequium non eſt. Vera quoque Majeſtas ex eo elucet, quia non tàm legibus quàm imperanti obſequium defertur. Legibus obſequium præſtatur, quando præſcripta jura ſequimur. Imperanti verò quando aliquid agimus ideò, quia præcepit. Quam rationem Majeſtatis optimè Terentius eques Romanus ad Tiberium oratione expreſſit apud *Tacit. 6. Annal. c. 8. Non eſt noſtrum æſtimare, quem ſupra cæteros, & quibus de cauſis extollas. Tibi ſummum rerum judicium Dii dederunt, nobis obſequii gloria relicta eſt.* Vis autem hujus Majeſtatis eſt in Imperantibus; ut origo eiusdem eſt in Obſequentibus. Nec enim Majeſtas eſt, niſi agnoſcatur. Quapropter Arragonii dum Magiſtratus ſuos conſtituunt, formulâ quadam ad eos utuntur, cujus hæc eſt ſententia: *Nos qui ſumus æquè boni ac vos, vobis in nos imperium deferimus, ut noſtro conſenſu electi nos regatis.*

Impe-

Imperia ſenſim ac gradatim prodiiſſe dicebamus: Primis enim temporibus ſingulæ familiæ pro Rebuspublicis erant. Quod mirum videri non debet. Nam primi & priſci illi longævi maximè erant, atq; ſimul fœcundi, ut etiam quidam concubinas haberent. Itaque in vita ſua plurimos penes ſe filios, nepotes & reliquos deſcendentes habebant, qui, quia plures erant, ſpeciem quandam Reipubl. conſtituebant. Quod ideò maximè obſervandum, quia hæ familiæ omnis dominationis ſemē complexæ ſunt, quod notavit *Ariſtoteles* in *Politicis*, 1. *Pol.* 12. 8. *Ethic.* 12. 3. *Polit.* 14. ubi ex familiæ conſtitutione formas Rerūpublicarū deducit, atq; Monarchiam aſſimilare imperio *P*arentum in liberos; Ariſtocratiæ ſimilitudinem exhibere Mariti & uxoris in domo imperium; Politiæ verò ſeu Democratiæ fratres

Secundum verò imperium ex jure gentium profluxit. Cum enim creſcentibus familiis locus, qui ab initio commodus paucioribus erat, plures non caperet, poſſeſſiones diſtinctæ fuerunt, ad quas conſervandas legibūs quoque opus fuit. Atque Auguſtinus de Civitate Dei, gentium Rempublicam eſſe dixit, quæ omnes homines complectitur, cujus Princeps ratio, quæ tàm latè imperat, quàm gentes ſunt porrectæ.

Ex hoc verò Imperio peculiares Respublicæ ortæ, quarum cauſæ plurimæ, ut;

1. *Bella*

1. *Bella.* Cum læſo Jure Gentium nonnulli eſſent contumaces, & factionibus freti bellum aliis moviſſent, locus ad bella gerenda diſtinctus ab hoſtibus electus, & ſic diverſæ jam Respublicæ exinde evenerunt, Imperatores quoque bellorum electi, qui poſtea plerumque in Reges evaſere.

2. *Ingeniorum diverſitas.* Quod cùm diverſa loca, ſic ingenia, alios mores & leges repeꝛirent, ſub uno, & uno in loco non poterant regi.

Politicæ quoque cauſæ accedunt. Quia nempe vulgi natura mobilis debuit unius imperio conſtringi: Quia privati non ſuam rem tantùm, ſed & communitatem ſpectare debent, cujus major cura, ubi major ſocietas eſt: Quia ſuis etiam rebus privati malè utuntur, interfuit ſocietatis humanæ, ut à quibusdam modus ipſis rebus propriis utendi præſcriberetur, quippe intereſt Reip. ut JCti loqvuntur, *ne quis rebus ſuis malè utatur.* §. 2. *Inſtit. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt.*

Ut autem diviſæ gentes propter bella, ita conjunctæ per neceſſitatem uſus civilis; Cum enim omnes omnia non poſſimus, & tamen omnibus indigeamus, opus eſt Congregatione quadam multorum, ut quod ipſi non habemus, aliorum fortunæ nobis elargiantur. Uniuscujusque ita hominis interfuit, ut omnes homines vel plures convenirent. Vinculum

verò

verò conjunctionis gentium, Religio fuit, cujus maxima autoritas & timor inter antiquos. Hinc Principes quoque Sacerdotes ſimul erant. Pares enim omnes homines à naturâ editi ſunt, quæ in ordinatis Rebuspubl. ſervari paritas non poterat, ubi aliis parendum eſt, aliis imperandum. Hominum autem autoritate exuere hanc æqualitatem homines cogi non poterant, itaque divinitatis quædam opinio Principibus affingenda erat. Hinc *Virgil. lib.* 3. *Æneid.* v. 80. canit:

Rex Anius, rex idem hominum Phœbiq; Sacerdos.

Germani quoque, ut ex teſtimonio *Taciti de mor. Germ. c.* 9. *ſeqq.* colligere licet, comitia quædam ſua in locis ſacris, qui eorum templa erant, celebrabant. Sed & Legiſlatores antiqui Deorum ſe uti conſiliis fingebant, quod & obſervavit *Liv. lib.* 1. *Hiſtor. de Numâ, cap.* 19. Tantumque ejus fictio hæc profuit Reipubl. ut *Auguſtinus* dicat, *Romulum urbis, Numam Reipubl. Romanæ Conditorem* extitiſſe. Quæri verò meritò poteſt, quare religioni tantùm apud veteres autoritatis? Reſpondendum, quod Religio potisſimùm in metu conſtiterit. Cum enim Imperatores & Magiſtratus provocarent ad Deos ab inobedientibus ſubditis, illi pœnam metuentes obſequio ſuo prævenie-bant querelas eorum, tum quod crederent divina quoq; ad inſtar humanarum rerũ circum-

agi,

agi, ideò *Seneca in fragm. libri de otio ſapientis cap. 31. duas eſſe reſpublicas*, ait, *Magnam alteram & Publicam*, quâ Dii & homines continentur, *parvamq́, aliam*, quæ propria hominum eſt.

Diximus denique diverſa loca, ingenia, exercitia, diverſa inſtituta & mores invexiſſe. Diverſitas autem horum eſt:

1. NATURA. Nam quædam gentes ſunt, quæ nec totam libertatẽ, nec totam ſervitutem ferre poſſunt; quædam, quæ totam libertatẽ & nullam ſervitutẽ patiuntur; quædam, quæ à magnitudine animi defecti non poſſunt ad imperium reliquorũ aut ſuam eluctari libertatem. Hinc eſt, quod quosdam *Ariſtotel.* eſſe dicat à naturâ ſervos *l. 1. Polit.* 3. quod contra JCtos eſſe videtur, qui, omnem ſervitutem juris gentium eſſe volunt *§. 2. Inſt. & l. 4. §. 1. ff. de Stat. hom.* ſed de ſervilibus ſolummodò ingeniis illo loco loquitur Ariſtoteles, non de ſervitute corporum. Ad hanc igitur conſtitutionem ingeniorum à natura in fundandis & adminiſtrandis Rebusp. maximè attendendum. Accuratiùs hâc in parte Agricola, qui maximè ſibi propoſuerat, *noſcere omnia, & noſci omnibus*, quod quia à prædeceſſore ejus intermiſſum erat, Britannia ferè ab imperio Romano receſſit, ille enim mitiùs eas gentes tractabat, quàm eorum ferocia ingenia poſtulabant. *Tacit. c. 8 Vit. Agric.*

2. Ab EDUCATIONE, cujus quantæ ſint vires

vires, ille optimè intellexiſſe videtur, qui eam alteram vocavit naturam.

3. Ab INGENIO PRINCIPUM; Sequi enim plerumque vulgus ſolet imperantiū mores: Quod cum ſcirent callidi *Principes*, ſæpè ad voluntatem ſuam mutabant gentes. Sic Auguſtus duobus præcipuè plebem detinuit, *Pane & Spectaculis.* Vid. *Tac. l.* 1. *A. c.* 2. *Juven. Sat.* 10. *v.* 80. Interim eo ipſo libertatem occupabat. Ita nempe ſoliti Principes levibus permiſſis graviſſimorū ipſi uſurpare Majeſtatem. Idque etiam adverſus externos reges uſitatum Romanis. *Tacit. Agricol. c.* 14. *Donatæ,* inquit, *quædam civitates Cogiduno regi, veteri & jam pridem receptâ populi Romani conſuetudine, ut haberent inſtrumenta ſervitutis etiam reges.*

4. Ab EXERCITIIS DIVERSIS IPSARUM GENTIUM. Cum enim privatæ utilitates conſtituant publicam, neceſſe eſt, quomodo ſe habent privati actus, ita ſe habere publicas conſtitutiones. At quia illi ſæpè diverſi invicem, inſtituta quoque & formas rerumpublicarum diverſas eſſe, quæ illis præſint, oportet.

5. A SITU LOCI. Pro loci enim diverſitate, diverſa ſunt ingenia, at pro diverſitate ingeniorum alia atque alia imperia eſſe neceſſum eſt. Maximè itaque ad ſitum loci in fundandis imperiis attendi debet, quod probè obſervavit Gallicus quidam Scriptor, qui Helvetios

tios & Batavos confert, dicitque eos eſſe brachia imperii Romani, atq; utroſque opportuniſſimè ſitos. Munimentum Helvetiis montium juga, Batavis tot flumina, tot aquas & aquarum parentem Oceanum præſtare. Atque inde deducit tamdiu tutas & ſtabiles has Reſpubl. futuras, donec natura montes non ſuſtulerit, & Oceanus in ſuo manſerit alveo.

CAPUT III.

De primâ origine Magiſtratuum, de conſenſu Imperii atque obſequii.

§. 1.

DUæ igitur cujusvis Reipublicæ partes ſunt: Imperium & obſequium. Duplices igitur perſonæ, imperantes & ſubditi.

§. 2. Magiſtratus ſunt, qui, ex rationum publicæ utilitatis, & Legum præſcripto, imperium in inferiores diffundunt.

§. 3. Illi primitùs aut electi, & vocati ſunt, aut imperium in alios, licèt invitos, & reluctantes, occupârunt.

§. 4. *Electio* eſt, quâ omnium conſenſu,

ſenſu, uni aut pluribus, ut magnitudine virtutis & conſiliorum eminentibus, ſuper cæteros imperium delatum eſt.

§. 5. *Occupatio* hîc eſt, quâ unus vel plures, potentiâ cæteris majores, rapere & invadere imperium, quàm expectare maluerunt.

§. 6. *Electio* populi fuit, *occupatio* Principium in populum, aut optimatum.

§. 7. Ac proinde in *occupationibus* plurimùm poteſtatis derivatum eſt in unum, aut plures, imperia occupantes. In *electione* autem, plus remanſit penes populum, ſeu ſubditos, libertatis.

§. 8. Ex *occupationibus* aut *electionibus* nata eſt ſucceſſio.

§. 9. Nam ſucceſſio ordine naturæ poſterior eſt electione & occupatione, ex qua profluxit.

§. 10. Ex *electione*, ubi ea lege Principem elegit populus, ut & ejus poſteri, poſt deceſſum ejus, imperio potirentur.

§. 11. Ex

§. 11. Ex *occupatione*, ubi Principes vel ſemel partam dominationem, & eandem confirmatam, ſubditis vel fruſtra obſtantibus vel conniventibus, vel volentibus tandem, ad liberos, velut patrimonium, & hæreditatem, transmiſerunt.

§. 12. Subditi ſunt, quibus obſequii gloria relicta eſt. *Tac.6. A.c.8.*

§. 13. Illi autem duorum generum ſunt, vel enim reguntur ut promiſcua multitudo civium: vel regunt & reguntur, ut inferiores, quos ſubalternos vocant Magiſtratus.

§. 14. Nam, cum habeant, aut accipiant, à ſupremis rerum arbitris, limites mandatorum, in eorundem executionibus tàm obſequium ſuperioribus deferre, quàm in inferiores diffundere imperium videntur.

§. 15. Jam verò, cum contra naturam, & primævam hominum libertatem ſit, alteri ſubeſſe, *nullumque*, ut Seneca loquitur, *animal, moroſius rectorem*

rem ferat, quàm qui cætera domat, omninò nexum ſtatuendum eſſe oportet, quo Imperantes & ſubditi, non tantùm arctisſimè, ſed & libentisſimè ſibi invicem devinciantur.

§. 16. Nexus ille, & ſuprema Imperii omnis vis & anima, in imperantium ac ſubditorum mutuo, invictoque conſenſu, conſiſtit.

§ 17. Conſenſus ille decem rationibus potisſimùm non obtinetur tantùm, ſed & conſervatur.

§. 18. (I.) Si utilitatis publicæ, & communis omnium cura perpetua, ſtudiumque ſit penes Magiſtratum.

§. 19. (II.) Si quodvis, quod in ſubditos derivatur, imperium, cum rationibus & immotæ obſervationis legibus, quæ ex ratione natæ ſunt, & receptæ, ſit conjunctum.

§. 20. (III.) Si, ubi id per admiſſam imperii formam licet, pars aliqua publicæ curæ omnibus Reipublicæ membris permittatur.

§. 21. (IV.) Si ſua officia accuratè expleant ſupremi Magiſtratus.

§. 22. (V.) Si maximè ad animum & curam revocent publica & privata incommoda ſuorum, ſive in iis præveniendis, ſive in iis, quæ exorta ſunt, tollendis, ſive denique iis, aliâ felicitate aut liberalitate publicâ, minuendis.

§. 23. (VI.) Si civilia imperantium ſint ingenia, adeò, ut in iis ſubditi ipſi ſibi quaſi imperare videantur, dum quævis juſtisſima eorum deſideria explentur ab Imperantibus.

§. 24. (VII.) Si ſuo exemplo præeant omnibus, in iis, quæ dura & gravia, & tamen neceſſaria, populo imperantur.

§. 25. (VIII.) Si pietas & religionis cultus exquiſitus quibusvis in Imperantium conſiliis conſpiciatur.

§. 26. (IX.) Si concordes inter ſe agant, quotquot ſunt Magiſtratus.

§. 27. (X.) Si in novis, & mutatis imperiis, ea ſtatim tollantur mala, & aver-

avertantur, ob quæ priorem imperii formam ſubditi meritò mutatam voluerunt.

§. 28. Ubi iſthæc omnia curaturi ſunt vel primi, vel novi Magiſtratus, nihil unquam in ſubditis obſequii, nihil debitæ ſibi reverentiæ, nihil denique ad pacem Imperii factum deſiderabunt, & æternitatem.

EXPLANATIO.

Magiſtratus diximus eſſe eos, qui ex rationum publicæ utilitatis præſcripto imperium in alios diffundunt.

Hoc verò loco definimus illos, penes quos ſumma rerum eſt & Imperii. Nam minores collati ad ſuperiores magiſtratus ſubditi ſunt, & quam poteſtatem habent, illa commodata eſt à ſuperioribus. Apud Romanos Conſules & Tribuni plebis tales Magiſtratus erant, quales hîc definimus, quorum illi decernendo; hi intercedendo maximam ſuam declarabant poteſtatem. Ideoque Cæſares Romani horum tantùm duorum magiſtratuum nomina accepêre & poteſtatem: Quia ſciebant cæteros magiſtratus aliquid in conſiliis, hos omnia in rerum ſumma poſſe.

Porrò duabus rationibus Magiſtratus inſtitutos diximus, Electione & Occupatione.

Ubi nullam ſucceſſionis facimus mentionem, quia hîc de origine & primordiis Magiſtratuum nobis res eſt, & qui ſuccedit, alteri ſuccedit, & ita non eſt primus. Adeoque ſucceſſio ex occupatione vel electione profluxit.

Electio obtinuit inter illas gentes,in quibus omnes pares erant; itaque ſi unus reliquis major fuiſſet, regiam inſtituiſſet dominationem. Si pauci, exinde optimatum regimen exortum fuiſſet.

Occupatio omnis, quâ ad imperium pervenitur, illicita non fuit. Cum enim vagi & expertes legum homines agerent,interfuit totius generis humani,iis vel invitis neceſſitatem parendi imponi. Talis verò occupatio antiquis temporibus frequentior, quàm electio fuit. Hinc eſt, quod vetuſtiora imperia vel regia,vel Ariſtocratica fuiſſe legamus. Democratia poſterioribus tantùm temporibus orta, poſtquam ſe populus ab imperio Optimatum aut Regum in libertatem vindicâſſet.

In occupatione plus imperii,in electione verò plus libertatis ineſſe aſſeruimus, idq; veriſſimè. Ubi enim quis nullas leges libidini ſuæ poſitas habet,ſed legibus ſuam præfert poteſtatem, quales in occupatione Magiſtratus, parum libertatis obſequentibus relictum eſt. Sanè in unius imperio ſatis id ſubditi experiuntur. Ideò *Tacitus in Agric. c. 3.* dicit: *Trajanum res olim inſociabiles miſcuiſſe, principatum & li-*

& libertatem. De Optimatum quoque imperio idem ſenſiſſe videtur idem *Tacitus l. 6. Annal.c* 42. *Populi imperium*, inquit, *juxta libertatem; paucorum dominatio regiæ libidini propior eſt.* In electione contra plus eſt libertatis, quia nemo libertatem, quam habet, aliò ſine lege tradit.

*P*ræterea vim imperii in conſenſu ſubditorum & imperantium mutuo dicebamus. Cum enim omnes nati ad libertatem ſint, nullo modo ſubmitti poſſunt aliis, niſi conſenſus eorum ipſorũ acceſſerit. Quem conſenſum *Plato* Harmoniam & numeros appellavit. Quod quemadmodum ex diverſis concentibus Harmonia, quemadmodũ ex diverſis numeris ſumma provenit; Ita hic conſenſus diverſorum hominum unum tantùm ſcopum intendentium conſtet concordia. Conſenſum autem hunc decem rationibus obtineri diximus; ex quibus de prioribus tribus pauca dicemus. Erat autem prima: *Si utilitatis publicæ rationem habeat magiſtratg.* Cum enim ſuprema lex, cui obtemperaret magiſtratus, ſalus populi eſſet, non tam ſe difficiles populi ad accipiendum imperium præbebant; Amant ſiquidẽ omnes & ſeqvuntur libenter id, ex quo vident, utilitatem ſibi derivari. Philoſophus hinc non immeritò rempub. concordiam & diſcordiam appellavit. Concordia enim eſt, quando & Magiſtratus & populus ad utilitatem publicam promovendam conſpirant.

Diſcordia verò quando diverſitatem ſtatuum inter Magiſtratum & ſubditos conſideramus. Quam concordiam & diſcordiam ipſa natura imitatur. Elementa enim ſibi contraria ſunt, & tamen ex his univerſum harmonicum conſtat; Nec poſſibile eſt, ubi hæc Elementa diſſoluta ſunt, univerſum conſiſtere, ut nec Reſpublica manere integra poteſt, ubi hæc concordia diſcors rupta fuerit.

Secundum modum obtinendi conſenſus dixi, *ſi ſit Imperium cum ratione conjunctum.* Eò me ducit dictum Philoſophi, *qui omnia ſubjicere cupit, ſeipſum imprimis rationi ſubjiciat.* Nam cum populus paret Magiſtratui ſecundum rationem imperanti, rationi ſe parere putat, non magiſtratui; At cum rationi defert obſequium, putat ſe ſibi deferre, quia ipſe quoque rationem habet. Ut ergò Magiſtratus conſenſum obſequiumquè habeat, rationis potius in imperando, quàm propriæ libidinis rationem habere debet.

Odioſæ itaque illæ formulæ Imperii: Factum eſt Imperator, quod voluiſti. (*Tac. l. 1. Ann. cap 6.* & in eum locum *Lipſius in comm.* item *Briſſon. l. 4 de form. & ſolennibus P.R. verbis p. 348.*) Odioſa & Hiſpanorum Regum ſuperbia, qui in omnibus edictis tantùm: Ego Rex, crepant, nullo reſpectu rationis. Optimæ verò formulæ libertatis, qualis illa: Factum eſt, quia è Republ. viſum ita. Cum autem ratio

tio non omnibus nota ſit, perſuaderi ignorantibus debet. Ideoque Plato Eloquentiam civilem & publicam commendat. De quâ commentum eſt Poëtarum, quod Orpheus lapides & bruta ſono Muſicæ allexerit, quo ſignificatum voluerunt, eloquentiam homines & lapideos & barbaros ad rationis uſum revocare poſſe. *Ovid l. 11. Metamorph. fab. 1. Horat. de arte Poëticâ v. 391.* Sanè nihil plus fructus Romanæ Reipubl. attulit, quam exercitium hujus eloquentiæ. Unde tot in roſtris conciones, tot in Senatu orationes, quibus id obtentum ſæpè fuit, quod nullis edictis extorqueri potuiſſet. In caſtris etiam Imperatores, quoties acies committenda, quoties ſeditio orta, toties ad militum animos loqui ſolebant.

Tertium modum conſenſus obtinendi diximus, ſi omnibus membris pars aliqua reip. concedatur. Itaque in Regno Optimatum & Populi; in Optimatum regimine Populi; in Democratia Optimatum habenda ratio eſt; atque inde pacatiſſimæ ſunt Reſpublicæ, in quibus & minores Magiſtratus curam Reipublicæ ad ſe pertinere ſentiunt. In Belgio ſanè nullus ſtatus excluſum ſe à Republica queri poteſt. Comitia enim conſtituunt Nobiles & Civitatum delegati, qui poſteriores ſunt quaſi Optimates è populo, atque inde facillimè conſenſus vel in graviſſimis rebus impetratur. Nam ſi delegati conſentiant in Tributa, populus id non

poteſt impedire, quia omnem ſui conſenſus vim in eos transfudit. Ita & Reſpubl. Romana turbata mirificè fuit, antequam plebs ad Reipubl. munia admiſſa fuit. Tribunis verò plebis conſtitutis, Reſpub. à turbis quievit; quietisſimaque tunc temporis fuit Reſpublica, quando illa formula uſitata, S. P. Q. R. Nota hæc ars Imperatoribus Romanis fuit; ideoque plebejos ad nobilium quoque honores admisêre, ut tantò magis devinctum populum haberent. Meritò itaque hâc in parte *Claudius Seſellius Gallus* Venetam Rempubl. peccare, alioquin prudentiſſimam notat: ille dicit, in hâc republ. vitia quædam eſſe, quæ hactenus quidem nullas excitarunt turbas, ſed aliquando maximorum motuum cauſæ exiſtere poſſunt; Præcipua verò illa eſſe, quod Nobilium tantùm in Magiſtratuum dignitatibus mandandis habeatur ratio. Et meritò id, inquam, reprehendit *Seſellius*. Nam cum plebs magnam vim ex multitudine habeat, & ambitioſa plerumque ſit, nobiles quoq; ad imperium nati videantur, metuendum, ne aliquando adjunctis viribus & conſiliis omnem ad ſe deferant ex Republ. diſponendi libertatem & poteſtatem, quando illis nunc nulla conceditur. Poſſunt autem hâc in parte à ſuperioribus Magiſtratibus artes uſurpari; ita ſunt in Republ. magna nomina, quorum vis nulla aut exigua, at verò contenti ſolent eſſe nobiles & cæteri cives

cives ſolâ pompâ honorum. Hæc ergò eis concedenda, quæ licet in indignos quandoque incidant, minus tamen damni malè adminiſtrata dabunt. Accuratè hâc in re actum à Tiberio, qui volebat quidem omnem, cæterorum è Repub. imperandi excludere poteſtatem, ſed non planè omnibus magnas perſonas privare honoribus, quò ſecurior eſſet.

Ideoque plerumque ſacris honoribus tales ornavit, quorum magna quidem dignitas fuit, ſed nulla in Reupbl. adminiſtranda vis & autoritas. Atque ita probe illud *Platonis l. 3. de Republ.* intellexiſſe videtur, ubi præcipit, affectuum omnium in Republ. debere rationem haberi, præcipuè autem eorum, ex quibus turbæ oriri poſſunt. At verò talis maximè eſt ambitio, & ideò ejus cura non eſt contemnenda.

CAPUT IV.

Quid Majeſtas. Quæ Imperantium & Reip. Majeſtas. Quæ lex Majeſtatis. Quomodo debeat conſervari Majeſtas.

§. 1.

CUm cæteris præſint ſupremi Magiſtratus, à cæteris diſtinguuntur, & in cæteros valent Majeſtate.

§. 2. Dupliciter autem venit conſideranda Majeſtas, quia vel ex imperantibus, vel ex obſequentibus vim habet.

§. 3. Majeſtas, quæ vim ex Imperantibus habet, eſt inſita quædam animi vis ac magnitudo, qua, qui ſuprà cæteros excellunt, cæteris debent imperare.

§. 4. Majeſtas, quæ vim ex obſequentibus habet, eſt nihil aliud, quàm ſanctum, conſtans, & immotum judicium ſubditorum, quo ſibi omninò perſuadēt, illos, qui præſunt Reipublicæ, jure ac meritò præeſſe, & poſſe, & debere.

§. 5. Quod judicium ſubditorum ſic etiam confirmatur, ſi imbuti ſint certâ illâ opinione, à Deo, & cælitùs inſtitutos eſſe Magiſtratus, quò illud breve Tertulliani ad Scapulam c. 2. facit: *Colimus Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt, à Deo conſecutum, ſolo tantùm Deo minorem.*

§. 6. Adeò, ut Majeſtas hæc ſit poteſtas

teſtas prima ordine & ſumma, quam, qui præſunt Reipublicæ, obtinent & exercent in ſubditos.

§. 7. Hæc autem in unius imperio elucet maximè, in populi autem & optimatum ſtatu, univerſis quidem illa, ſed non ſingulis, tribuitur.

§. 8. Omnis illa imperantium Majeſtas, legibus Majeſtatis, rectoque ejus uſu, ſtabilitur & conſervatur.

§. 9. Lex Majeſtatis eſt, quâ animadvertitur, & ultima ſupplicia, nec remittenda decernuntur in eos, à quibus in ſupremos Magiſtratus, cum inſigni quodam omnium & totius Reipublicæ detrimento, peccatur.

§. 10. Quæ lex, cùm certum munimentum ſit Majeſtatis, in nullam ejus partem impunè unquã debet impingi.

§. 11 Rectus uſus Majeſtatis eſt, quo & conſervatur, cùm impenditur, ubi, & quandocunque & inter quoscunque neceſſe eſt, quem inter hæc præcepta cohibemus.

§. 12. (I.) Qui ſuam lædi nolunt, aut violari Majeſtatem, in aliis eandem lædere non præſumant, ne dent, & tandem accipiant ipſi, ſibi, & Reipublicæ nociturum exemplum.

§. 13. (II.) Intereſt conſervandæ Majeſtatis, nunquam vacuum relinquere caput rerum, vel ſedem Imperii, aut uni alicui ſubditorum id committere, in quo præcipuum robur eſt Majeſtatis.

§. 14. (III.) Majeſtatis eſt, & ad famam attendere, & ſæpè glorioſa utilibus præferre.

§. 15. (IV.) Quæ Majeſtatis ſunt, non ſunt transfundenda, niſi in dignos, & pares repræſentandæ Majeſtati; ſed & providendum ſeriò, ne, ad repræſentandam Majeſtatem expediundis publicis negotiis impoſitus, ſpecie obſequii, ipſam invadat.

§. 16. (V.) Majeſtatis etiam hujus eſt, aſtringi legibus Majeſtatis, non autem ita neceſſariò legibus, ab iis, quorum Majeſtas eſt, profectis; etiam ejusdem

dem Majeſtatis eſt, omninò adſtrictam legibus Gentium, & naturæ, ſe profiteri. Conf. *l. 4. C. de LL.*

§. 17. (VI.) Ad vim quoque facit Majeſtatis, non, niſi in extremis & maximè dubiis rebus, quibus inferiorum Magiſtratuum autoritas impar fuit, impendere præſentiam, & totam vim Majeſtatis.

§. 18. (VII.) Huc quoque facit, in extremis periculis, in quibus ſumma Reipublicæ laborat, non alio uti jure, quantumvis moribus & inſtitutis receptis adverſo, quàm ſolo illo Majeſtatis.

§. 19. (VIII.) Ad Majeſtatem conſervandam confert plurimùm, eam in prædeceſſoribus atque actis eorum, ex Majeſtate profectis, perpetuò obſervare & tueri, & pœnam læſæ in prædeceſſoribus Majeſtatis, pro munimento habere ſuæ Majeſtatis.

§. 20. Atque hæc quidem Imperantium Majeſtas eſt, cujus generatim jus eſt, ut habeat potiùs ſubditos

& obſequium, quam mereatur, & ubique & inter omnes inferiores, pares & ſuperiores, tanta, quanta eſt, & quomodo oportet, cognoſcatur.

§. 21. Eſt & alia quædam ipſius Reipublicæ Majeſtas, quæ non tàm vim Impetantium & perſonam, quàm vim, ſtatum, ſive formam, ſeu incolumitatem Reipublicæ, concernit.

§. 22. Illa vel domi adverſum imperantes & ſubditos, vel foris adverſum exteros Principes, & populos facit.

§. 23. Adverſus domi Imperantes & ſubditos, definitur illa, immotâ obſervatione formæ, ordinisque Imperii ſemel recepti, legumque, quæ pro eâ repertæ ſunt, & vulgò fundamentales appellantur.

§. 24. Adverſum cæteros definitur ſui penitus juris, neque alteri cuiquam, vel populo vel Principi obnoxio Imperio, tàm reſpectu eorum, qui imperant, quàm qui obſequuntur.

§. 25. Majeſtas illa Reipublicæ con-

conſervatur, ſi minima etiam quæque, ad conſtitutum Imperii ordinem, & illud ſupremum Imperiũ conſervandum, facientia, domi ac foris conſtantisſimè ſemper ac quavis ratione tueamur.

§. 26. Neque enim hic quicquam cuiquam indulgendum eſt, cùm his neglectis, & læſis, totam tandem Rempublicam mutari, aut alterius Dominationem ſubire, neceſſum ſit.

§. 27. Sed & hic quoque locum habet Majeſtatis lex, qua animadvertitur, & extrema nec remittenda ſupplicia decernuntur in eos, qui in formã ſummam, & ea, ex quibus incolumitas Reipublicæ maximè dependet, ſunt peccaturi.

EXPLANATIO.

CUm hactenus dictum de ſupremis Magiſtratibus, extare aliquid debet, quo excitet in animis ſubditorum reverentiam quandam ergà Magiſtratus, quo credant eos tales eſſe, & eſſe debere, atque hoc eſt ipſa Majeſtas, quam traducem cœli *Auguſtinus* appellavit. Primis temporibus ignotum Majeſtatis nomen veteribus fuit, & loco ejus erat divi-

divinitatis opinio, quam ſemper prætendebant, ubi quid extorquendum erat, cujus in locum ſucceſſit non malè Majeſtas. Nam, ut *Plato* docet, id ſunt in ſubditis Magiſtratus, quod in aliis Deus. Inde imperare & obſequi divinitatem æmulari eſſe idem dixit. *Tullius l. 2. de Orat. ſect. 164 & in partit. orator. ſect. 106. edit. Dion Gothofr. in 4to.* Majeſtatem amplitudinem & poteſtatem definivit.

Majeſtatem quoad obſequium diximus eſſe *immotum judicium ſubditorum, quo ſibi perſuadent, eos, qui præſunt, præeſſe debere.* Quod judicium quantum debeat eſſe conſtituendæ majeſtatis cauſâ, nemo meliùs *Plinio in Paneg. cap. 72.* expreſſit: Dicit enim ad Trajanum, non eſſe opus, ut ſeparatim pro illo, pro republ. pro ſe ipſis vota ferant, ſed obſecramus, inquit, Deos, ut uni tibi faveant, quia in te & tuté ipſe & respub. & nos ſumus. Quæ quidem majeſtas *in maximis in minimis & quâvis fortunâ* debet obſervari. *In Maximis*, quia in talibus vi maximâ opus, qualis eſt Majeſtas; *In Minimis*, quia ubi ſemel in minimis laboravit majeſtas, in magnis quoque vim & autoritatem amiſit. Aliter enim cum Majeſtate, quàm cum aliis rebus comparatū eſt; Nam aliæ res ſi cum vilibus comparantur, ipſæ quoque vileſcere ſolent; Cæterum Majeſtas etiam in vilibus monſtrata, plus ad maxima poteſt & valoris adquirit. Inde axioma hoc obſervandum

dum: *Nihil modicum vel in modicis admitti contra majeſtatem debere ab illis, qui propriam habent Majeſtatem*, aut commiſſam gerunt. Quâ in parte peccavit Vitellius, quem *Tacitus* adeò incurioſum Majeſtatis fuiſſe ſcribit, ut oblitus fortè fuiſſet, ſe eſſe principem, niſi id ei â ſuis revocaretur: *l. 3. H. cap. 63. In quavis* etiam *fortunâ* Majeſtatis ratio habenda, quia viri principes non debent transmittere aliis inviti ſuam majeſtatem. Quod benè obſervatum à Maroboduo, qui pulſus regno à ſuis in Italiã cum profugiſſet, ſcripſit Tiberio, non ut profugus aut ſimplex, ſed ex memoria prioris fortunæ; teſte *Tacito l. 2. Annal. cap. 63.* Imò noſtro quoq; ævo uſitatum principibus in malâ fortunâ conſtitutis, ut licet res eorum aliis transſcriptæ ſint, titulos tamen mordicùs retineant. Ita, quia Pontifex Romanus in Orientales etiam Eccleſias jus prætendit, licet illæ ab alio occupatæ ſint, ille tamẽ nomina poteſtatis & titulos retinet. Hinc videas etiam hâc tempeſtate Romæ & per Italiam Epiſcopos Corinthi, Philippenſes.

Diximus quoque *aliam eſſe majeſtatem imperantium, aliam reipubl.* quæ diſtinctio notoria eſt, quia lædi Majeſtas Imperantium poteſt, ſalvâ manente Reipublicæ Majeſtate. Reipublicæ Majeſtas eſt, quæ ſui juris eſt, nec cujusquam agnoſcit imperium; Quam Majeſtatem, *Tacitus. Annal. 3, cap. 6.* abſolutè Rempublicam

cam appellavit in oratione Tiberii, ubi ait: *Principes mortales, Rempublicam æternam eſſe.*

Definitionem accuratam *Majeſtatis Imperantium* habet *Tacitus lib. 13. Annal. cap. 56. Id Diis, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent, neque alios judices, quàm ſeipſos paterentur.* Ex hac porrò Majeſtate natæ ſunt illæ formulę, quibus Principes, quique adeò præſunt liberis rebuspublicis, ſcribunt: DEI GRATIA ſe tales vel tales Principes eſſe. Wir von GOttes Gnaden. Licet quidam etiam Principes, qui ſub alieno ſunt imperio, hâc formulâ utantur. Sed diſtinguendum hîc eſt inter formulas *pietatis & authoritatis.* Formulâ *Pietatis* utuntur, qui aliquem ſuperiorem habent; *Autoritatis* verò, qui nullũ majorem agnoſcunt. Talem porrò Majeſtatem *quodvis imperium, cujuscunq; ſit formæ, habere* dicimus, *quod ſui juris ſeu liberum, alteriq; in terris non ſubjectum eſt.* Nempe Majeſtatis vocabulum licet frequentiſſimè ſoleat unius imperio attribui, quia in uno clarius apparet, tamen in cæteris formis imperiorum eadem eſt. Non enim in paucitate perſonarum conſiſtit Majeſtas ſed in jure ſummi imperii. Atque ex hac Majeſtate facilè dignoſci formæ rerumpubl. poſſunt, ſi ſolummodo attendatur ad illum ordinem, in quo Majeſtas eſt, & quanquam videantnr mixtæ eſſe reſpublicæ, unus tamen

ordo

ordò eſſe ſolet, in quo vis majeſtatis præcipuè elucet.

Diximus porrò, *majeſtatem imperantium eſſe eorum, qui reipub. nullius imperio obnoxiæ præponuntur.* Ex hâc definitione diſcimus:

1. Non de omni imperio aut Magiſtratu nos hic loqui, ſed de ſummorum Majeſtate; Et, ſi ea inferioribus tribuatur, de commodatâ intelligendam eſſe.

2. Ubi pauci vel plures regnant, non apud unũ, ſed omnes conjunctim eſſe Majeſtatẽ, niſi fortè ad unum per omnes delata fuerit.

Eſt itaque *Majeſtas magnitudo credita à ſubditis imperantibus ineſſe.* Ad quam credulitatem conciliandam non tantùm magnitudine animi in Imperantibus opus eſt, ſed etiam externâ quadam pompâ & magnificentiâ.

Hinc veteres in eligendis Principibus ad formam quoque externam attendebant. Sic multùm Ritus externi in publicis nonnunquam valent, licet ſæpè ridiculi ſint, ſed quia plebs externis plurimùm movetur. Quanta verò ſit Majeſtas Oris & formæ, apparuit in Auguſto, qui ſolo aſpectu terruit Actiacas legiones *Tac. 1. An. c. 42.* Idem cum aliquando præteriret militẽ gregarium, & ab illo caput atq; oculos demittente quæſiſſet, cur id faceret, reſpondit: Majeſtatem ejus humiles oculos ferre nõ poſſe, *ut innuit locus Sueton. in Aug. c. 79.* Ad Marium quoq; interficiendum ſervus miſ-

miſſus majeſtate viri deterritus intactum fugâ deſeruit. *Vellei. l c. 19.* Inde à forma quidam laudes Principis poſuerunt. *Vetus Panegyriſta* ait: *Auguſta tua forma eſt, Auguſte Imperator.* Et credibile eſt, naturam magnis animis egregia domicilia attribuiſſe, (in quam ſententiam & *Pacatus in Panegyr. c. 6.* ait: *Auguſtiſſima quaque ſpecies plurimùm creditur trahere de cœlo. Conſ. Freinsh. in Curt. l. 6 cap. 5. §. 29 Schönborn. lib. 2. Polit. c. 26.*) Ita interim horum externorum bonorum habenda ratio eſt, ut ſemper *ſpecies* Majeſtatis ab ipſa *Majeſtate* diſtinguatur. Sciendumque *ſpeciem in authoritate Majeſtatem in imperio* verſari, quæ ita diſtinxi, quia à *Livio* etiam diſtincta ſunt, ubi Evandrum dicit authoritate magis, quàm imperio loca Latii quædā rexiſſe *lib. 1. cap. 7.* Dux Venetus quoque ſpeciem ſaltem habet Majeſtatis, quia ea tantùm exequitur, quæ Senatus juſſit; Hinc Itali proverbio eum Ducem vinctum & captivum appellant, quòd vix aliquid poſſit ſuâ authoritate, & ferè nihil aliud ſit, quàm aliis in regionibus imperator & dux exercitus.

Legem majeſtatis diximus eſſe, *qua animadvertitur in peccantes adverſum majeſtatem.* Atque hinc apparet, quantum differat crimen læſæ Majeſtatis à cæteris criminibus. Omnibus quidem Respubl. læditur, quia in partes ejus committuntur, ſed reliqua paucis, aut uni

uni in præjudicium cedunt; crimen verò Majeſtatis omnes afficit. Quod intellexit *Tacitus Annal.* 3. *c* 38. qui crimen Majeſtatis complementum eſſe ait accuſationum, quod ſcil. hoc in ſe omnia reliqua complecti cenſeatur. Hæc lex Majeſtatis ſemper accuratè exercita in Republ. Romana, ſed aliter & aliter. In quam rem *Tacit. lib.* 1. *Annal. cap.* 72. nomen Patris patriæ, ait, Tiberius repudiavit. Non tamen ideò faciebat fidem civilis animi. Nam legem Majeſtis reduxerat, cui nomen apud vetetes idem, ſed alia in judicium veniebant, ſi quis proditione exercitum, aut plebem ſeditionibus, denique malè geſtâ republ. majeſtatem populi minuiſſet; facta arguebantur, dicta impunè erant. Quæri verò poteſt, *an ad verba etiam in crimine Majeſtatis attendendum ſit.* Sanè Tiberio ſic viſum. Hinc Cordus Cremutius fuit poſtulatus, quod Caſſium ultimum Romanorum dixiſſet, ideò in defenſione ait: Verba mea P. C arguuntur, ideò factorũ innocens ſum. *Tac. l.* 4. *A. c.* 34. Sed diſtinguendum eſt inter verba, quod alia ſint *verba loquentis*, alia *facturi*: Hæc inter crimina Majeſtatis computari poſſunt; non autem illa, quia quantò magis loquendi & audiendi tollitur commercium, eò vehementiùs de publicis rebus privatorum judicia gliſcere ſolent. Facturi verò verba ſunt, ſi quis dicat, quod vel facere inſtituit, vel contra publicam Majeſtatem

tem apertè aliquid dicat. Ita Lugduni Batavorum ante annos circiter XVI.quidam Eccleſiaſtici ordinis incarceratus, quod cum penes eum quædam ſcripta inventa fuiſſent, quibus ipſi in bona, quæ ab Ordinibus jam occupata erant, ab Apoſtolico Vicario poteſtas tributa erat, rogatus, quomodo ea occupaturus eſſet, reſpondit: Meliori fortunâ ſuorum.Cum,quid id ſibi velit, quæreretur, mutatis temporibus reſpondit: Cùm id quoq; explicare juſſus fuiſſet,dixit: Tum temporis,quando Rex Hiſp.has provincias ſub Imperium redegerit. Et ob hoc adeò audax dictum carceri incluſus, pòſt urbe proſcriptus,& bona ejus,quæ Daventriæ habebat, confiſcata. Nimis verò nonnunquam ad verba attendi,vel ex illo,quod in Anglia contigit, apparet,ubi, cum quidam mercator officinam ſub inſigni regio haberet,& ſæpè filio præciperet,ut navaret operam ſtudiis,&ita regiam coronam aſſecuturum, id verbum exitio miſero mercatori fuit. Tiberius quoq; maximoperè ad verba attendere ſolitus, (*Suet. in Tib. c. 61.*)quia vacillans adhuc erat ejus majeſtas; at tantò ſolent magis minima attendere Tyranni,quantò magis res eorum in dubio ſunt.(Talem idẽ *Sueton.*Caligulam pingit.*c.50.*&Domitianum *c.10.*quod & *Plin.* facit *in Panegyr.c.33.*)

Diximus *varia* eſſe *uſus præcepta.* Ex quibus *primum,* quod *qui tueri majeſtatem volunt, in aliis eam lædere ne præſumant.* Lædere enim

nim in aliis eſt dare exemplum ejus rei, quæ poſteà nobis nocitura eſt. Si itaque Rex Regem captivum interfecerit, oſtendit, Reges quoque occidi poſſe. Inde vehementer Eliſabetha Angliæ Regina pecâſſe putatur, quod Mariam Scoticam ſupplicio affecerit, & hoc argumento uſus eſt Orator Gallicus ad disſuadendam ejus mortem. Extat Epitaphium apud *Cambdenum* ejus Reginæ, quod hanc in rem facit: *Maria Scotorum Regina, regis Filia, regis Gallorum vidua, Regina Angliæ agnata & hæres prima, virtutibus regiis & animo regio ornata, jure regio fruſtrà ſæpius implorato, barbarâ ac tyrannicâ crudelitate, ornamentum noſtri ſeculi, & verè regium lumen extinguitur. Eodemque nefario judicio & Maria Scotorum regina morte naturali, & omnes ſuperſtites Reges plebeji facti civili morte mulctantur. Novum & inauditum tumuli genus, in quo cum vivis mortui includuntur*, hîc extat: *Cum ſacris enim divæ Mariæ cineribus omnium regum atq; principum violatam ac proſtratam majeſtatem hîc jacere ſcito; & quia tacitum regale ſatis ſuperq; reges ſui officii monet, plura non addo, viator. part. 3. hiſtor. Eliſab. in anno 1587. p. 494.*

Deinde intereſt Majeſtatis, nunquam vacuum relinquere caput, aut ſedem aut robur Majeſtatis. Quod benè à Tiberio obſervatum, *cui*, ut *Tacit. l. 1. Ann. c. 47.* ait: *immotum fixumq; erat, non omittere caput rerum, neq; ſe Remq;*

publi-

publicam in caſum dare. Vacua namq; facillimè fiunt occupantis, at tùm plures erant, qui occupare imperium geſtiebant. Quòd verò de ſede Majeſtatis diximus, id & de aliis magnis in republ. locis accipiendum. Prudenter ergò Auguſtus apud *Tacitum l. 2. Ann. c. 60.* inter alia *dominationis arcana* vetitis, niſi permiſſu, ingredi Senatoribus aut Equitibus Romanis, illuſtribus *ſepoſuit Ægyptum.* Qui enim hanc provinciam occupâſſet, fame urgere Italiam poterat, ex quo motæ fuiſſent ſeditiones plebis, quam ille in ſuas partes pertrahere potuiſſet benignitate annonæ. Locorum ergò talium vel ab ipſis imperatoribus, vel per fidos eosque breves miniſtros adminiſtratio exequenda. Hinc Hiſpani tribus tantùm annis aliquem locis munitis præſidere patiuntur. Imò & aliâ arte hac in re utuntur, denegant talibus locis neceſſaria vitæ, licet inibi optimè poſſint per naturam colligi. Ita in India Orientali non patiuntur oleas plantari, aut ſegetes ſeri, licet id genus illæ terræ ferant, ne ſcil. Luſitani & Indi nihil deſiderantes ex Hiſpan. ejus exuant imperium.

Tertium majeſtatis præceptum eſt *ad famam attendere.* Idque maximè principibus obſervandum docuit Tiberius apud *Tacit. 4. Annal. c. 40. Cæteris,* inquit, *mortalibus in eo ſtare conſilia, quid ſibi conducere putent; Principum diverſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum*

rum ad famam dirigenda, ſcil. ante omnia imperii ratio haberi debet. At optimè habebitur, ubi vires ejus majores, quàm reverà ſunt, omnibus perſuadebuntur.

Noſtri tamen ævi quidam Principes utilitatem Majeſtati præponunt, quod in Hiſpanis fœderibus præcipuè obſervandum. Sic duodecennales illæ cum Belgis induciæ erant contra Hiſpaniæ Regis Majeſtatem, quia in eis rebelles, quos vocabat, pro liberis & imperio ſuo ſolutis agnoſcebantur. At utilitatis gratia id factum, quæ hinc duplex:

1. Quòd hîc conſcripto milite, & aliis in locis nimis bello occupatus, cum hîc bellum gerere non poſſet, victoriarum ſaltem curſum inhibuit.

2. Quod diſcordiæ hoc tempore in pace inter Confœderatos ortæ ſunt, quas ille procul dubio prævidebat futuras. Veneti quoque, quoties iis imparatis ingruit Turca, toties pretio & pecuniâ redimere ſolent bellandi neceſſitatem. Aliter Populus Romanus Majeſtatis habuit rationem, putavitque plus in poſterum ex famâ commodi, quàm in præſens ex utilitate percipi, & ſanè, quod *Plutarchus* dicit, plura famâ Pop. Rom. quàm præſenti uſus vi ſibi ſubjecit & ſubjugavit.

Quartò *Majeſtatem non transfundere niſi in dignos*; *& pares gerendæ Majeſtati* convenit. Transfunditur verò Majeſtas vel in inferiores

Magiſtratus; vel in Legatos & Oratores apud exteros. Non debet autem transfundi in indignos, quia tanti fiunt ſupremi Magiſtratus, quanti illi ſunt, in quos transfunditur eorum autoritas. Quod ab Agricola probè obſervatum qui nihil publici per ſervos aut libertos exequebatur. *Tacit. in Vit. Agric. c. 19.* Sæpè etenim ex Perſonis tantùm eſt actionibus publicis authoritas; Si ergò illæ ſunt viles, nulla quoque actionibus eorum autoritas erit. Peſſimè ergò Claudius, qui omnem ſuam poteſtatem in libertos transſcripſerat, *Tac. l. 11. A. c. 60. Sueton. in Claud. c. 28. & 29.* ut è contrario prudenter Tiberius, qui ad turbatas legiones filios proprios miſit, in quibus non tantùm ſpecies, ſed & expectatio majeſtatis fuit, *Tac. l 1 A. c. 47.* Nec facilè etiam peregrini Majeſtate ſunt ornandi. Unde reprehenduntur à quibusdam Veneti, quod ſoleant externos duces copiis præficere, quod periculoſum eſt. Nam qui exercitum habet vim & animam Majeſtatis obtinere creditur. Ratio tamen hujus eorum inſtituti eſt, quòd cum ſint omnes pares, metuant, ne uni commiſſo in exercitum imperio ille major cœteris evadat. Interim ne Princeps exercitûs abutatur ſuâ vi, addunt ei ſemper unum pluresve ex medio ſui, quos Proviſores vocant.

Diximus etiam *cavendum, ne miniſtri majeſtatis, ſpecie obſequii invadant majeſtatem*: Quod

Quod ſæpiùs factum legimus. Luculentius exemplum, quàm Sejani, eſſe non poteſt. Hic ſpecie utiliſſimi obſequii invaſit Tiberii majeſtatem; Perſuaſit enim ei, ſecuritatem principis requirere, ut diſperſos per urbis ſtationes prætorianos milites caſtris prætoriis extra urbem contineret, quia noverat, ſe præfectum eſſe his caſtris, atque ita omnia in poteſtate habiturum. *Tac. l.4. A.c 2.* De Annio quoque Baſſo non diſſimile exemplum *Tac. l. 3. Hiſt. c.50.* habet: Ducebat undecimam legionem Poppæus Sylvanus Conſularis: Vis Conſiliorum penes Annium Baſſum legionis legatum. Is Sylvanum ſocordem bello, & dies rerum verbis terentem ſpecie obſequii regebat, ad omniaque, quæ agenda forent, quietâ cum induſtriâ aderat. Julius quoque Cæſar ſpecie obſequii bellum ſcilicet in Galliis pro republ. gerens imperium occupavit, ut colligere licet ex *Sueton. Jul. c. 22.* Non ignoratum verò Romanis, quantum periculum ſit à miniſtris majeſtatis, ideoque ſemper ferè collegas eis dederunt, & quidem præcipuè æmulos, ut unus alterius refrænaret cupiditatem: Unde idem quoque in præfecto prætorii obſervari ſvadet Mœcenas *apud Dion. l.52. p.479.* Quod uſitatum Henrico Magno Galliarũ regi à quibusdam annotatum eſt.

Porrò *Majeſtatis eſt adſtringi legibus non à Majeſtate profectis, itemq́ aſtringi legibus gentium & naturæ.*

Duplices nempe leges ſunt in Republica: 1. *Leges Majeſtatis*: Quæ non à Majeſtate proficiſcuntur, in quas jurare initio Principatus Principes ſolent, quarum meminit *Tac.l.3. Annal. cap. 26.* Præcipuè, inquit, Servius Tullius ſanctor legum fuit, quibus etiam Reges obtemperarent.

2. *A Majeſtate* verò *profectæ leges* ſunt, quas ipſi Principes imperii jam potentes tulerunt. illis legibus teneutur Principes; his non item.

Tenentur quoque legibus naturæ & gentium, quia naturæ & rationis ſummum eſt ubique imperium. Aſtringi verò illos juri naturæ, vel ex illo Dionyſii Tyranni apparet, qui à Matre, cujus jam præterierat ad nubendum ætas, ut marito jungeretur, rogatus reſpondit: *Longè aliud eſſe ſolvere jura naturæ, & ſolvere jura civitatis*, & hoc quidem à ſe præſtari poſſe, illud minimè. *Plutarch. in Apophthegm. Rom. t. 2. p. 175. c. 21.* Quo jure etiam aſtringi Reges Canutus Anglorum & Danorum Rex ſuo oſtendit exemplo, cui cum ab adulatoribus perſuaderetur, omnia ad nutum Regis & vultum converti, ſedile ſuum in littore maris, cum aſcenderet, ſtatui juſſit. Dixit autem mari adſcendenti, tu meæ ditionis es, & terra, in qua ſedeo, mea eſt, nec fuit, qui impunè meo reſiſteret regno: Impero ergò tibi, ne in terram meam aſcendas, nec veſtes nec membra Dominatoris tui madefacias; Mare verò aſcendens

pedes

pedes regis ſine reverentia madefecit. Ille igitur reſiliens ait: Sciant omnes habitantes orbem, vanam & frivolam eſſe Regum poteſtatem, nec Regis nomine quempiā dignum, præter eum, cujus nutui cœlum, mare, terra, legibus obediunt æternis. Quod exemplū ſic refert *Cambdenus in Britannia ſua in provinc. Hantshire, pag.* 191. Atque ex ante dictis quæſtio ſolvitur illa inter Politicos celebris: *An Princeps ſit ſolutus legibus*? Dicimus ſolutum legibus à Majeſtate profectis, non ſolutum legibus Majeſtatis, legibus Naturæ & Gentium.

Sextum præceptum uſûs diximus, non niſi *in extremis & difficilibus ſummam Majeſtatis impendere, aliàs partem.* Sic v. g. ſeditione in urbe vel exercitu ortâ non eſt conſultum, totam opponere Majeſtatem, quia ſi à ſucceſſu deſtituatur, non eſt relictum aliud remedium; ſed partes majeſtatis, quibus ſpretis demum integra opponenda. Senſit id Tiberius, ideoque ad tumultuantes in Germaniâ & Pannoniâ legiones, non ipſe ivit, ſed filios, in quibus pars majeſtatis erat, miſit, & cum id vulgi ſermonibus laceraretur, ut obſtinatus nihilominus Romæ maneret, hæc ipſum ratio impulit. Hinc dicit apud *Tacit. l.* 1. *Annal c.* 47. Reſiſtentes Germanico aut Druſo poſſe à ſe mitigari & infringi, quod aliud ſubſidium, ſi Imperatorem ſprevissent?

Septimum præceptum uſûs diximus, *In*

extremis, in quibus ſumma Reipubl. laborat alio omni jure non uti, quàm ſolo jure Majeſtatis; e.g.

Si quis perduellis eſſe deprehendatur,& adverſus Rempubl. conjuràſſe, poteſt ſummus Magiſtratus deflectere ab ordinaria actione,& proceſſu adverſus reum, quia Reipubl. major eſt habenda ratio, quàm legum, & non punitum confeſtim gliſceret ampliùs malum, & dum formulæ legum invocantur, leges perirent. (Exemplum vide ap. *Sueton. in Tito c. 6.* Noſtra ætas ſimilia habuit, ſed ambiguæ æſtimationis: Ut v. g. Mareſchalli Ancræi cædem, de quâ *Gramond lib. 2. hiſtor. Gall p. 156. ſeqq.*) Sanè ſi furem & latronem, ubi Magiſtratus copia non datur, privato cuilibet interficere licet, ſi adultero vitam adimere, longè magis Principi, in ambiguis caſibus, ſine reſpectu legum procedere licebit. Atque eò referendum illud *Cicer.* quando dicit: Leges aliquando non fuiſſe, ut ſemper leges eſſent, i. e. Majeſtatem ante leges fuiſſe, & per hanc ſolutam legibus leges conſtitutas & conſervatas eſſe. Multæ itaque extraordinariæ Principum actiones ex hoc reſpectu ſunt excuſandæ, quæ injuſtæ aliàs videbantur. Dicet verò quis, quomodo ergò culpandus Rex Hiſpanorum, quod propter motus in Belgio ortos deflexerit ab inſtitutis & legibus harum provinciarum? Reſpondeo: Non poteſt hoc reſpectu excuſari. Diximus enim

enim ſuprà §. 16. alias leges eſſe Majeſtatis; alias à Majeſtate profectas, & Principem illis legibus obſtringi, neque eas eſſe violandas, quia omnia inde ſunt, etiam inſtitutio Majeſtatis. Hoc verò loco dicimus de legibus à Majeſtate profectis, quæ mutari poſſunt. At verò Rex Hiſpanorum in leges Majeſtatis peccavit, dum frangere juramentum præſumſit, quo libertatem huic Reipub. promiſerat, ideoque hoc præceptum ipſum excuſare non poteſt, quod negligendas leges dicit in caſu neceſſitatis, ſed non leges Majeſtatis.

Denique *Majeſtatis eſt, eam in Prædeceſſoribus tueri, & pœnam læſæ in aliis habere pro robore ſuæ Majeſtatis.*

Tanti enim fiunt, quanti faciunt eos, quibus ſuccedunt. Quod obſervavit Tiberius, qui omnia Auguſti mordicus ſibi ſervanda exiſtimavit, & quot conſilia ejus erant, tot oracula ſibi reddita credidit *Tac. l. 1. A. c. 77.* Ita Alexander nullam antiquiorem imperii curam habuit, quàm necem Philippi Parentis vindicare. *ſuppl. Curt. l. 1. c. 10. n. 18.* Prudenter Vitellius, quod percuſſores Galbæ puniverit, de quo *Tacit. l. 1. Hiſt. 1. c. 44.* Plures quàm 120 libellos præmia expoſcentiū, ob aliquam notabilē illa die, quâ Galba interfectus, operā, Vitellius poſtea invenit, omnesq; conquiri & interfici juſſit, nō honore Galbæ, ſed tradito Principibus more, munimentum ad præſens, impoſterum ultio-

nem· Nimirum rectè idem *Tacit.* ubi de exitu Galbæ loquitur, *c.14.* ait: Perpetratum tum ſcelus, cujus ultor eſt, quisquis ſucceſſit. *Herodianus* illorum vitam Principum deſcripſit, qui prætorianorum manibus plerique & tantùm non omnes vitam & imperium amisêre, quod ideò eis accidit, quia occiſi imperatoris præcedentis ſcelus hactenus impunitum reliquerant, donec ipſi experirentur eundem vitæ exitum.

Ejusdem Majeſtatis eſt habere potiùs ſubditos & obſequium, quàm mereri.

Meretur ſubditos & obſequium, qui domi gratiam illorum aucupatur. Peccatum eſt ab Imperatoribus Romanis hac in parte, quod, cum non poſſent alio pacto ſubditos habere, domi promerebantur. De Auguſto *Tacit. lib. 1. An. c.2.* dicit, eum populum annonâ, militem donis pellexiſſe. Et de Vitellio *idem. lib. 3. Hiſt. c.86.* Amicitias dum magnitudine munerum, non conſtantia morum continere putat, meruit magis, quàm habuit. Inſtabiles verò maximè tales amicitiæ, & tamdiu durant, quàm dona manent, & memoria eorum non evaneſcit. Quod Galba intellexit, adeoque honeſta Reipubl. ſed ſibi ancipiti voce dicere ſolebat: Legi à ſe militem non emi, *l. 1. Hiſt. Tac. c.5.*

Sed & hæc vis ac hoc jus Majeſtatis eſt, ubiq; inter omnes ſuperiores pares & inferiores agnoſci.

Ab

Ab *inferioribus* agnoſci debet, ut olim certâ formulâ comiter Reipubl. Romanæ majeſtatem obſervare juſſi ejus fœderati, de quâ *Briſſon. l. 4 p. 361.* *A Paribus* quoque debet obſervari: idque præcipuè Legatis obſervandum, ne alteri cedendo, Regis ſui in ſe corrumpant Majeſtatem. Hinc tot quovis in conſeſſu inter Legatum Galliæ Regis, & Regis Hiſpanorum de primatu loci controverſiæ, quas componi optimè hac ratione exiſtimat non nemo: cum uterque ſit Pontificius, & Pontifici Maximo ſubjiciatur, cumque illius jure Eccleſiaſtici præcedant Seculares, ita faciendum eſt, ut quoties Rex Galliarum mittit Secularem, toties Rex Hiſpaniæ mittat Eccleſiaſticum & contra. Et licet tum præcedat Eccleſiaſticus, tamen alterius nihil decedet Majeſtati, quia hoc non datur ei, quod Major ſit, ſed quod ordo hic excellentiam ſibi debitam habeat: Sic nec conventus diſſolvetur, nec Majeſtati præjudicium creabitur. *A Superioribus* quoque maximè debet agnoſci. Hinc confœderati Belgæ nunquam ad tractatus cum Rege Hiſpanorum deſcendunt, niſi ei conſenſum expreſſerint, acturum eum tanquam cum liberis, *Meteran hiſt. Belg. tom. 2. l. 27. p. 408. Grot. de induc. belli Belgici.* licet id multi aulæ Hiſpanicæ eludant, dicantque particulam *tanquam* non eſſe adſeverantis libertatem, ſed tantùm ſimilitu-

dinis. Vid. *Nicoclis Cathol. prop. II. de quæſt. an continuanda duodecennes induciæ.*

CAPUT V.

De Libertate, quid, & quotuplex ſit, populi, quàm illa ſit diverſa, in quo maximè conſiſtat, quomodo deniq; illa ſit conſervanda.

§. 1.

UT Majeſtas ad vim eorum facit, qui imperant, ita libertas ad vim & ſecuritatem eorum, qui obſequuntur.

§. 2. Dicitur verò libertas, & quatenus exterorum, & quatenus ſuorum dominationem ſpectat; hanc libertatem obſequii, illam libertatem Imperii non incommodè appellamus.

§. 3. Libertas imperii, & quà cæteros concernit, eſt poteſtas omninò ſumma, habens in ſemetipſâ, & intra ſemetipſam, plenum & perfectum jus imperandi, adeò, ut non niſi ſoli Deo obnoxia, neque propter ſe parem, neque ſupra ſe quempiam ſuperiorem agnoſcat.

§. 4. Sic

§. 4. Sic populum liberum deſcribit Proculus JCtus *in l. Non dubito §. 1. ff. de capt. & poſtlim. &c. Liber*, inquit, *populus eſt is, qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubjectus, ſive is fœderatus eſt, ſive æquo fœdere in amicitiam venit, ſive fœdere comprehenſum eſt, ut is populus alterius populi Majeſtatem comiter obſervaret.*

§. 5. Adeò, ut illa libertas nihil ſit aliud, quàm ea Majeſtas, quam Reipublicæ eſſe, & dici, ſuperiùs demonſtratum eſt *cap. 4.* Itaque de ea non eſt hîc iterum agendi locus.

§. 6. Libertas obſequii, & qua imperantium ſibi reſpicit dominationem, eſt poteſtas omninò ſumma, & maxima populi, quam indiſſolubili nexu adſtringit ſibi, & obſtrictos habet perpetuò Imperantes, ad ea omnia, in quantum licet, agenda, quæ promovendæ ſaluti publicæ, conſervandæque Imperii Majeſtati faciunt, & explenda, quæ certis legibus & conditioni-

bus, in quas ſub initia Imperii, id adjuratum eſt, definiuntur, & Imperaturis præſcribuntur.

§. 7. Eſtque id, quod in omnium gentium, quavis ætate, votis, ſcriptis, & ore celebratiſſimum, dulce bonum libertatis eſt nomen, quam in ſupremos Magiſtratus, velut imperium, exercent obſequentes, imò & eos ex communi omnium gentium jure imperio exuunt, niſi obſequantur.

§. 8. Duplex autem vis & anima eſt omnis hujuſmodi libertatis, nimirum vel Tacita, vel expreſſa.

§. 9. Tacita, quæ in deferendo Imperio, licet non expreſſa, tamen ſemper expreſſa exiſtimatur. Eſt ea autem *Salus populi*, ut verbo dicam, ad quam conſervandam, promovendam & augendam, ſolo titulo accepti imperii aſtringitur, quiſquis Imperium accepit.

§. 10. Expreſſa eſt, quæ verſatur circa ſingulares & certas quaſdam leges, ac conditiones, diſertim propoſitas

ſitas, quas ſanctè ſe, & perpetuò obſervaturos, Imperaturi ante Imperium, ſolenni juramento teſtantur; quibus, aut Imperantium libidine quædam exemta, arbitrio ſubditorum relinquuntur integra, aut Imperantibus ea ſingulatim mandantur, quæ omninò præſtare tenentur, ac privilegia & immunitates à Majoribus accepta, rata habentur & confirmantur, aut denique quæ ſub præcedentium Imperio gravis aut nimia autoritas fuit, quantum expedit, coërcetur.

ſ. 11. Tacita illa in omnium omninò gentium, quamvis barbararum, judicio invenitur, ac proinde earum etiam, quæ unius ſummo Imperio, nullis legibus aſtricto, ſe crediderunt.

§. 12. Nam populus in deferendo Imperio & obſequio, non poteſt non præſumi, etſi non expreſſerit, intendiſſe publicam utilitatem, adeò ut ex JCtorum præceptis, illud huc traxerim, quod ſibi debitum, quod jus ſuum, in-

utiliter ſibi quis ſtipuletur §. 2. I. de Inut. ſtip.

§. 13. Jure autem gentiū Salus populi imperantibus ſuprema lex data eſt.

§. 14. Sed cum ſub unius ſummo Imperio ſingulatim non eluceat ſubditorum libertas, ejusmodi Principatus & libertas apud Autores ferè opponuntur. Et cum plerumque iniqua ſint ita arbitria Imperantium, ut Tacitus loquitur, res olim diſſociabiles, libertas & principatus, rarò conjunguntur. *in Agric. c. 3.*

§. 15. Nihilominus meritò indignum judicare eum Imperio, ejusque dominationi ſubtrahere ſe poteſt, qui libertatis populi, in ſalute publicâ curandâ, non habet rationem.

§. 16. Expreſſa illa, nec inter omnes nationes, nec inter quas recepta eſt, uniformis aut eadem reperitur, dum pro diverſo gentium ingenio, quædam totam (ſi tacitam libertatem exceperis) ſervitutē, quædam totam li-

berta

bertatem, aliæ nec totam libertatem, nec totam ſervitutem ampleɛtuntur. Itaque alibi plùs, alibi minùs populus ſibi ſervavit, aut Imperantibus permiſit, alibi pluribus pro libertate ſubditorum facientibus legibus autoritas Imperantium coërcetur.

§. 17. Inter libertatis gloriam æſtimantes pro cæteris gentes, leges illæ ad tria capita ferè revocata ſunt.

§. 18. (I.) *Ad ſummam Reipublicæ*: Ne ſcilicet Principibus rerum bellum indicere, pacem & fœdera inire, & ejus momenti alia facere liceat, ſine populi, & eum referentium ordinum, conſenſu.

§. 19. (II.) *Ad opes ſubditorum*. Ne ſcilicet iisdem liceat veɛtigalia & tributa indicere, exigere, his nolentibus & invitis. Ad hæc alibi certus deſcriptus eſt fiſco modus, quo ex utilitate publicâ placuit, non omnia, etiam ob crimen læſæ Majeſtatis, bona damnatorum, ei inferre, ſed certam tantùm

&

& modicam eorum partem. Quin & plerumque Imperantes, Regalia, quæ ſic vocant, aliaque omnia, in quibus vis & opes Reipublicæ ſitæ ſunt, donare, vendere, & alienare alio aliquo titulo, ſine expreſſo populi conſenſu, prohibentur.

§. 20. (III.) *Ad Magiſtratus inferiores.* Ut ſcilicet eos aut nominandi, aut eligendi, ſuâ in urbe, ſuoque in diſtrictu, quævis civium multitudo habeat poteſtatem, ut ne peregrini ad publicos honores promoveantur, ſed &, quod majus, ne Principes movere unquam loco poſſint eos Magiſtratus, quorum curæ commiſſum eſt, providere & inter multa Principum odia, ne libertas populi ullatenus lædatur & minuatur.

§. 21. Nam in iis quidem tribus omnium maximum momentum eſt, ad conſervandam libertatem; ſic enim fit, ut Principes rerum, nec cum diſcrimine exponant libertatem, nec invadant opes ſubditorum, nervos tuendæ liberta-

tis,

tis, nec denique metuere ſibi neceſſe habeant illi, qui adverſum Imperantium multiplices machinationes, ac inſidias, conſtanter tuentur libertatem.

§. 22. Ejusmodi, & ſimilia bona libertatis iſtius, vel initio primo Rerumpublicarum ſervarunt ſibi gentes, quæ ſuos ſibi Principes iis conditionibus ac legibus, elegerunt, vel mutata, ut nonnunquam fit, Rerumpublicarum forma, ac priorum Principum domo, ſubditi ſibi ſtipulati ſunt, vel ab Imperantibus, quorum facilia & ſuorum potius libertatis, quàm propriæ potentiæ augendæ, prona erant ingenia, precibus aut gratis obſequiis obtinuerunt, aut denique ab egentibus Principibus pecuniario ſibi pretio nonnunquam redemerunt, ex eorum inter privatos innominatorum contractuum formula, in quibus eſt: *Do, ut facias.*

§. 23. Itaque libertatis revocandæ, retinendæ, vel augendæ cupidis gentibus, nunquam negligendæ ſunt ejusmodi

modi occaſiones, nam & rarò offeruntur.

§. 24. His verò contractibus, quo Imperantes ſubditis, & hi viciſſim illis obligantur, ſanctam, ſtrictam & immotam fidem illi jubent, neque quicquam illis contraponere licitum eſt: Liberè à Principe quidem ineuntur, illicitè autem à ſolo illo ſolvuntur, quanquam enim non obnoxius videtur civilibus legibus; rationis tamen tenetur, &, ut ut major legibus credatur, nō eſt major contractibus, & mutuis pactionibus, quas iniit cum ſubjectis, quibusque ſe ſubmiſit

§. 25. Quin &, ſi verum fatemur, in iis, ad inſtar privatæ perſonæ ſe habet; & ſubditus, cum quo conventum eſt, jus ſibi acquirit æqualitatis, contractus enim non ineuntur, niſi inter æquales. Et ſanè, quemadmodum jurato Principi obſequio jure deeſſe non poſſunt ſubditi, ita Princeps ſatisfacere cogitur, quæcunque, ejus obſequii

&

& ſui Imperii obtinendi cauſa, ſolenni ritu ſubditis addixit: & cum omnes, maxime hîc Principes tenentur, quorũ cum verba ſingula, vim legis habere debeant, & conſtantiam, nemo ambigat, plus fiduciꝫ in contractibꝰ cum iis ritè initis, ſubditos meritò poſſe collocare.

§. 26. Cæterum huic libertati quovis ſeculo, noſtro inprimis, Tria ſe opponunt maximè.

§. 27. (I.) Ambitio Principum, & non tàm latiùs, quàm acriùs, ſive, ut Tac Hiſt. 4. c. 8.1. loquitur, *ſine fine dominandi libido.* Cùm tamẽn excelſum illud Principis vocabulum, nomen ſit, non uſurpandæ cujuſvis, ſed delatæ, adſtrictæ legibus, & ſubditis profuturæ poteſtatis; *Si libet, licet,* Juliæ conſilium eſt, datũ olim Antonio ap. Spart. c. 10. melius & ſanctius illud juris gentium; Non licere Principi, quod adverſatur illis, de quibus inter Principem & ſubditos convenit.

§. 28. (II.) Adulatio eorum, qui

non

non jam clam ſed palam, vulgatiſque, ingenii, dicam, an nequitiæ, monumentis, Imperantium aures obſtrepunt, docentes, Principes poſſe mutare leges, conſuetudines, privilegia ſubjectarum ſibi gentium, pro alia atque alia temporis ratione, & oblatorum negotiorum diverſitate. Neque eſſe Principum, fidei datæ, legibus, juratiſq; aſtringi, neque enim aliàs futurum inter illos, & ſubditos diſcrimen; Leges infra Principes, non illas ſupra hos eſſe.

§. 29. Sunt denique, qui tradunt, non urgente neceſſitate tantùm, quam facile ſit fingere, ſed nec illa oblata, pro arbitrio integrum eſſe Imperanti ſequi, abnuere, mutare à ſubditis præſcriptas, à Majoribus acceptas Leges & obſervatas, iiſque adverſas edicere & promulgare.

§. 30 Placet pleriſque his rationibus innixum conſilium, & adeò, tanquam augendæ dominationi profuturum, ſequuntur. Tamen eo ipſo non tam

tam plus potentiæ ſibi conciliant, quàm minus ſecuritatis, & novam ſibi fingunt Imperii formam, quâ ipſius faciunt Imperii jacturam. Seu, quod ſentio, dicam. Illa exacta & ſumma poteſtas in victoribus Principibus quidem culpanda non fuerit, ſed ſoli principi adſcribi non debet; aliud enim longè eſt victoris, aliud Principis manu, Rempublicam moderari. Victori quidvis licet, niſi quod ipſi licet nihil, quo jus gentium violatur. Principi autem tantummodo licet, quantum ei populus voluit licere, itaque id non licet, quo libertas Reipublicæ, legibus certis deſcripta, & jurejurando confirmata, violatur.

ſ. 31. (III.) Libido Principum, qui accepto, in diverſas ſitu, ac inſtitutis, gentes, Imperio, ſub unâ eâdemque maximâ, acerrimâ dominatione, omnes cupiunt continere. Et nihil hoc aliud eſt, quàm ea, quæ diverſæ magnitudinis ſunt, ejuſdem ſpacii angu-

guſtiis velle includere, id quod cum ipſa etiam pugnat natura, ut diverſa non ſint vel maneant, quæ tamen diverſiſſima ſunt.

§. 32. Mutant ſæpè Respublicæ Principes, ſed cum Principibus, quantùmvis latè exporrecta ſint alia eorum Imperia, non mutant libertatem; ſed à Principe non accipiunt aliarum, illi ſubjectarum gentium leges, ſed ſuas præ ſe ferunt, easq; non commendant tantùm Principi, ſed jure & autoritate publicæ libertatis, eas necesſariò ſequendas, etiam præſcribunt.

§. 33. Verùm cum plerisque Principum corrupta hæc, & iniqua manent, & adulantium potiùs nequitiam, quàm juſta ſubditorum deſideria ſequuntur, proin ſingulari quadam, in tuendâ libertate, curâ eſt opus, quam omnem triplici hoc præcepto includimus.

§. 34. (I.) Concors & pertinax inferiorum Magiſtratuum libertas, in tempeſtivè præveniendis, & magnitu-

dine

dine idoneâ, tàm animi, quàm oris, refutandis, omnibus, quibus aliquid decedere poſſit populi libertati. Maximum hujus eſt munimentum, atque huc vocaverim illam Annal. 13. c. 49 à Tacito laudatam, cujusque egere Romanam Rempublicam, dicebat Pætus Thraſea, cujusque in tanta ſervientium patientia, totque malas Principum artes, totius jam orbis Imperia egent, Senatoriam libertatem.

§. 35. (II.) Nunquam principi etiam optimo, quicquã, etiam minimum, concedatur, quod libertati adverſetur; neque enim minimum videri debet, quod facilis, quod Principibus magis indies blandientis, quod denique in majoribus maximè nocituri exempli; ſi tamen contrà urgeat ſubinde neceſſitas, adverſum quam nulla conſilia reperta ſunt, aut Leges, neceſſitate expreſſum peſſimum exemplum, eâ remotâ, damnetur ſtatim, & tollatur.

§. 36. (III.) Vis ſemper diſtinguenda

da eſt ab umbrâ libertatis, hâc enim maximè libertatem gentium invadunt Principes. Umbra verò libertatis eſt illa, primo aſpectu pulcherrima matrona, quæ tamen in ſinu ſerpentem tegit, quâ Imperantes vim ſubditis negant, ac ſpeciem tantùm, & nomen relinquunt libertatis, in qua ſunt illa Tiberiana ſub fin. Annal. 1. Tacito memorata, ſpecioſa verbis, re inania, aut ſubdola quæ, quanto majore libertatis imagine teguntur, tanto ad infenſius ſervitium tandem erumpunt. Neque fallet umbra libertatis, ſi in iis, quęcunq; petunt, aguntve Principes, ſeriò attendatur, quantum è Republicâ, & ejus libertate, ut alibi loquitur Tacitus l. 4. A. c. 53. petatur aut agatur.

EXPLANATIO.

QUam dedimus §. 3. definitio libertatis vera & genuina eſt primævæ illius imperiorum Majeſtatis & libertatis. Cum enim imperia aut primæva ſint, aut ab his deducta & derivata; Nos de primævis potiſſimùm hoc loco agimus, quæ potiſſimùm occupationibus conſtituta. At verò quia qui occupat, non alie-

aliena, ſed vacua occupat, ideò ſuperiorem habere non poteſt, quia nemo eſt, qui in eum jus prætendere poteſt. Mutata tamen poſthæc libertas imperiorum primò vi, quando bellis ſubacti ſunt, qui vacua occuparunt. Atque ita cuncta ſunt plerumque imperia, ita Romani multis libertatem hanc eripuerunt, ut imperium ſuum dilatarent. Deinde poſtquam Reges potentiores Principes ſibi confines fœderibus, conjugiis & cœteris juſtis & injuſtis titulis, & modis regno ſuo cũ principatibus conjungere cœperunt. Sic Hiſpania in plurima parva regna diviſa fuit, quibus ſinguli Principes præerant, nunc variis modis quæſita unius ſubeſt imperio. Veneti ſoli ferè ſunt, qui hanc libertatem à condita Republ. ad hoc uſque tempus integram ſe habuiſſe jactent verè; cujus libertatis eorum, ut & cœterorum Imperiorum, duo ſunt fundamenta. Primum eſt in territorio poſitum, quia cum occupaviſſent illa, quæ nullius, ſed vacua erant, nemo in eos prætendere jus poteſt. Alterum, quod Legati, Præfecti exercituum, Urbani, & omnes reliqui Magiſtratus præſtitutas habent prudentiſſimas leges, ſecundùm quas, non ſecundùm arbitrium ſuum cùm agant, vix ita impingere poſſunt, ut libertati præjudicium inde quæratur.

Diximus ex libertate obſequii populum obſtrictos habere imperantes, ad agenda hæc vel

illa, idque ſub certis legibus,quia pro diverſitate ingeniorum, diverſas eſſe rerumpubl. formas docuimus cap. 2. §. 15. Et quia hæc libertas maximè in imperiis per electionem conſtituris valet, ut Imperantium in occupatis.

Quæ totam adeoque integram libertatem amplectuntur gentes, ut §. 16. dictum, obſequuntur ei ſemper, cui volunt, ſummæ rerum præficiunt, quos cupiunt, atque eos ſummâ rerum dejiciunt, quibus non volunt ampliùs parere. Hæc libertas facilè in licentiam flectit, dum in arbitrio omnium verſatur. Talis libertas in ſolo Democratico ſtatu reperitur. Hinc ab *Ariſt.l 6.Polit.cap.2.* duo ſigna, ex quibus de populari ſtatu judicandum, proponuntur: 1. Quando omnes viciſſim imperant & obſequuntur,quod non ita accipiendum eſt, quaſi turba quædam ſit imperantium in hoc ſtatu, ſed quod omnibus aditus ad imperium pateat. Ut ergò quælibet forma habet fundamentum ſuum; ita Democratia habet jus æqualitatis. 2. Arbitrium & licentia vivendi ex cujusque voluntate. Quia enim ſervitus eſt ex alterius vivere ſententia, ſummam eſſe libertatem apparet, ubi vivitur, prout cuiq; placet, atque hinc naſcitur æqualitas libertatis,ſed hæc libertas facilè in licentiam abit. Hinc nulla forma Reipubl. Democratiâ eſt inferior, dum enim omnes pares ſunt, obſequium ab imperantium poteſtate vix diſtinctum eſt.

Hinc

Hinc confuſionem & poſt turbas ac diſſenſiones naſci oportet. Præterea nullum fixum fundamentum Democratia habet, qui pro hujus vel illius admoti imperio & conſilio variè agitatur. Inter hanc ergò libertatem, & illam, quæ cæteris Reipubl. formis ineſt, hoc intereſt, quod inter navem gubernaculo carentem fluctibus permiſſam, & illam, quæ gubernatorem quoque habet.

Huic autem malo evitando reſtricta eſt à plerisque gentibus, & coarctata libertas, ſed ab aliis plus, ab aliis minus, ut eodem 16. §. extat: ita ut jam quidem non habeant poteſtatem agendi, quæ volunt, ſed poteſtatem illam ſponte ſuâ alteri transſcripſerint & mancipa-rint. E.g. In primordiis Reip. Romanæ omnes, qui ad Aſylum confugerent, pari libertate gaudebant, ſed hæc poſtea reſtricta fuit, poſtquam eam Romulo transſcripſerunt. Talis libertas populi eſt in Monarchico & Ariſtocratico regimine, ubi non poſſunt omnes agere, quod volunt, ſed poterant agere quod vellent, antequam ſummam rerum uni aut paucis detuliſſent.

Libertas tamen vocatur, quia ſponte aliis conceſſerunt poteſtatem, licet tenuis valdè ſit & exigua. Hinc *Tacit. lib.1.Ann. cap.1. Regnum & libertatem* opponit: *Urbem Romam à principio Reges habuere, libertatem & conſulatum L. Brutus inſtituit.* Quod dictum de-

ſumma Majeſtate intelligendum, quia etiam ſub Regibus conſtitit Romanis ſua libertas, licet cum hac vix comparanda. Maxima ergò appellari reſtricta libertas debet, non quod maxima, ſed quod optimè collocata (*Vid. Dion. l.44 init.*) Idq; ipſum fit non uno modo. I. Cum arbitrio Imperantium tantùm committitur. Hoc eſt quod totam ſervitutem (tacita libertas ſemper excipitur) quibusdam gentibus placuiſſe dicebamus. In Regno ſcilic. etiam eſt libertas, ſed potius reſpectu Originis, quia transſcripta eſt Regi, quæ antea populi fuerat, quàm uſus. Quia principes non tàm cogitant ſe eam accepiſſe, ut non audeant conceſſâ eâ poteſtate abuti. Ita nempè hìc fit, atque cum ſeipſum quis vendit in ſervitutem. Talis in ipſo puncto vendendi oſtendit habere ſe libertatem, quia de ſe ipſo diſponit; At ubi ſe vendidit, totus cum ſua libertate venit in Domini poteſtatem, qui ſæpe nihil curat id, quod antea liber fuerit. Itaque libertas reſtricta libidine imperantium perire ſolet. Hinc *Tacit. in Agric. cap. 3. res diſſociabiles* vocat *principatum & libertatem.* Ratio tamen libertatis poteſt etiam ſub principe obtineri, cui ſuprema lex Reipubl. ſalus eſt, licet enim & tum ſequenda juſſa & auctoritas principis, libertas tamen non minui videtur, quando ejus cura quoquo modo habetur, quod Reipubl. bonum promovet. Sic de Veſpaſiano *Tacit.*

cit. 3. Annal. cap. 55. notat: *Præcipuus adſtricti moris auctor Veſpaſianus fuit, antiquo ipſe cultu victuq́;: Obſequium inde in principem & æmulandi amor validior, quàm pœna ex legibus & metus.* Talis verò reſtrictio, de qua nunc loquimur, maximè in Imperantibus apparuit: Exemplum in Tiberio eſt, quem *Tac. l. 2. An c. 51.* Lætatũ ait, cum inter filios ejus & leges ſenatus diſceptaret, & poſt addit, victam eſſe legem, nempe favore filiorum *Principis*, qui Principes quoque expectabantur.

Secundo modo reſtringitur, quando potentia partim legibus, partim Imperantium arbitrio permittitur. Atque hæc libertatis ratio in pleriſque Europæ regnis obtinet, præcipuè autem in Gallia, ubi aliquid commiſſũ legibus, ad tuendam libertatem, aliquid etiam Regibus, ad tuendam Majeſtatem. Parlamentum apud illos eſt ſupremũ de rebus judicium, in quo optimates de reipubl. rebus omnibus ex legibus conſultant: ſed id celebrari, niſi à Rege indictum, non poteſt, & quicquid ab illis conſtitutum, Rex approbare debet.

Tertio modo reſtringitur libertas, quando pro libertate ſubditorum facientibus legibus auctoritas imperantium cohercetur, adeòque tota legibus tantùm permittitur, quę leges Fundamentales à Politicis vocantur, quæ ab ævo ſemper inter omnes gentes fuêre, per quas

factum, ut omnibus ſua conſtaret æqualis libertas, licet regerent alii, alii obſequerentur. Cum enim libertas illa in illo conſtaret, quod ſolis & ſuis parerent legibus, & neque Magiſtratus quid præter has præciperet, utut obſequium contra illas deferretur, nihil in præjudicium libertatis cedebat. Item quia legibus his parere libertatis erat, & parere eis tàm Imperantes, quàm obſequentes debebant, par libertas utrorumque fuit. Veneti ita totam Rempubl. ſuam legibus permiſerunt, nihilque permiſſum in effectum dare, niſi quod legibus prius deciſum fuit. Idque Germanis quoque antiquis uſitatum, qui habebant Reges, ſed tales, qui legibus obtemperarent, aut ſi leges non eſſent, ſaltem conſenſui populi. Quod ex formulis loquendi, quibus Tacit. de German. utitur, apparet, c.7. de M. G. Regibus apud ipſos non eſt infinita aut libera poteſtas. Et cap. 11. Præſunt illis Principes, auctoritate ſuadendi magis, quàm jubendi poteſtate. Batavi quoque ſuos habuere Reges. (Hinc Tacit. Civilem Regiæ ſtirpis ait 4. H.c.13.) ſed non minus legibus obligatos, quàm Germani (Vid. Grot. de antiq. reip. Batav.) Imò poſterioribus temporibus ſub Comitibus eandem libertatem obtinuêre, ita, ut ſi etiam tributa ab iis Comites exigere vellent, tributorum nomine abſtinerent, & nomine precum uterentur. Hinc in plurimis inſtrumentis vox Beten (preces) reperitur, quæ tribu-

tributa ſignificat. Hiſpani verò ex Hiſpanorum ingeniis de Belgis quoque idem judicantes peccarunt, ignorantes, ejusdem Regis ſubditos diverſo modo tractandos eſſe.

Ut autem perſeveret hæc reſtricta Libertas, conſtantia harum legum maximè propugnanda, ne unâ læsâ omnium autoritas & reſpectus labefactetur. Cujus rei accuratisſimè à Venetis habetur ratio, atque ex his tribus expoſitis modis plurimum libertatis habet, quem poſtremo loco expoſuimus. Interim prudenter mihi videntur inſtitutæ illæ respubl. quæ principem & leges ſimul habent, ut in illo ſpecies, in his vis Majeſtatis conſervetur.

Quæ porrò *imperantium arbitrio permiſſa eſt libertas, manet & cuſtoditur, cum æqualitatem arbitrii quaſi reddit illis, qui tradiderunt.* In æquitate itaque cuſtodia & conſervatio legis conſiſtit, quæ æquitatis ratio optimè conſervatur, ubi admotus imperio non *Dominum* ſe, ſed *principem* meminit. Quod de *Trajano* dixit *Plinius*, adeoque Dominum & principem ſemper opponit, *Panegyr. cap. 55. & 88.* Sed dicat quis; vanam eſſe hanc, aut nullam libertatis conſervationem, cum nihil ſit, quod ad arbitrii æquitatem cogere poſſit eum, qui omnium rerũ arbitrium accepit? Reſpondemq́, frænum tamen aliquod injectum eſſe Imperatoribus, quod metum appellavit *Ariſtoteles*, qui oritur ex eo, quod metuant, ne pertæſi ſubditi

injuſtorum imperantium, ne juſta quidem velint ferre, & tum facilè dejiciant de ſumma rerum, quemadmodum liberè libertatem ſuam iis mancipavêre. Atque hinc apparet, veriſſimum eſſe illud dictum, *boni cauſam ſæpè eſſe metum mali.* Attendendum autem maximè eſt ſubditis ad hanc rem, ut odium iniqui præ ſe ferant, & ſic Principi neceſſitatem imponant parendi æquitati, quod maximè & optimè fiet remota adulatione. Per adulationem autem (de cujus pernicie etiam *th. 28.* dictum eſt,) aufertur metus Principibus, quo ſublato, aufertur quoque cura æqui arbitrii. In Rep. Romanâ quàm primùm ad adulationes deventum, quod præcipuè Tiberianis temporibus factum, ſtatim concidit omnis Reipubl. libertas; quod mirum eſt, non intellexiſſe populum Romanum, cum ipſe Tiberius intellexerit, qui, quoties curiâ egrederetur, eloqui ſolitus eſt: *O homines ad ſervitutem paratos! Tac. l. 3. A. c. 65.* Hinc idem *l. 6. An. in fin.* hoc de Tiberio fert judicium: *Morum tempora illi diverſa: Egregius vitâ famâque, quoad privatus, vel in imperiis ſub Auguſto fuit: Occultus ac ſubdolus fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Druſus ſuperfuêre. Idem inter bona malaq; mixtus incolumi matre: deteſtabilis ſævitiâ; ſed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit timuitve. Poſtremò in ſcelera ſimul*

ac

ac dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore & metu ſuo tantùm ingenio utebatur.

Sed *Legibus permiſſa libertas cuſtoditur dupli- ci modo: 1. Pertinaci legum Conſtantia.* Cum enim leges ſint libertatis, non debent vacilla- re, ne ipſa quoque vacillet libertas. Quod ma- ximè eſt Magiſtratibus obſervandum. Legis enim ipſius natura id requirit, cùm talis eſſe debeat cuſtos legis, qualis ipſa lex, atque verè ille dixit legem eſſe Magiſtratum ſine affectu. Reſpiciendum itaque eſt Magiſtratibus, ne cu- jusquam reſpectu legis tenorē mutari patian- tur. Tàm accuratè autem hæc conſtantia le- gum obſervanda, ut præſtet in perſonam alì- quam privatā peccare, quàm vel minimam pati legis immutationem, quod non ita multis abhinc annis Venetiis factum. Senatoris nem- pe cujusdam amanuenſis pòſtquam probè ma- num Domini imitari didiciſſet, Romam à Do- mino fugit, tum ab inimicis illius Domini conductus literas ſcribit ad Hiſpanum & cæ- teros Italiæ Principes, quibus Senator ille, promittere videbatur, ſe partem libertatis Ve- netæ proditurum. Factum pòſt conſulto, ut hæ literæ intercīperentur à Venetis, qui poſtquam eas inter ſe communicaſſent, vocari ſenato- rem jubent, oſtenſa ſola nominis ſubſcriptio- ne, num ejus manus ſubſcripta ſit, quærunt? Af- firmantem rapi, & ex aureo patibulo in foro D. Marci ſuſpendi curant. Patefacta poſtmodum

fraus, & cadaver ejus erutum honorificentiſſimè ſepultum eſt. Meritò itaque tanta cura & cuſtodia eſſe debet Legum iſtarum, cùm maximum ſit beneficium legum in Remp. quæ quamdiu integræ ſunt in Rep. tamdiu libertatem ejus aggredi vix audent, qui everſam aut occupatam volunt. *Tac. l.1.An. c. 2.* dicit prius *legum auxilium vi, ambitu, pecuniâ* turbatum, & tum demum *Auguſtum munia Magiſtratuum, Senatus, LEGUM, in ſe traxiſſe.* Ultimum ergò ſubditis maximè cavendum, ubi Magiſtratus legum munia in ſe trahunt. Munia verò legum in ſe trahere duo ſignificat 1. *loco legum arbitrio ſuo uti*, 2. *Novas leges ferre, quibus conſilia ſua confirmentur, Veteres verò & approbatæ leges infirmæ reddantur.* Tiberius poſteriori præcipuè modo munia legum in ſe traxit, qui cum ſciret lege cautum, ne ex ſervo in Domini caput quæreretur, juſſit ſervos actori publico emancipari, quia ſciebat, multum ſuæ ſecuritati acceſſurum, ſi per ſervos & occulta & privata Dominorum arcana expiſcaretur. Hinc eum *Tacitus Novi juris repertorem* vocat *l.2. A.c 30.*

II. *Cuſtoditur libertas legibus permiſſa, cenſoriis Magiſtratibus introductis*, qui ſunt Magiſtratus in Magiſtratus conſtituti, qui inquirunt rationes Magiſtratuū, & ſi quos legi libertatique adverſari deprehenderint, ad eos, quorum intereſt, deferunt, ſic ut hoc pacto ratio,

qua-

quaſi geſti imperii à ſummis etiam Magiſtratibus exigatur; quod maximè à *Cicerone* laudatur, qui rationem geſti imperii reddere, optimam rationem conſervandi imperii dicit. Ad id ap. *Lacedæmonios* accuratè attendebatur, & omnes Magiſtratus ad rationem geſti imperii reddendam aſtringebantur. Ap. *Romanos* etiam licebat *Tribunis plebis* Conſuli diem ad populum dicere, poſtquam imperio abiiſſet, ut imperii geſti rationem redderet populo.

Dictum eſt §. ult. *Cavendum vel maximè ſubditis & imperantibus, ne umbra libertatis fallantur. Umbra autem libertatis eſt, ubi Imperantes negata vi libertatis, nomen ejus ſubditis tantùm relinquunt, quamvis & umbra libertatis ſit, ubi ſubditi ficto aut falſo nomine Imperantibus vim inferunt prætextu libertatis.*

Nempe apud ſubditos ut pictis crepundiis pueri, ita umbra rerum vulgus facilè decipitur. Quod conſiderare licet in Rep. Romana ſub Cæſaribus ab initio, in qua omnes, cùm eſſent in ſervitute, liberos tamen ſe exiſtimabant. Atque hac umbra potiſſimùm eos decepit Auguſtus, quem *Tac.* ait Veterem ſemper prætuliſſe Remp. quia eadem Magiſtratuum nomina ac vocabula reliquit, cum vim tamen omnem & poteſtatem retineret. Nomine quoque Principis uſus, ne videretur nimis præ cœteris eminere, ſed in ſenatorio ſolo ordine eſſe, Princeps verò primarius Senator dicebatur

tur *l. 1. A. c. 1. 2. & 9.* Belgæ quoque ſpecie hac & umbra libertatis ab initio decepti ab Hiſpano. Licet enim Hiſpani præponerentur illis Magiſtratibus, quorum maxima vis in Rep. erat, Belgis tamen tribuebantur Magiſtratus, quorum licet non tanta vis, nomina tamen non minus honorifica erant. In Legationes etiam primarias Belgæ ad exteros miſſi, ut & abeſſent,dum Reip.libertas occupatur, & ſumptibus exhauſti, minus potentiæ ad reſiſtendum haberent; eodemque conſilio ex Nobilibus Comites facti, ut auctis titulis, nec auctis opibus, tantò faciliùs ad paupertatem reciderent.

Et tamen Principibus quoq; cavendum, ne umbra libertatis decipiantur: ſæpè enim rebelles libertatis nomen rebellioni prætendere ſolent. Qua de re *Tac.l.11. Ann. c.19.* Falsò libertatis vocabulum obtenditur ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei, niſi per diſcordias habent. Vetus ſc. arcanum eſt, ſpecioſa nomina peſſimis rebus indere. Et Turbamenta vulgi ſunt, libertatem & ſpecioſa nomina prætexere, apud eund. *l. 4. H. c. 73. f.*

Umbra libertatis nec Imperantes nec ſubditos deceptura eſt, ſi in ſingulis imperantium & ſubditorum poſtulatis & actis ad id unum attendatur ſemper, nimirum quantum quis è Rep. petat aut agat.

Ad

Ad hanc regulam probè attendebat Tiberius, qui in omnibus reſpiciebat, ut omnia, quæ fiebant, facerent ad ſuæ Majeſtatis augmentum: Ita cùm Agrippina ſibi maritum dari poſtulaſſet, negavit Tiberius, non ignarus, quantum è Rep. peteretur, *Tac. l. 4. A. c.* 53. Norma ergò omnium actionum in Rep. ipſa Reſp. eſſe debet. Aliàs malæ ſunt omnes actiones & reprehendendæ, malè quoque cum Rep. agitur. Hinc Julius Cæſar, cum videret, non attendi ad Remp. in deferendis dignitatibus, Remp. ſine capite eſſe dixit. Quomodo autem libertas imperantium detegi poſſit, *Tac. l. 1. Ann. c.* 74. in Piſone oſtendit: Dixerat Tiberius, quadam in cauſa ſententiam dicturum; introſpexit in id Piſo, & vidit eò tendere, ut, eo prius dicente, omnes ejus ſententiæ aſſentirentur. *Manebant,* inquit, *Tac. etiam tum veſtigia morientis libertatis. Igitur Cn. Piſo: quo, inquit, loco cenſebis, Cæſar? ſi primus habebo, quod ſequar, ſi poſt omnes, vereor ne imprudens diſſentiam.* Maxima autem libertatis umbra eſt, differre libertatis uſum. Nam penitus eam negare, Tyrannidis eſſet, quod maximè eſt cavendum Principibus, præcipuè ab initio Principatus, ubi ſuavia ad alliciendos vulgi animos uſurpanda. Hac umbra deluſi Belgæ ab Hiſpanis. Cùm enim illi per ſupplices libellos uſum privilegiorum expoſcerent, in Hiſpania nunquam negatus fuit, ſed in Belgio nunquam

conceſſus. Ne autem tali umbra ſubditi decipiantur, ab initio ſtatim huic rei occurrere debent. Difficilè enim & ſerò ſemel amiſſa libertas revocatur, non tantùm reſpectu imperantiū, qui, ubi ſemel eam occupavêre mordicus apud ſe retinent; Sed & ſubditorū, quorum animi asſueti ſervituti, minùs ſunt libertatis curioſi. Quod *Tac. 1. An. c. 2.* notavit, np. *Auguſtum omnia in ſe traxiſſe, nullo adverſante; cum ferociſſimi per acies, aut proſcriptione cecidiſſent. Cæteri nobilium, quantò quis ſervitio promtior, opibus & honoribus extollerentur: ac novis ex rebus aucti, tuta & præſentia, quàm vetera & periculoſa mallent.*

CAPUT VI.

De jure dominationis, quid illud ſit? Quomodo id ſalva æquitate ab æquitate ordinarii juris deflectat? qui deniq; ejus ſupremi termini & leges?

§. I.

SIcut pro populo facit libertas, pro Imperantibus Majeſtas; ita hæc adnexum ſibi habet jus dominationis. Quod licet ab ordinario privato-

que

que jure nonnunquam deflectat, libertatem ſuam eo lædi, aut minùs curæ Imperantibus eam eſſe, ſubditi non debent arbitrari.

§. 2. Nam ſicut in rerum, Imperiique adminiſtratione, non licet ſemper, ſui privatim commodi, ſibique jure debiti, habere rationem; quæ tamen vitio Magiſtratuum offecit ſemper, officietque publicis negotiis, (dicente Tacito *l. c.*) ita ſubditis, ſi rectè ſentire velint, fas non fuerit, de Magiſtratibus, jure dominationis, ſubinde publica privatis præferentibus, quicquam ſeciùs judicare. Itaque quid, quantumque eo liceat, nunc dicendum eſt, niſi quod ante omnia ſcienda illorum ſententia veniat, qui nullum admittunt jus dominationis.

§. 3. Ajunt illi: Aut ſtatuit aliquid Magiſtratus ſummus contra leges divinas, & naturales, vel contra jura contractûs, & pacta Reipublicæ, inter eum & ſubditos inita, & iniquè,

nec

nec jure id facit; aut nihil facit contra leges prædictas, & jura, ſeu pacta, & dubium non eſt, quin, vi ſummi Imperii, id facere poſſit. Addunt, quod ſi igitur ſummus Magiſtratus aliquid decernat, jubeat, vel conſtituat, quod legibus naturæ ac divinis & conventis Reipublicæ non adverſatur, quis nō credat, id omne jure Magiſtratûs & ſummi Imperii ab eo fieri poſſe, nec opus eſſe peculiari jure dominationis?

§. 4. At verò, ut à ſummis Magiſtratibus nihil naturæ, nihil gentium juri, nihil pactis, in quæ ſingulatim conventum eſt, derogari poſſe judicamus; ita ab aliis civilibus legibus, ubi Reipublicæ ratio id flagitat, deflectere eos poſſe, arbitramur, idque eorum jus eſt dominationis, & vis Principis, ut 5. *Annal.c.5. Tacitus* loquitur.

§. 5. Eſtque tàm neceſſarium & receptum inter gnaros Rerumpublicarum ſapientes id nomen, quàm neceſſarius, & receptus eſt uſus. Cùm enim civi-

civile jus, & proprium ſingularum Rerumpublicarum, pro anguſtiis ſuis, omnibus non poſſit temporibus accommodari, ac primi ejus autores, ſuorum potiùs, quàm ſequentium temporum habuerint rationem, nec habere potuerint, ob alios atque alios, qui inexpectati quotidiè afferuntur, caſus, quos ubi receptâ non licet, quâvis utili in publicum ratione diſpellere, eſt neceſſum: Jus illud dominationis ab omni retrò ævo, & omnes inter gentes laudatum eſt liberrimas.

§. 6. Sicut igitur jus naturæ corrigitur à jure gentium, jus gentium à jure militari, jus militare à jure legationis, legationis à jure civili; ita hoc jus civile corrigitur, & quaſi frenum ſibi injici patitur à jure dominationis, ut rectiſſimè *lib. 4. c. 1. Clapmarius* eſt locutus, niſi quod parem aſſenſum non mereatur id, quod adjicit, juri dominationis omnia cedere jura; cedunt enim civilia & communia tantùm, non divina, non gen-

gentium, non illa, quæ ſibi ſemper integra, nulloque modo violanda, populus ſervavit.

§. 7. Arctiùs definit, & rectè, jus dominationis eſſe ſupremũ quoddam jus, ſive privilegium Imperantium, bono publico introductum, contra jus ordinarium, ſeu commune c. 2.

§. 8. Æquitas ejus, non ex privatis, ſed publicis rationibus, non ex ordinario jure, ſed, ſi iſto non liceat uti, aut ex ejus uſu incommodi aliquid acceptura ſit reſpublica, extraordinario neceſſarioque jure, quo & mala meliùs, quàm ordinario præveniri, aut longè majora commoda in Rempublicam derivari poſſint, metienda eſt. Quod à populo, & ejus fautoribus non ſatis diſtinguitur, qui jus dominationis ad privati juris rationes exigunt, ideoque, ut iniquum & tyrannicum, averſantur.

§. 9. Privatæ rationes ſunt, quæ Titii aut Mævii; publicæ ſunt, quæ

non

Digitized by Google

non tàm ipſorum, quàm omnium potiùs, & ſæpè cum privatorum iſtorum damno, reſpiciunt utilitatem.

§. 10. Privatas rationes accuratè obſervant judices, publicas autem, privatis poſtpoſitis, ubi aliter fieri non poteſt, ſupremi Magiſtratûs, qui, ſi boni ſunt, privatas nunquam negligunt, ſi pariter publicis poſſit ſatisfieri; Publicas autem, ſi prudentes ſint, ſemper præferunt, ubi non, niſi privatis rejectis, Respublica poteſt juvari. Adeò, ut jure, ſive arbitrio dominationis, æquiſſimum ſit, quod ordinario & privato jure iniquum eſt, ac hujus reſpectu, aliquid ex iniquo illud trahere à *Tacito l. 14. A. c. 44.* eſt affirmatum.

§. 11. Non tamen idcirco, cum *Clapmario c. 2.* legitimam Tyrannidem appellandam cenſeo, neque enim Tyrannis legitima dici poteſt, neque idem ſunt, Tyrannis, & jus dominationis, cùm hoc ad conſervandam, illa ad ſubvertendam ſit comparata Rempu-

Rempublicam. Neque interim abnuerim, in Tyrannidem facilè illud poſſe deflectere, ſi quis facilè ſequatur, à *Clapmario*, & aliis, in medium introducta exempla, in quorum nonnullis flagitium potiùs agnoſco, quàm jus dominationis.

§. 12. Certi tandem limites definiendi ſunt nobis, intra quos omnis æquitas neceſſariò ſe conſtringit. Sunt autem iſti fines imprimis, (I.) Salus & ſecuritas totius Reipublicæ. (II.) Maximè urgens neceſſitas. (III.) Rei, in quâ jus dominationis uſurpatur, magnitudo.

§. 13. Salus Reipublicæ facit, ut jus dominationis juſtum ſit, non quod hactenus, & ordinario jure receptum eſt, ſed quod maximè Reipublicæ in præſens eſt ſalutare, & lex ac agendi ratio, quantumvis nova, & veterem ſubvertat, & quibusdam privatis noxia ſit, tantò minùs, imò eo ipſo nihil iniquitatis habet, quantò in commune plus utilitatis confert. Salus enim populi ſuprema

prema

prema lex eſto. Itaque poſt eam ſunt receptæ ordinariæ leges, Si iis Respubl. non poſſit juvari, expedit etiam omnia potius in ſingulos agi, quàm omnes in periculum adduci, & omnium ſalutem ſingulorum anteponi. Nam quicquid hîc in ſingulos peccatur, reſpectu juris ordinarii, & privati, utilitate in publicum rependitur, quam ſic impendit & promovet, nec aliter obtinere poteſt jus dominationis.

§. 14. Neceſitas præſcribit ſæpè novas potiùs inducendas Leges, novasque agendi rationes, quàm veteres & receptas ſequendas, ſi novis illis Respublica magis juvari, aut ſolis illis, incumbentia mala non poſſint averti. Namque illam necesſitatem hîc intelligimus, quæ nulla ratione poteſt declinari, ac ita præſentem rerum faciem mutat, ut, niſi totius Reipublicæ jacturam facere velimus, mutatione opus ſit veterum quorundam inſtitutorum.

§. 15. Magnitudo rerum facit, ut

juri

juri dominationis non ſit locus, contra jus ordinarium, niſi iis in rebus tantisque, ex quibus, uſurpato jure dominationis, longè plus commodi eſt, quàm ex rejecto ordinario jure, incommodi in ſingulos quosdam & privatos poteſt derivari. Proportio quippe inſtituenda eſt, inter malum, quod, poſtpoſito jure ordinario, quibusdam privatis infertur, & bonum, quod, illo dominationis ſuffecto, in Republica obtinetur: hoc autem, ut maximum ſit, neceſſum eſt, & hanc ob cauſam omne ex jure dominationis profectum magnum exemplum appellare *Tacitum* crediderim *l. 14. Ann. c. 44.* §. 7. *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum. Magnum exemplum*: quia in rebus maximis tantùm occupatur; *ex iniquo*; ſi ad rationes privatas expendatur, non ſi ad publicas, quod jam dictum.

§. 16. Ex quibus omnibus certò colligitur, quæ cenſenda ſint flagitia domi-

dominationis, quæ juri dominationis opponitur, & *Arruntius* vim dominationis apud *Tacitum l. 6. c. 48.* appellavit, eaque convulſum mutatumque Tiberium arguit; cum enim ſupremi Magiſtratus ab æquitate ordinarii juris decedunt, non urgente ſalute publicâ, neceſſitate, & magnitudine rei; cum in eo privatæ ſuæ, & ſuorum, non verò publicæ, habent rationem; cum ſolius crudelitatis & libidinis explendæ cauſâ id faciunt, cum denique divinum *Numen*, pudorem, fidem, (quæ frena ſunt juris dominationis) negligunt & poſtponunt, pro laudato jure iniquiſſima admittunt, & exercent flagitia dominationis.

EXPLANATIO.

QUum arbitrio quorundam reſp. relicta ſit, de æquitate ejus dicere opus eſt. Nimirum cum juſtum & injuſtum imperium conveniant in eo, quod unius in utroque ſit arbitrium, differunt tamen æquitate arbitrii, quod diſcrimen benè in *Vita Agricolæ Tac.* deſcripſit, ubi de diverſitate Imperii Domitiani ac Trajani agit *initio & fine libri.*

Diximus jus dominationis eſſe ſupremum quod-

quoddam jus §.7. Quod acutè & eleganter *Clapmar.* expresſiſſe ſe putavit, dum legitimam tyrannidem appellavit. Tyrannidem, quia in unius arbitrio verſatur, legitimam tamen, quia jure hoc arbitrium introductum ſit. Rectiùs cum *Alciat.* apud eund. juris communis quædam relaxatio ſive correctio dici poteſt, & ceu imperantis privilegium. Nam quemadmodum quibusdam civibus privilegia dantur, quæ in unius aut alterius commodum cedunt, ita hoc publicum eſt privileginm, quia omnium bonum procurat atque utilitatem. Verum itaque, quod addebamus §. 10. licet quid jure privato iniquum ſit, jure dominationis æquum videri poſſe. Aliæ enim fori ſunt, aliæ Regis actiones; aliæ juris, aliæ judicis. Et id ideò obſervandum, ne ex privatorum actionibus de Principum conſiliis judicetur. Ut enim duæ diverſæ magnitudines uno vaſe uni harum accommodato comprehendi non poſſunt, ita nec privatus ingenio ſuo utrumque hoc privatorum & Principum agendi conſilium comprehendere poteſt. Unde videmus, gravisſimè illos impingere omnes, qui quaſi Cenſores Principum eſſe volunt. Nam quemadmodum aviculæ captæ, quò magis erumpere cupiunt, eò ſe magis involvunt, ita qui talesſunt, quò propiùs arcana Principum contemplari ſtudent, eò minùs ea noſcere poſſunt.

Differentia porrò inter jus privatum & publicum

Digitized by Google

blicum hæc eſt, quod illud unius, e. g. Titii aut Mævii, hoc omnium utilitati proſpiciat, quod poſtremum non minus neceſſarium eſt, quàm illud; quia enim jus naturæ, gentium, & civile non omnes definivit caſus & controverſias, propter incidentes quoque cotidiè novas neceſſe eſt, talia arbitrio judicis permitti. Idem fit in jure Dominationis. *Tac. l* 1. *An c* 38. hæc duo benè diſtinxit: *At in Chaucis*, inquit, *cœptavere ſeditionem* (*præſidium agitantes vexillarii diſcordium Legionum*) & *præſenti duorum militum ſupplicio repreſſi paululum ſunt. Juſſerat id Mennius Caſtrorum Præfectus*, bono *magis* exemplo *quàm* conceſſo jure. Per *jus* enim *conceſſum* communia jura, per *bonum exemplum* jus dominationis expresſit. (Nimirum ordinario jure poteſtatem animadvertendi capitali ſupplicio in militem præfectus caſtrorum non habebat. Vid. *Lipſ. comm. in h. l.*)

Ut autem varia ſunt jura, ita Dominationis jus illa omnia complectitur, exceptis tamen, quæ §. 6. nominantur, ideoq; quod de iis diſponit, ſæpè fit, ut, quod de aliis juribus permiſſum eſt, hoc prohibeatur, & quod illis prohibetur, hoc permittatur. Exemplum hujus habemus in raptu Sabinarum à Romulo. Raptus illicitus eſt, at hic à Politicis & Hiſtoricis non improbatur, quia jure Dominationis factus necesſitate Reip. hoc requirente, cujus inſtar & in

 ſacris

acris habemus *Judic. 21. §. 19. ſeqq.* Civem prodere quoq; hoſti, capitale apud omnes gentes fuit, licèt tamen id jure dominationis, hinc toties deditos hoſtibus cives legimus etiã innocentisſimos, ut tantum bellum cum potentiori hoſte redimeretur. Tàm latè autem ſe hoc Dominationis jus extendit, ut ſæpè etiam contrà Divinum jus forenſe diſponat: ſic jure Divino fur liberatur, ſi quadruplum reſtituat. In Anglia verò licet vel maximè furtum compenſare poſſit, ſuſpenditur, quia id jus Dominationis requirit, gente illa in furta adeò pronâ, ut alio modo vix coërceri poſſit. Ex hoc jure etiam æquum eſt, iniquum ſæpè in Rep. tolerare, ne majus exitium inde ſequatur. Contra quod graviter à *Pompejo* peccatum, de quo *Tac. 3. An. c. 38. Cn. Pompejus corrigendis moribus delectus, & gravior remediis, quàm delicta erant, ſuarumq; legum ipſe autor ac ſubverſor, quæ armis tuebatur, armis amiſit.* Unde apparet, quibus in periculis verſentur, qui non accuratè hoc jus obſervant.

Diximus §. 11. æquum juris Dominationis conſiſtere in tribus, I. in ſalute, ſecuritate ac utilitate Reip. adeò ut minimum illa lex iniquitatis habere cenſenda ſit, quæ plurimùm habet utilitatis. Quæ iniquitas tamen plerumque in ſingulis apparet; Utilitas autem in omnibus, ideò ſæpè illorum non eſt habenda ratio, cum ſuprema lex ſit ſalus populi. Hinc illa

formula ap. Romanos, qua ſumma Imperii libertas Magiſtratibꝰ tribuebatur. *Videant COSS. ne quid detrimenti Reſp. capiat.* (Vid. *Briſſon. l. 2. de form. pag. 211.*) Nimirum licet Reſp. non ſingulorum ſit, ſed omnium, quo ipſo à familiâ differt; Anima tamen ejus eſt, ut ſinguli in ejus utilitatem conſpirent. Inde ſæpè innocentibus ea imponuntur, quæ nocentes pati æquum eſt, quia ſic publica requirit utilitas: Ita Lacedæmonios legimus exhauſtos bellis cum Achæis XXIV. innocentium civium deditione pacem redemiſſe. Hinc quoque jus Decimationis. Cum enim auctores ſceleris ignorarentur, quod etiam omnes puniri non poſſent, & tamen intereſſet illud non dimitti impunitum, ſorte decimus quisque ad mortem lectus, ubi ſæpè etiam innocens peribat. Sæpè enim innocentibꝰ non eſt parcendum, quia plures nocentes eſſe præſumuntur, quod iniquisſimum jure privato videtur. Sed de his omnibus ita eſt judicandum, ut de Dei & naturæ actionibus. Sæpè Deus malè cum ſuis bonis agere videtur, eo fine, ut malos & ſui ignorantes lucrifaciat. Naturam quoque benignam dicimus, licet ſævas nonnunquam immittat tempeſtates. Dices verò, non facienda mala, ut eveniant bona. Sed non mala ea putanda, quæ in Reip. ſalutem cedunt, ac emolumentum.

II. In quo æquum dominationis conſiſtit, eſt *neceſſitas*, quam merito quidam *maximum*

Deum in Rep. vocavit. Hæc cum dare non accipere legem ſoleat juxta illud: Neceſſitas non habet legem; hoc quoque jus Dominationis ſæpè in Remp. invehit.

III. Denique eſt magnitudo rerum, ex quâ hoc jure licet, quod in minoribus non liceret. Cum enim plura ei occurrant agenda, qui circa magna verſatur, eaque longè difficiliora, quàm qui in parvis occupatur, ratio ipſa poſtulat, ut ille plus licentiæ in agendo obtineat. Sic in ſeditionibus id jus optimè obtinet, quia ubi intricata ſunt negotia, iniquum committendum eſt, ut æquum ſequatur. Quò facit dictum illud *Tac* §. 15. allegatum, nullum magnum exemplum ſine iniquitate. *14. Ann. c 44.* Occiderat ſervus Dominum, ex jure Veteri omnes ſervi ſuplicio affici debebant, id quidam ut ſævum diſſuadebant; ſuaſit C Caſſius, in quâ ſententiâ adſtruendâ dicit: *At quidam inſontes peribunt? Num & ex fuſo exercitu, cum decimus quisq; fuſte feritur, etiam ſtrenui non ſortiuntur? Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publicâ rependitur.* Exemplum aliquod in hanc rem Romana vetus ſuppeditat hiſtoria. Horatius poſt interfectos trigeminos Curiatios lamentantem ſuam ſororem interficit. Jus privatum ad ſupplicium eum poſcebat, ut homicidam; ſed jus dominationis ob magnitudinem rei geſtæ immunem fecit. *Florus* hac

de re

de re *l.* 1 *c.* 3 *citavere leges nefas, ſed abſtulit virtus parricidam. & facinus intra gloriam fuit.* Quantum verò hac in parte liceat, exemplum in Anglia geſtæ rei docet. Buckinghamus homo ſummæ prudentiæ à ſicario Scoto (Feltono nomen fuit) interfectus erat, qui captus, duo in Buckinghamo ſe conſideraſſe dixit. 1. Quod homo fuiſſet, ſic, quod imaginem Dei deſtruxerit, ſe eſſe morte dignum. 2. Quod Reip. hoſtis juratus, & libertati inſidiatus fuiſſet, & ſic non tantũ ſe ſupplicium non mereri, ſed etiã maximam gratiã ac præmium ſibi tribuendũ.

Denique jus hoc habere diximus terminum Religionem & conſcientiam imperantium, quam qui excedit, Tyrannus eſt. Ut enim cætera jura ſuos habent terminos, ut jus fiſci, ne omnia bona rapiat; jus belli, ne omnia vaſtet: ita hoc jus ſuos quoque habet terminos, qui ſi negligantur, oritur ſine fine imperium, quod obtinere velle malorum eſt, dicente *Tac.* 4. *Hiſt. c.* 8. *quomodo peſſimis imperatoribus ſine fine Dominationem, ita quamvis egregiis modum libertatis placere.*

CAPUT VII.

De Religione, de ejus in Republicâ uſu, de una, & pluribus, & quomodo admittendis.

§. I.

EA, quæ Magiſtratus ſubditis, & hi

 vi-

viciſſim illis debent, non alia ratione, aut ſanctiora fiunt, aut faciliùs obtineri poſſunt, quàm ſi ſupremam aliquam poteſtatem illâ ſupremorum Magiſtratuum majorem eſſe agnoſcant, & Imperantes & obſequentes, cujus ſcilicet juſſu Imperia ſint conſtituta, injectoque metu graviſſimæ pœnæ, in eos, qni aut malè imperaturi, aut debitum obſequium detrectaturi ſunt.

§. 2. Id autem, cum tantum & introducto publico Numinis cultu, & divinorum oraculorum autoritate, & ſacrorum doctrinâ ac profeſſione, ac eorum Antiſtitum concionibus, monitis ac hortatu, judiciis horum posſit perſuaderi, dubium non eſt, quin Religio nexus ſit & vinculum Rerumpublicarum. Itaque de ea agamus hîc, neque alio fine conſideranda eſt.

§. 3. Eſt verò Religio, de Deo & divino cultu ejus & voluntate ea fides in animis hominum excitata, quâ fit, ut jusſis ejus ac inſtitutis refragari ſum-

ſummum ſcelus, & expiandum cujus-
vis magnitudinis pœnâ; ſicut &, iisdem
obtemperare, factum optimum, & di-
vino favore dignum, publicè & priva-
tim æſtimandum eſſe, certò creditur
ac docetur.

§. 4. Enimverò in imperii admini-
ſtratione, & deferendo obſequio, ni-
hil eorum intermiſſuri ſunt facilè Ma-
giſtratus & ſubditi, quæ divinâ auto-
ritate injuncta ſibi eſſe acceperunt ac
mandata. Quare inter alias Magi-
ſtratus curas prima ſemper exiſtere
illa de religione debet, qua & funda-
ta prima; & deinde conſervata eſſe o-
mnia Imperia obſervamus.

§. 5. Maxima enim ſunt, quæ ex re-
ligione in Rempublicam derivantur
commoda, & quidem iſta imprimis
(I.) Summa, & quanta excogitari pot-
eſt, ſubditorum in Magiſtratus venera-
tio, nam eorum autoritas tantò majo-
ris fit, quantò creditur eſſe ſanctior,
neq; poteſt ſanctior videri, quàm ſi per

ſuaſum populo ſit, à Deo eam eſſe inſtitutam & approbatam, quo fit, ut, cum Magiſtratui obtemperat, Deo ipſi ſe offerre obſequium arbitretur; imò tantò promtiùs Magiſtratui obtemperat, quantò magis nefas eſſe credit in Magiſtratu Deo non obtemperare.

§. 6. (II.) Summa de ſubditis Imperantium cura, & quanta in eorum commodis promovendis eſſe debet, immota fides; nam tantò minus negligunt eam illi, quantò ſæpius docentur & certiùs credunt, id divinæ eſſe præſcriptum voluntatis, & Deo volenti hîc obſequi, hoc unum eſſe optimè imperare.

§. 7. (III.) Promptæ rerum actiones. Neque enim ea admittere & præſtare abnuunt ſubditi, in quibus humana conſilia ac mandata, divinis illis ſanctiora reddita & ſuffulta, illis offerũtur.

§. 8. (IV.) Mutua Imperantium & obſequentium inter ſe fides confirmata. Enimverò confirmari illa aſſolet præſtitis utrinque juramentis, his verò tota

&

& ſola vis eſt ex religione & metu ultoris Dei, qui perjurio fallentes non dimiſſurus ſit impunitos.

§. 9. (V.) Summa concordia & pax ſubditorum, inter eos præſertim, qui eadem ſacra, ejusdemque cultum religionis profesſi ſunt. Neque enim non poſſunt non idem velle & nolle, qui ejusdem ſibi Numinis præſcribunt publicè & privatim ſequendam voluntatem; Sed & inter eos, qui diverſi ſunt inſtituti, ſi ſuæ nimirum ſingulis conſcientiæ, & in ſacrorum ſuorum profeſſione integra libertas relinquatur. Neque enim diſplicere poſſunt eorum Imperia, ſub quibus religio, potisſimum animi humani bonum, ejusque cultus non prohibetur.

§ 10. (VI.) Impulſus publicarum privatarumque virtutum, neque enim ulla tàm à veritate aliena eſt profeſſio ſacrorum, quæ non docet, manere eos præmia, qui vitam rectè degunt, & divina ſupplicia, qui in ſcelera delabuntur.

§. 11. Adeò, ut ex iis quidem omnibus manifeſtum ſit, ſine religione eſſe non poſſe benè conſtitutam Rempublicam, præſtareque falſam & vaniſſimam ſuperſtitionem eſſe, quàm nullam. Denique in nullâ Republicâ tolerandos eſſe, qui aut Deum negant, aut non tàm novam introductam cupiunt religionem, quàm omnem ſubverſam, aut de Deo non ſentiunt pro Reipublicæ uſu.

§. 12. At verò, cum diverſisſimarum ferax ſit religionum omnis, & præſertim noſtra illa novandi adeò cupida ætas, magnâ profectò in rectè ſciendis & admittendis prudentiâ eſt opꝰ, neq; eadem hîc omnibus conſilia placuerunt.

§. 13. Equidem una tantùm religio vera eſſe poteſt, & una Deo placere, ſed interim Magiſtratui placere plures poſſunt religiones, cum plures, quantumvis falſæ, Rempublicam poſſint juvare; neq; illa tolerantia adverſa eſt aut divinis, aut gentium inſtitutis.

§. 14.

§. 14. Itaque ſi fieri poſſit, & in eâ abundè proſpectum ſit Reipublicæ, Una: ſin aliter expediat ad Reipublicæ augmentum, non tantùm una, nec tamen omnis tolerari debet.

§. 15. Neque verò, utut cæteræ tolerandæ ſint, ea admittenda videatur, quæ ad negandam aut imminuendam imperantium autoritatem eſt comparata, qualis hodiè eſt illa Anabaptiſtarum, qui iniquum eſſe exiſtimant ac docent, gerere Magiſtratus, bellum adminiſtrare, aliaque ejusmodi, ſine quibus nec eſſe Reſpublica poteſt, nec conſervari.

§. 16. Ex unâ religione admiſsâ diſfiteri non licet, quin ſumma reſultet concordia animorum; ſed & inter diverſas, omnium uſu admiſſo, facilè concordia excitatur. Nec audienda itaque *Odoardi VVeſtonii* verba, quæ lib. 3. c. 14. de Chriſt. hom. officio iſta ſunt: Inter omnes minùs tutus ,, videtur Princeps, nec ſanè benè ſe- ,,

„ curus, qui arbitrarias in Republica „ permittit religiones; nam aut in alte„ ram partem propendet, vel in medio, „ & quaſi in æquilibrio ſuſpenſus con„ ſtitit; ſi aliquò inclinat, adverſaria „ factio eum pro hoſte habebit; ſi neu„ trò vergat ab omnibus pro Atheo ha„ bebitur. Neque proinde Principis „ ſalus pati poteſt contrarios cultus re„ ligionum.

§. 17. Verùm enim verò non validum ſatis eſt iſtud ejus argumentum. Tertium eſt, quod hîc agere Princeps poteſt, & licere Principi exiſtimamus, nimirum omnium, quæ haud noxiæ ſint Reipublicæ, religionum cultum, pariter omnibus eâdem libertate indultâ concedere. Sic enim optimè ſecum ſub Principe agi omnes exiſtimabunt, neque pro impio illi adſcribi poteſt, qui ut ſuam & diverſam aliis permittit, ita ſuam ſibi conſtanter ſervat & tuetur religionem.

§. 18. Neque tamen temerè, nec niſi publi-

publicâ autoritate implorata admitti debent peregrinæ & diverſæ religiones, nec novarum inſtitutio cuiquam temerè è ſubditis eſt permittenda.

§. 19. Adeò ut cautè agendum ſit, initiis, ſi fieri poteſt, oppresſis, ſi tamen vires acceperint abſtinendum. Sed & ubi diverſæ religiones ſunt in uſu, expedit unam dominari, hoc eſt, qui unius ac ejusdem religionis ſunt, Reipublicæ præeſſe, & quantum fieri poteſt, unam eorum promovere.

§. 20. Et nihil magis Religioni & paci publicæ eſt adverſum, quàm vim uſurpare, & acerbitate ſuppliciorum in eos graſſari, qui non ejusdem nobiscum ſunt religionis. Nam in negotio religionis divino juri, & privatæ uniuscujusque conſcientiæ, in quam ſolus ſibi Deus imperium ſervavit, cedere oportet jus dominationis. Ubi tamen prætextu ac uſu novæ, diverſæque religionis, pax publica turbatur, pœnam neceſſe eſt imponere. Sed prudenter im-

ponetur, ſi titulus non tàm novæ & diverſæ Religionis, quàm turbatæ Reipublicæ imponatnr. ſic enim in conſcientias hominum Magiſtratus graſſari non videbuntur.

§. 21. Interim, ut in Rempublicam multitudinem & diverſitatem religionum, ſi eâ nimirum Reſpublica juvari poſſit, admittendam putamus; Cenſemus ita non minus & laudandam ſummorum Principum curam, in præveniendâ, quantum licet, multitudine religionum & varietate.

§. 22. Facilè enim id obtinere licebit, ſi in receptis ſemel ſacris nihil temerè mutetur, ſi inutilibus & haud neceſſariis quæſtionibus, de religionis controverſiis vulgi ingenia non committantur, ſi neceſſaria tantùm vulgo offerantur, ſi denique ſuo exemplo, ſuâ pietate, & gratiâ, eam, quæ promovenda potiſſimùm videbitur, religionem tueatur ac ornet Princeps.

EX-

Digitized by Google

EXPLANATIO.

DIximus religionem eſſe vinculum ac nexum, adeoque fundamentum reip. Quia 1. unumquodque imperium eſt imitatio Dei 2. quia metu continentur Reſp. Religio autem metum injicit animis hominum nihilque faciliùs Magiſtratui, quàm metum ex hac in populum derivari, idque ex eo, quod omnium animis exiſtimatio religionis ſit innata. Unde etiam Religio à religando dicta, quod Reip. corpus religet.

Diximus porrò §. 5. Subditorum venerationem erga magiſtratum religione promoveri. Quantum enim poſſit religio ad obſequium extorquendum, exemplum Druſi notum fecit, qui, cum tumultuarentur Legiones, atque forte fortuna Luna defeciſſet, caſum in prudentiam vertit, & perculſos metu Divino animos facilè ſedavit apud *Tac. l.* 1. *A. c.* 28. Eadem arte uſus Columbus in Indorum ſeu Americanorum animis ſibi devinciendis. Cum enim captus ab iisdem detineretur, poſtquam prævidiſſet Eclipſin, Indis eam paulò ante variis notis linguæ ignarus indicavit, quæ cùm contigiſſet, Divinitatis apud illos opinionem atque promptiſſimum obſequium eſt conſecutus. Quæ Divinarum rerum autoritas cum tanta ſit, prudenter cautum à Romanis, ne Regi ſacrorum verba ad populum facere liceret,

liceret ne ſcil. Religionis argumento uſus populo perſuaderet, quod Magiſtratus fieri nollet. Oracula etiam conſuli de eventibus bellorum præcipuè ſolebant, ut ſi proſperum futurum dixiſſent, omnes tantò acriùs operam ſuam ad illa conferrent. Sed & aliis publicis rebus Divinitatis opinionem conciliat religio, quod maximè fuit expetendum, quia quanti ſit religio, tanti ſit id, quod eſt religioſum. Ideò Principes ſacerdotes ſimul fuere, ut eò reverentiùs haberentur: Sacra mœnia, ne quis violaret: ſacræ aquilæ, ſigna, &c. Ut moneretur miles, ſe pro ſacris pugnare, nec unquã relinqueret. Ad loca etiam tracta opinio Divinitatis ut major autoritas eis quæ ibi fiebant, accederet; ſic ſacrum Capitolium, ſacra templa, in quibus Senatus haberi conſueverat, ut & ſenatusconſulta ſancta putarentur.

Naſcuntur juxta §. 7. inde promtæ rerum actiones. Cujus rei rationes ſunt 1. quia, quæ ex Divinitatis autoritate fiunt, quilibet libenter exequitur. 2. quia proſperum eventum exſpectat, qui ex eâdem religione agit. Ut autem uſum hujus præcepti intelligamus, inſpicienda eſt Reſp. Romana, in quâ tot auſpicia, tot oracula uſurpata, ut Divinitatis autoritate & opinione excitatâ in ſubditis, illos ad omnia, quæ vellent Magiſtratus, excitarent. Hinc conſtitutum apud eos, ne quid niſi auſpicatò ageretur. Quod complexus eſt *Plinius* in *initio*

Pane-

Digitized by Google

Panegyrici: Benè ac ſapienter, inquit, *Majores noſtri inſtituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi principium à precationibus ſumere.* Obſervanda verò hac in re eſt ars Sacerdotum Romanorum. Cum enim Imperantes aliquid populum facere vellent, in quod populus graviter deduci poterat, Sacerdotes interrogati bonum id ac placitum Diis referebant. Si verò plebs aliquid ageret, quod eam Magiſtratus agere nollet, tum iidem infauſta atque triſtia extra iramque Dei renunciabant.

Porrò §. 8. diximus, religione confirmari fidem mutuam inter imperantes & obſequentes: Cùm enim ſine juramento vix ſit aliquid inter homines fidei, juramenta verò per Deos concipiantur, apparet, Religionem hanc fidem cumprimis confirmare & ſtabilire.

Præterea religione conſolidatur concordia animorum. Contrarium tamen probari poſſe videtur, quia propter religionem graviſſimi ſæpè motus inter cives orti. Ita in Ægypto cum quidam Apin in ſpecie bovis, & ob id ipſum bovem celebrarent, quidam verò tanquam ſimplex animal riderent, graviſſima orta ſunt diſſidia, & ex his excidia gentium. Sed ſciendum eſt nos hic loqui de una religione in Rep. vel de pluribus quidem, ſed quorum uſus æquè ſit permiſſus. In Religione verò diverſa in Rep. facilè oriri poſſe diſcordias concedimus.

Poſtre-

Poſtremò incitamenta ad virtutem à religione proveniunt. Cum enim perſuaderent ſacerdotes, eos heroes in cœlis futuros, qui in terris de Rep. benè meriti fuiſſent; omnes ad benè merendum excitabantur. Quo etiam argumento Scipio Africanus Major Scipionem Æmilianum ad magna adhortatur, ut in *ſomnio Scipion. Tullius* refert. Ob hanc etiam cauſam Heroes poſt mortem inter Deos relati. Talia quoque ſacra, quæ ad virtutem excitarent, tolerari *Plato* in Rep. voluit, cum illa excluderet, quibus (ut pleraque Poetarum) de pœnis infernalibus agebatur, qua ratione metus mortis in hominibus excitabatur.

Addebamus §. 14. unam religionem in rep. ſi fieri poſſit, ferendam, ſi verò aliter expediat, etiam plures admitti poſſe. Nempe ut diverſa ſunt hominum ingenia, ita diverſi mores, quæ diverſitas præſertim in ſacris Veterum apparet, qui nullum fundamentum ſacrorum ſuorum, niſi opinionem propriam habebant. Unde rectè dicitur à quodam, omnem ætatem fœcundam eſſe religionis; ſterilem verò pietatis. Ex hac ergò religionum multitudine anſa quæſtioni data, an una, an plures in Rep. tolerandæ? Quam ſolvimus dicendo, quod, ſi poſſibile ſit, una tantùm debeat tolerari, quia hoc modo parata eſt concordia; unam etiam Sanctus Populus Iſraeliti-

cus

cusadmiſit. Sed tamen aliter de hoc, aliter de aliis gentibus eſt judicandum. Cùm enim tres ſint Rerump. ſpecies, Monarchia, Ariſtocratia, Democratia; ad nullam harum ſtatus Judaicus referri poteſt, qui mera Θeocratia fuit. Ubi autem Reſp. ad ornamentum aut augmentum ſui plures requirit admittendæ quoque ſunt. Id enim facit 1. Ad augmentum Reip. ac multitudinis. Sic his in locis, quod tanta ſit hominum frequentia, id præcipuè effecit, qnod omnis ferè religio recipiatur. 2. ad conciliandum amorem Reip. ac Magiſtratibus apud omnes: quiſque enim amat eos, quippe â quibus ſacra ſua non videt contemni: Id à Romanis ſæpè factum, ut externos etiam ritus admitterent, ut ſcilicet gentes quoque alias allicerent. Hinc *Cyprianus* Romam commune omnium Idolorum templum appellavit. 3. ad æſtimationem libertatis. Magna enim ej9 pars accedit, cùm æq; in religione ac cœteris rebus liberè agere licet.

Nec tamen eam Religionem admittendam diximus, quæ vim imperii ac reverentiã exolvit. ex §. 15. Cum enim imperium Æmulatio ſit Divinitatis, & ſic religionem pro quodam quaſi fundamento habeat, nullo modo religio vim imperii refringere debet. Ob hanc cauſam Judæorum ſacra exoſa fuêre Romanis, quia exiſtimab ant, Ebræos perperam de Magiſtratuum autoritate ſentire. Hinc etiam tôt à Cæ-

à Cæſaribus in Chriſtianos perſecutiones; quia ſibi perſuaſerant, eam eſſe religionem, quæ imperio officiat; audiebant enim, eos contemnere auguria atque oracula, quæ ſtabiliebant eorum imperia. Sic etiam initio Belgicorum motuum Anabaptiſtæ maximè exoſi erant, quia jus gladii Magiſtratui denegabant.

Ita tamen plures ſunt habendæ, ut peregrinæ non temerè, nec, niſi autoritate publica, admittantur juxta §. 18. Magnum enim periculum eſt diſſidiorum. In admittendis ergo Religionibus habenda eſt ratio majoris partis plebis, an illa eam admitti velit: Et magnæ utilitatis; Axioma enim Politicum eſt non facilè ea admitti oportere, ex quibus facilè mala oriri poſſent, niſi certò conſtet, certiſſima bona ex admiſſis ſecutura. Sic Athenis Socratem necarunt, quod πολυθεΐαν culparet, quod verum quidem erat, ſed religio hæc nullum commodum afferre Reip. videbatur. A Romanis etiam ab initio nullæ admiſſæ religiones peregrinæ.

Multò autem minus permittendum, ut privati uſum novæ religionis habeant. Religio enim pars eſt imperii, ideoq; prudens illa lex Romana, *ne quis privatim habeſſit DEos*. Præterea occaſione privatæ Religionis haberi poſſunt conventicula atq; conſilia adverſus Remp.

Diximus § 19. etiam, ubi diverſæ ſunt religiones, expedire, unam prædominari, ne di-

ver-

Digitized by Google

verſæ religionis hominibus rerum ſummæ admotis quilibet eorum ad ſua trahat & diſtrahat Remp. quod incommodum regnum Poloniæ experitur: quia enim diverſarum Religionum Nobiles ad comitia conveniunt, frequentes exiſtunt diſſenſiones. Sed hoc eſt fundamentum Reip. ut libertas agendi in conventibus publicis omnibus hominibus ex nobilitate æqualis ſit. Præſtat autem, in omnes alias leges, quàm in fundamentales, peccari.

Cœterùm in omni cum Religione proceſſu ita agendum eſt, ut omnis vis abſit, ſicuti dictum eſt §.20. nec cogenda eſt Religio aut aliquis ad religionem, quia Deus ſibi ipſi hoc reſervavit, ut imperium in conſcientias obtineret. Quod Tiberius intellexit, coram quo cum quidam Rubrius accuſatus eſſet, quod juraſſet per nomen Auguſti, & pòſt fefelliſſet, reſpondit: Deorum injurias Diis curæ eſſe oportere *Tac. l. 1. A. c. 73.* Inquiſitione itaque nihil pejus inveniri poteſt, quâ tamen quàm parum proficiatur, expreſſit *Tac. in Agr. c. 2.* dum dicit à Tyrannis conſcientiam generis humani aboleri non poſſe, & licet per inquiſitiones adimatur loquendi audiendique commercium, memoriam tamen non perire, quia non tàm in noſtrâ poteſtate eſt oblivisci, quàm tacere.

Eodem §. diximus, in negotio religionis jus dominationis cedere debere juri divino, quod

ſolum

ſolum imperium in conſcientias habet; itemq; juri uniuscujusq; privati, quod eſt ipſa conſcientia. Spontaneus nempe cultus religionis eſt, ideoq; alterius necesſitatem & coactionem pati non vult. Et ſanè ſi jure civili nemo poteſt cogi ad ſuam rem vendendam, multò minus cogi debet, ut ſuam conſcientiam alteri transſcribat religioni. Quanquam itaq; in aliis nogotiis jus Dominationis diſponere posſit, in negotio Religionis non poteſt. At objici poſſet; Ex diverſis inſtitutis Religionum diſſenſionem, & pòſt turbas in Rep. naſci, ad quas coercendas pœnis agendum eſt. Solvimus id, cùm addimus: ubi Reſp. prætextu Religionis turbatur, animadvertendum quidem eſſe, ſed Reip. non Religionis nomine, quod neceſſarium imprimis eſt præceptum. Religio enim, ut quidam Politicus dicit, inſtar puellæ eſt, quæ fuco ornari ſolet, non tàm ſacrorum, quàm imperii cauſa. Cùm autem Religionis nomen in pœnis turbulentis imponendis inviſum & odioſum ſit, non religionis, ſed turbati imperii adverſus eos agendum eſt. Rectè ergò Trajanus Plinio ſcripſit, ut in Chriſtianos non prius animadverteret, quàm ubi eos aliquid contra Imperium moliri cognoviſſet. *l. 10. ep. 97. & 98.* quod præſumebat de iis, qui obſtinatè thura diis & Imperatori adolere recuſabant. Videbis ab ipſo quoque Trajano Remp. & religionem eſſe diſtinctam. Judæi

Digitized by Google

dæi ipſi Servatorem noſtrum apud Pilatum non Religionis, ſed Reip. læſæ poſtularunt, nempe quod ſe Regem Judæorū dixerit, & populum commoverit. Judæa enim tunc ſub Romanis fuit, ideò læſæ crimen Majeſtatis erat, eorum imperium ſibi vendicare. Si hoc obſervetur, tum & ſecuritati publicæ erit conſultum, & ſine odio vulgi, ſi nimirum religio à prætextu, ſacra à turbis diſcernantur, ſeditioſi poterunt puniri.

Ultimo §. diximus etiam, nihil temerè in ſacris eſſe mutandum, quia quicquid novū cum mutatione Veterum & ſæpè Reip. conjunctum eſt, quæ interdum ex minimis oritur, ut teſtatur experientia. Recens hujus exemplum habemus in Anglia. Dum enim ArchiEpiſcopus Cantuarienſis quædam in Religione mutare voluit, Scoti & Angli tantùm non commisſi ſunt inter ſe. *(Imò tempora procedentia oſtenderunt, inde & Epiſcopo mortem illatam, & poſt occiſo rege Remp. eſſe mutatam)* Nec etiam non neceſſariis quæſtionibus vulgi ingenia ſunt committenda; in quam rem inſtitutum eſt Pontificiorum. Pontifex enim Romanus, ubi ſunt inter Doctores ſublimiores quædam ortæ ſententiæ, eas quidem decidit, ſed vetat eas in vulgus nimis notas fieri, ne plebs factionibus & pòſt hæreſibus laboret, quasdam imò etiam indeciſas relinquit, & attrectare non

au-

audet, ut conſtat ex nobilisſimâ illâ de immaculatâ concepti ne B. Mariæ ſemper Virginis controverſiâ. Propterea etiam, ut Magiſtratus Politici disſidia occultanda ſunt coram plebe, ne ejus labatur autoritas, ita & ſacerdotum diſcordias ignorare populus debet. Ideò Romani nullum ex plebe libros ritua'es legere pasſi ſunt, quod inde deprehendere tot diverſas de ſacris opiniones Sacerdotum poterant.

CAPUT VIII.

De minoribus Magiſtratibus, & Geſtoribus publicorum negotiorum, qui ad ejusmodi dignitates ſint evehendi, quid in iis obſervandum? quomodo denique eorum authoritas conſervetur maximè.

§. I.

CUm omnis Imperii adminiſtratio, adeò varia, difficilis, impedita, & latè exporrecta ſit ut ſupremi Magiſtratus omnibus exſequendis pares eſſe aut omnibus pariter intereſſe non posſint, dubitari haud debet, quin miniſterio aliorum & conſilio, veluti quibusdam dextris ſuis, uti neceſſum habeant.

§. 2 Sunt

§. 2. Sunt autem illorum alii, qui domi, ut minores Magiſtratus, aut ſubalterni, ut Judices, conſiliarii, negotiorum publicorum geſtores, aut foris in pace, ut legati, in bello ut Militiæ Imperatores, aut in provinciis, ut præfecti, & procuratores occupantur, in quos vim & autoritatem ſuam transferunt, qui ſupremum in omnibus Imperium acceperunt, quibuſque ea propter non aliter, ac his, obſequium defertur. Hi enim, ſi in abſentiam majoribus illis ſuccedunt, & eorum autoritate ac nomine in negotiis publicis occupantur, quoad vim ſaltem rerum pro majoribus æſtimantur.

§. 3. Horum igitur quanta cura eſſe debet, prudentia, induſtria, & fides, tantâ profectò in iis eligendis cautione eſt opus. Nam publicæ (ut Symmachus, vetus Scriptor eleganter loquitur) *famæ* illi ſunt cuſtodes, & proſpera omnis, & adverſa rerum publicarum fortuna ex eorum ferè vitiis aut

quando etiam minor fides, cum vel minor, vel nullus eſt in iis amor ſubditorũ.

§. 5. Via igitur ad honores munienda eſt inquilinis, & iis quidem inter cæteros ſpectatis, in quibus tamen non tàm generis, quàm virtutis: non tàm meritorum, quæ majores olim contulêre, quàm eorum, qui iſta merita referre poſſunt & augere; denique non tàm opum, quàm animi & induſtriæ expedit habere rationem.

§. 6. Intereſt enim omnium, ut omnibus bonis aditus pateat ad dignitates. Nam eo quidem fit, ut omnes Rempublicam magis ament, ut plus inter omnes concordiæ ſit, ut in omnibus majus excitetur ſtudium virtutis, & denique in quosvis Magiſtratus promptiora ſint obſequia ſubditorum. Non enim nõ vult privatus in publicis honoribus conſtitutos revereri, qui iisdem ſe aliquando ornandum eſſe poteſt & audet ſperare.

§. 7. Nihilominus tamen, cum in-

ter omnes pares jure, conſequentes dignitates, multi impares ſint virtute & fortunæ conditione, interponendum diſcrimen, & optimus quisque fideliſſimus putandus eſt. Si ſimul optimi ſint, generoſi & nobiles, plebejis propter autoritatem, divites egenis propter potentiam, ſenes juvenibus propter experientiam præponendi ſunt. Sed & pacis publicæ cauſâ; inprimis cum genere, opibus & ætate majores minoribus ferè nolint ſubeſſe, aut invititi ſubſint, & queruli.

§. 8. Optimi autem cenſendi ſunt, in quibus non tantùm elucent omnes illæ virtutes, quæ in cujusvis publici negotii adminiſtratione neceſſariò requiruntur, ut integritas, induſtria & fides: Sed vel maximè etiam illæ, ſine quibus ſingula negotia, quibus admoventur, non poſſunt expediri, curentur, ut in Judice ſcientia Legum, in Senatore experientia, in Quæſtore peritia ponendorum calculorum

rum; Sed & imprimis, qui grati illis ſunt & accepti, quos imperio complectūtur, ne pro obſequio dedignatio parendi, & pro gratia obſractus ſubditorum animus reportetur.

§. 9. Porrò cùm longè plurima ſint, quæ curam publicā meritò requirunt, ſingulis ſui ac peculiares & idoneo numero imponi debent Magiſtratus aut curatores, etiam minimis quibusque, quibus malè aut benè habentibus, totius populi multitudo plurimùm vel atteri poteſt, vel juvari, ut viæ publicæ, annona, pondera, menſuræ, bona pupillaria, & alia ejuſmodi, quæ numerare longum eſſet, quique ex diverſo uniuscujusque Reipublicæ uſu & ſtatu inſtituendi ſunt curatores.

§. 10. Idoneus autem numerus non tàm præceptis, quàm magnitudine curæ & Reipublicæ poteſt definiri. Interim id generatim affirmaverim, in modico numero, ſi modò ſufficiat, plus & concordiæ eſſe & autoritatis Ma-

giſtratibus conciliari. Nam viliora ferè habentur, quæ cum pluribus communicantur. Neque etiam receptus numerus facilè augendus eſt, aliàs enim latiſſima, & in poſterum vix occludenda via ambitioni aperitur.

§. 11. Delectis jam ita ſingulis, limites curæ & mandati præſcribendi ſunt, quos nec excedere debeant, nec declinare. Illos autem corrigere, immutare, augere, reſtringere aliquando utile eſt, prout experiendo cognitum eſt, hoc vel illud magis vel minus Reipublicæ expedire.

§. 12. Eſt verò illorum limitum ferè duplex argumentum, quorum altero contineri debet, quanta cuique vis tribuatur & poteſtas, altero, quem ordinem & modum ſequi debeat, in crediti ſibi muneris adminiſtratione. Neque enim quicquam arbitrio minorum Magiſtratuum relinquendum eſt, niſi quod in uſu rerum, pro circumſtantiarum multiplici diverſitate,

Digitized by Google

te, aliter atque aliter ſe poteſt habere.

§. 13. Atque huc retulerim illa præclara *Platonis lib. 4. de Rep.* ubi peculiari & novo nomine Magiſtratus miniſtros legum appellavit, non innovandi, ut loquitur, cupiditate vocabuli inductus, ſed quod illam ſalvam Rempublicam demum intelligeret, in qua lex domina eſt Magiſtratus.

§. 14. Atque ſic quidem limitibus mandatorum deſcriptis, mandatario publico in uſu rerum diligenter iis inhærendum eſt, cum ex ſolis illis peti ſoleant, & reddi tantum poſſint, eorum, quæ geſta ſunt, rationes. Si verò quid grave nec definitum incidat, ut fit ſæpiſſimè, prudentius & tutius eſt, conſulere ſupremum Magiſtratum, ſi eam moram patiatur indoles oblati negotii, quàm ex propria aliquid ſtatuere autoritate; hanc enim in reddendis rationibus ſupremis Magiſtratibus difficulter admodum probamus.

§. 15. Ex iis quidem dignitatibus aliæ perpetuæ ſunt, quarum nimirum continuus in Republica eſt uſus, ut Conſulatus: Aliæ ad tempus, urgente ejus neceſſitate, inſtituuntur, &, eâ ſublatâ, diutius non extant, ut Dictatura & Decem-viratus apud Romanos. Novi enim inſtituendi Magiſtratus ſunt, pro diverſa, quæ ſe in Imperio offert, occaſione.

§. 16. Quæ verò perpetuæ ſunt, continuantur, vel non continuantur iis, qui gerunt: Quorum quid maximè expediat, in dubio eſt apud hujus diſciplinæ autores, quid tamen ſtatuendum ſit, & ratio, & ipſe Reipublicæ uſus ambigere nos haud ſinit.

§. 17. Continuandi igitur Magiſtratus illi ſunt, in quibus plùs curæ eſt, quàm Imperii, neque enim in iis expedit, gnaris rerum & exercitis identidem ſubmittere ignaros & inexpertos. Non continuandi ſunt illi, in quibus plùs autoritatis eſt & imperii.

Faci-

Facilè quippe diuturnitate ejus ad invadendam Rempublicā abutuntur. Adeò quidem ut temporis modus iis imponendus ſit, quibus imperii imponi non poteſt; neque quisquam in eodem Imperio diu habendus eſt, ne dediſcat tandem ſuperioribus obtemperare.

ſ. 18. Si tamen ob alias cauſas expediat, aut mos jubeat, perpetuas eſſe ejusmodi dignitates, ad Reipublicæ & ſupremorum Principum ſecuritatem multum facit, ſi in plures illæ distribuantur. Singulorum enim conatus, ſi forſan adverſi futuri ſint Reipublicæ, plurium, qui ferè idem non ſentiunt, collegio & ſocietate, facillimè infringuntur.

§. 19. Sed & hic id cavendum, ne ſanguinis gradu propiùs ſe invicem tangentes collegæ adſciſcantur, nam haud plures, ſed quaſi iidem videntur, qui, quanquam numero plures, pietatis impulſu & ſanguinis arctiſſima conjunctione, in ferendis ſuf-

fragiis â ſe invicem vix volunt aut poſſunt diſſentire.

§. 20. Ubi igitur plures gerunt non continuandas dignitates, ex uſu rerum fuerit, ſi non pariter eæ ab omnibus deponantur. Sed tempore diverſo, quo novi ſuffecti, rerum, quæ antea geſtæ ſunt & decretæ, aut nondum omninò confectæ, peritiores per quosdam eorum fiant, qui iis interfuerunt.

§. 21. Sed & hîc cavendum, ne exuentibus geſtos honores proximi ſuccedant. Nam quaſi in iisdem continuari vídentur Magiſtratus, qui in proximos continuò transferuntur.

§. 22. Ad iſta Annales etiam Leges, quibus definita ſit eorum ætas, qui geſturi Magiſtratus ſunt, Romanorum exemplo utile fuerit & habere & obſervare, per quas fiet, ut juvenibus permittantur dignitates, in quibus plus eſt laboris, in quibus etiam ſi peccetur, quod in ea ætate pronum eſt, ſumma tamen Reipublicæ

non

Digitized by Google

non lædatur. In ſumma tamen Reip. adminiſtranda, Juvenes non fiant pares ſenioribus, aut illis, in quibus plus eſt momenti.

§. 23. Quemadmodum ex ejusdem gentis exemplo laudamus certos præſcriptosque honorum gradus, per quos à minoribus ſenſim ad majores, & ex inferioribus ad altiores proximos perveniatur. Majoribus enim is demum dignus eſt, qui in minoribus occupatus, majoribus parem ſe eſſe jam oſtendit, & ſimilitudine minoris curæ, majori proximæ, optimè nos paramus.

§. 24. Ex quibus, ſicut ex iis, quæ jam dicta, ſatis apparet, Magiſtratus vendi pretio & exponi non oportere, nam vendunt ferè munia, & cum iis fidem, qui emerunt.

§. 25. Ne verò vel in publicas, vel in privatorum opes graſſentur Magiſtratus, aut publicorum negotiorum geſtores, ſtipendia iis debentur. Ea

autem ex ærario publico ſolvenda iis ſunt, qui iis impoſiti ſunt muniis, quibus in univerſum Reſpublica juvatur. A privatis autem ſolvenda ſunt illis, quorum operâ quotidie uti privati habent neceſſe, ſic enim ærarium ſublevatur. Quod autem à privatis ſolvendum eſt, legibus definiri expedierit, ne ejusmodi magiſtratus privatorum ſint deglubitores.

§. 26. Stipendia verò, quæ à Rep. ſolvuntur, aut certa eſſe debent, aut incerta. Incerta, ubi merita non poſſunt; Certa, ubi merita poſſunt numerari, adeò, ut majus aut minus ſtipendium ſit, prout plura aut pauciora horum aut illorum, in muneris ſui executione, merita extitêre. Nam & ſic Reſpublica juvatur, dum ſpe majoris præmii, pro magnitudine meritorum reportandi, animati, curam & induſtriam ſuam maximè intendunt.

§. 27. Ceterùm, cum inferioribus Magiſtratibus vi quâdam opus ſit, in iis curan-

curandis, quæ curæ ſuæ habent mandata; intereſt Reipublicæ, & ſupremorum Magiſtratuũ, ut idonea ac pari negotiis, ac valida autoritate ſint inſtructi, quod ut fiat, ſitum eſt in manu Principum & Magiſtratuum ſupremorum.

§. 28. Non facilè igitur admittere debent illi, ſubditorum, de minoribus Magiſtratibus & publicarum rerum geſtoribus querelas, neque ab iis facta, conſulta, & inſtituta temerè reſcindenda ſunt, aliàs licentia populi in ſummam rerum irrepet, & nulla vis tandem erit illorum Magiſtratuum, ſine quibus ſupremi rectè non poſſunt Imperium adminiſtrare.

§. 29. Ex adverſo graviſſimæ pœnæ conſtituendæ, nec remittendæ in eos, qui vel verbo, vel facto læſerint, ſtiterint, vel impedierint minores Magiſtratus. Nunquam igitur patiendum eſt Majoribus, ut in minoribus autoritas negligatur, quod *l. 10. ep. 5.* etiam voluit *Symmachus*, cùm ſcribit

ad Theodoſium, optimum Imperatorem: *Honores minorum Magiſtratuum, auctoribus ſuis debere eſſe commendatos.* Et *ep.16. Principes in iis, quorum miniſterio utuntur, factum ſuumq; conſilium perpetuò juvare oportere.*

§. 30. Interim etiam non planè excludendæ ſunt ſubjectorum aut læſorum querelæ, ſed provocatio à minoribus Magiſtratibus ad majores, ab his ad eum vel eos, penes quem vel quos eſt ſumma reip. concedenda, quippe quæ & utilis eſt, & neceſſaria.

§. 31. Hinc Magiſtratus, quà adhuc talis, ſeu quamdiu titulum muneris publici ſuſtinet, accuſari quidem, (etſi juxta § 28 non temerè) poteſt, puniri non poteſt aut debet.

§. 32. Tenetur autem magiſtratus quisque malè geſtæ reipubl. non autem conſilii aut ſententiæ ſive ſuffragii, quod in commune contulit: quod unicuique liberum eſſe debet; quamvis in rebus maximis ut imperia omnium,

um, ſic & conſilia conſentientia probemus.

EXPLANATIO.

DIximus §. 3. *maximam curam eſſe in eligendis magiſtratibus debere.* Pro magnitudine nempe curæ magnitudo perſonæ eſſe debet. Grave autem eſt onus imperii, diligenter itaque ad perſonas Magiſtratus attendendum, ut huic oneri pares ſint.

Adjecimus §. 5. *viam* ad magiſtratus *muniendam virtuti potius quàm generi*; quia ſæpè heroum filii ſunt noxæ: *induſtriæ quàm fortunæ*; quia cœca ſunt judicia fortunæ; in Rep. verò oculatum eſſe vel maximè convenit.

Nemo etiam *à Magiſtratu excludendus*, juxta §. 6. quia quod commune omnium eſt, ſingulis non debet denegari. Accedit quod hoc faciat: 1. ad Reip. amorem majorem in omnibus excitandum: quippe ſic oſtenditur & magnitudo libertatis, quæ in viciſſitudine parendi & imperandi conſiſtit, & reprimitur Inſolentia Magiſtratuum. Dum enim cogitant, ex paribus ſe electos, & aliquando alios futuros, qui ipſis æquè atque illi modo aliis imperent, non parùm libido eorum refrænatur. 2. ad firmandam hoc vinculo concordiam Reip. Ubi enim qui impares ſunt gerendo reipſa imperio, pares tamen ſunt aliis ſpe gerendi imperii, leviùs ferunt alios ſibi imperare,

licet ipſi vel nunquam ad imperium deveniant. Hinc Reſp. Romana pacatisſima fuit, ubi plebs quoque ad magnos honores & magiſtratus admitti cœpta eſt, & eo tempore Furius Camillus ædem Concordiæ condidit. 3 ad excitandam virtutem: ſublatis enim aut ablatis honoribus, virtus contemnitur. 4. ad æſtimationem Magiſtratus, & præſtationem promtam obedientiæ: cum enim quis ſperat ſe eodem loco futurum, ne in ſe quoque eo tempore laboret obſequium, reverentiùs habet præſentes Magiſtratus.

Ita tamen ratio omnium habenda, ut *ſervi aut viliores contemtiq;* (juxta §. 4.) *ad magiſtratus non admittantur*, quod diligenter à Romanis obſervatum, qui, ut neque in bellis amitterent aliquid Majeſtatis, ſervos bella ſectari noluerunt. Agricolam etiam commendat *Tac. c.19.§.3.* quod *nihil publicæ rei per ſervos egerit.* Cujus rei ratio 1 Quia contra Majeſtatem eſt, ſervos Majeſtatem præferre. 2 quia abjecta plerumque & ad obſequium nata eorum ſunt ingenia. Dicat autem quis Cæſares etiam callidisſimos, & Auguſtum & Tiberium aditum vilioribus etiam perſonis ad dignitates feciſſe; ſed id exemplum in argumento hoc non ſequendum. Agimus enim de commodo totius Reip. non de Cæſarum aut Principum utilitate. In his verò Cæſares magis ſibi quàm Reip. proſpiciebant. Ars enim hæc & arcanum

num illorum erat. Quippe cùm Patriciis honores tribuerent, putabant, eos ſibi deferri, quia ſanguinis nobilitati debebantur. At humiles ignobilitatis ſuæ ſibi conſcii integram gratiam Cæſaribus debebant. Deinde quod Conſulum ac Senatorum autoritatem contemtam volebant, quò ſuam augerent, indignos in eorum numerum cooptabant, ut illorum quoque dignitates corruerent.

Neque *peregrinos* facilè *ad Magiſtratus admittendos aſſeruimus*, eodem §. 4. Idque ob has rationes. 1. Quia hoc facit contra decus imperii. De ſe enim ac ſuis dubitare videtur, qui extraneos in partem imperii vocat. 2. Quia peregrinorum amor tantus non eſt in Remp. quàm incolarum. 3. Quia peregrini ignari plerumque ſunt morum atque ingeniorum eorum, quibus imperare debent. At verò hæ ſunt primæ & neceſſariæ artes imperii, iſta noſcere. Expertus id eſt Hiſpanus, cujus imperio nihil magis apud Belgas offecit, quàm quod Hiſpanis Belgicorum morum ignaris Magiſtratus & imperia in Belgas mandaret: Refert tamen *Tac.* Claudium Gallos & alios peregrinos in Senatum adſciviſſe, extatque Oratio Claudii *l. 11. Annal c. 24.* qua id defendit, dicitque ad concordiam cum exteris factum; ſed alia eſt ratio Romanæ Reip. quàm aliarum; quia poſtquam Roma ad ſummum Imperium eluctata fuit, tanquam communis omnium

omnium gentium patria habebatur. Præterea Cæſares Romani peregrinis ſe commendare cupiebant, quia ſuis erant inviſi. Sed nec omnibus id Claudii factum probatum fuit. Certè *Seneca* etiam civitatem tam largè & ſine diſcrimine datam non ſalsè magis quàm acerbè perſtringit *in ludo de morte Claudii Cæſaris, non longè à principio*, nedum ut Senatoriam dignitatem promiſcuè collatam æquo animo ferat.

Diximus etiam, quod inter omnes habendum diſcrimen, & optimus quiſque fideliſſimus putandus §. 7. Cùm enim pares omnes ſint ad imperium, & tamen ex imperandi & parendi ratione impares eſſe debeāt, Reip. intereſt, hanc tollere imparitatem, ſed ita, ut ad Magiſtratus optimus maximè idoneus putetur. Atque inde controverſiam decidimus, quâ quæritur: Generoſi ſintne plebejis, divites pauperibus, ſenes juvenibus, vel contra, in Magiſtratu eligendo præferendi? Nempe quod optimi omnibus anteponendi. Quo diſcrimine nulla injuria fit reliquis, quia beneficium ad omnes redit: intereſt itaque plebejorum, ut à generoſis regantur, idq; propter autoritatem, quia plebeji non ita æſtimantur. De hæc prærogativa nobilium CASSIODORUS in quadam epiſtola ad Nobilem ait: *In te quot geniti, tot probati*, quo loco duo dixit 1. Quidem Majeſtatem majorem eſſe in generoſis, 2. Ve-

terum

terum virtutem eos maximè ſervare, qui ſuam ei quoque addunt. Atque ex hac ratione ab initio Romani Imperii contemti plebeji & ſolis Patriciis imperia delata, quamvis id poſtea mutatum, ut diximus paulò ante. Intereſt quoque egenorum, ut à Divitibus regantur, quia Divites majorem vim & opes ad defendendos egenos conferre poſſunt. Id uſitatum eſt Belgis, habentque rationes: 1. Quia nulla ferè apud illos ſtipendia magiſtratibus dantur. 2. Quia divites non adeò Remp. expilant, qui ſufficientes jam opes habent, quod PLATO obſervavit. 3. Quia magis curant Remp. qui ſua quoque in illa eſſe, & quidem non modica norunt. Fit hoc ea ratione, quemadmodum cum mercatoriis navibus, ubi ſua bona in exteras oras ablegantes adigunt nautas, rerum quoque propriarum aliquid imponere, ut tantò fideliores ſint in nave cuſtodienda. 4. Quia ad pompam dignitatis, quæ in Magiſtratu eſſe debet, opes faciunt. Ideò in Rep. Romana nemo ad Senatum admiſſus, niſi qui Senatorium cenſum haberet. Demum intereſt Juvenum, ut à Senibus regantur, quia penes ſenes major eſt autoritas & experientia rerum.

Diximus & *idoneo numero præponendos* (§. 9. & 10.) i. e. quotquot partes & curæ Reip. tot. Magiſtratus eſſe debere. Et ratio eſt, quia ſi ſingulis reb9 non ſint ſui Magiſtratus, ſummi Magiſtratus aut ſumma tantùm curabũt, quia hæc talia

ac

ac tanta, ut eos integros ſibi vendicent, & ſic negliguntur minora; aut ſumma & infima ſimul tractabunt, & ſic ſummorum dignitas vileſcit. In eo prudentes fuêre Romani, qui nec tenuisſimam rem vacuam eſſe voluerunt. Quæri verò ſolet, quantus Magiſtratuum numerus eſſe ſoleat? Varii variè definiunt, ſed nihil generaliter definiri poteſt, ſed conſiderandæ Reip. partes, diſcernendumque inter illos, in quibus plus eſt autoritatis & Imperii, quàm curæ; & in quibus plus eſt curæ, quàm autoritatis. In illis pauciores eſſe oportet magiſtratus, quia paucitas ad autoritatem facit. Hinc Cæſares Romani duos tantùm in provinciis habuerunt, Legatum & Procuratorem, quorum ille imperium exercebat; hic de reditibus ſollicitus erat. Sed ubi plùs curæ eſt, quàm autoritatis, ibi plures eſſe debent. Ubi operæ plus eſt, plures; ubi imperii, pauciores deſiderantur. Ideò apud Romanos Conſules duo tantùm: Prætorum à duobus plures ſemper & plures inſtituti.

Dictum eſt §.15. nonnunquam *pro diverſâ*, quæ ſe in imperio offert, *occaſione novos magiſtratûs* eſſe *creandos*. Idq; præcipuè in extremis temporibus etiam extra ordinem fieri oportet. Sic apud Romanos, ubi parùm in cæteris Magiſtrat.b9 habebatur auxilii, Dictator creatus eſt, cujus tamen, licet ſummũ, quibusdam ceremoniis circumſcriptũ imperium, ſc. noctu creabatur,

tur, ac ſi libertas Romana non poſſet aſpicere tàm potentem magiſtratum. Non licebat ei, niſi prius ad populum tuliſſet, equo vehi, ne tantò elatior eſſet. Non licebat egredi Italiam, ut in oculis Populi verſaretur. Summus autem talis Magiſtratus eſſe debet, ut non ſolum in populum, ſed & in reliquos magiſtratus, qui in dubiis rebus diſſentire & tumultuari ſolent, obtineat imperium.

Ubi de *continuatione magiſtratuum* egimus, (§. *ſcil.* 16 17. *ſeqq*) diſtinximus itidem inter illos, in quibus plùs eſt curæ, quàm imperii, & in illos, ubi plùs eſt imperii. In illis, ubi plùs eſt curæ, continuandæ ſunt dignitates, quia in his ſcientia rerum maximè deſideratur, quæ optimè experientiâ addiſcitur. Si verò ſæpiùs mutantur Magiſtratus ejusmodi, quilibet incipit diſcere, & amovebitur, antequam adipiſcitur id, quo in gerenda dignitate opus habet. Non continuandæ verò, in quibus plùs eſt imperii, ne longo abutantur imperio. Sic Julius Cæſar, quia ipſi ad tempus dictatura conceſſa fuit, ultra uſitatum tempus perpetuò eam retinuit, ne jam dicamus, quod ex continuato cum conſulatu exercitûs Gallici imperio, cui rurſus parabat conjungere ſecundùm conſulatum, ad opprimendam libertatem proceſſerit. Tiberius tamen omnes Magiſtratus continuare ſolebat, de quo TAC. *l. 1. A. c. 80. Morum Tiberii fuit, continuare imperia, & pleroſq; ad finem*

vitæ

vitæ in iisdem exercitibus aut juriſdictionibus habere. Cauſæ variæ traduntur: alii tædio novæ curæ ſemel placita pro æternis ſervaviſſe; quidam invidia, ne plures fruerentur. Sunt qui exiſtimant, ut callidum ejus ingenium, ita anxium judicium. Neq; enim eminentes virtutes ſectabatur, & rurſum vitia oderat: ex optimis periculum ſibi, ex peſſimis dedecus publicum metuebat. Sed æquè id periculoſum eſt in regio ſtatu, ubi penes Principem eſt omnis Majeſtas, quàm in cæteris Rerump. formis.

Diximus etiam §. 22. leges annales in rep. habendas & obſervandas eſſe, præcipuè quales conditæ ſunt à Pop. Romano, quibus certa ætas in homine requirebatur, antequam ad dignitatem admitteretur. Vid. Liv. *l.* 40 *c.* 43. Ita Conſul nemo ante 44 aut 42. annum creari poterat. Leges autem has judicium naturæ videtur poſtulare; Juvenes enim mobilibus & fluxis ſunt ingeniis: Itemque judicium Reip. quia intereſt, ordinem aliquem in petendis magiſtratibus obſervari: et judicium rerum agendarum, plus enim effectum dare poteſt ſenilis prudentia. Nonnunquam tamen & Juvenes ſenibus æquiparantur rerum cognitione. Ideò in Veteri Rep. Romana vix reſpectus ætatis habebatur, ut ait Tacit. *l. 11. An. c. 22.* §. 3. Si itaque juvenem excellentem virum eſſe contingat, qui poſſit eſſe inter Magiſtra-

tus,

tus, non violato legis tenore, à principe ſibi veniam ætatis impetrare poteſt.

Diximus quoque §. 23. *modum, ex quo* rectè quis *ad Magiſtratum gerendum* admittitur, eſtque is; ſi ex minoribus ad majores magiſtratus promoveantur petitores. Senſim enim ad magna, non uno ſaltu perveniendum. Dignus majoribus ille demum eſt, qui in minoribus ſe dignum majoribus oſtendit. Minores autem dignitates voco, 1. ex quarum adminiſtratione minus boni, minusque mali in remp. redundat. Tales ergo primùm deferendæ, quia admiſſi primùm ad remp. cum diſcant, ſæpè errant; cavendum itaque, ne cum detrimento Reip. errent: ſic in Rep. Romana Ædilitia poteſtas ac Quæſtura rudimenta erant reliquorum magiſtratuum, & quoddam quaſi indolis ſpectamen :. 2. in quibus plus laboris quàm gloriæ. Tales quoque ideò concedendi, quia *inſoleſcunt præmaturis honoribus juvenum animi*, quod Tiberius apud Tac. dicit, ubi de tributis honoribus Germanici liberis conqueritur *l. 4. An. c. 17. §. 3.* Eo verò modo, quem monſtravimus, inſtruxit Agricolam Cerialis; *Primo ei modo labores & diſcrimina, mox & gloriam communicabat. Sæpè parvo exercitui in exprimentum, aliquando majoribus copiis ex eventu præfecit.* Tac. *Agr. c. 8. §. 3.* Forſan tamen etiam conduxerit, ſi ex umbra ficti Magiſtratus ad verum traducantur. Umbras

verò

verò intelligo exercitia Magiſtratus ante uſum & adminiſtrationem Magiſtratus præmiſſa. Et quemadmodum in militiâ umbratica certamina bello præmittuntur, ita in Rep. hæc exercitia præmitti debent. In Rep. Romana Scholæ erant in domibus Principum, ubi ad Reip. curas per umbratica & ficta conſilia juventus exercebatur. Auguſtus quoq; Tiberium ante Imperium Imperii curis aſſuefecit. Hinc ipſe Tiberius apud TAC. *l 1 An c.11.ſe in partem curarum à D. Auguſto vocatum* dicit, *experiundo didiciſſe, quàm ſubjectum fortunæ regendi cuncta onus.* In Venetorũ quoq; Rep. aliquot Principes exercent juvenes, finguntur que perſonæ, Legationes, omnes conſilia conferunt, Senator verò præſes ea colligit, & quia maritimum eſt eorum imperium, navibus publicis juvenes circa littora devehuntur, ut portus, ſinus &c. noſcere diſcant. Sed & maximè utile eſt, ſi aliorum judiciis ante Magiſtratus exponantur. Hinc apud Romanos, qui petebant, Candidati petere Magiſtratus debebant, ut omnibus conſtaret, eos petere, & ſic quilibet de moribus & vitâ eorum ſciſcitaretur; tum etiam omnes prehenſare debebant, qui juſtus ambitus habebatur. Et talem etiam probationem apud Athenienſes teſtantur fuiſſe Hiſtorici. Et ne vel per tot experimenta probati degenerent, ubi poteſtatem acceperunt, cenſura inſtituenda eſt in eos, qui magiſtratum quemcunque gerunt,

runt, ſed ita, ne eo ipſo ponatur rebus ab hoc vel illo magiſtratu gerendis impedimentum. Cenſura nimirum ideò opus eſt, ne quis pro libidine ſua abutatur poteſtate. Obtinetur verò id vel conſtitutis cenſoriis Magiſtratibus, vel neceſſitate impoſita reddendi geſti imperii rationem, quæ in ſtatis legibus tantùm obſervatur, non item in rebus aliis: quæ enim ex autoritate geſta ſunt, eorum ratio non reddenda, ne ratio imperii corrumpatur. Ubi enim quærere ſingulis licet, corrumpitur imperium, nec ejus ratio conſtat, ſi promiſcuè cuivis reddatur, inquit TAC. *l.* 1. *A. c.* 6. §. 7. Ratio verò hæc geſti imperii publicè & earum rerum, quæ magni momenti ſunt, reddenda eſt. Sic in quibusdam Belgii fœderati provinciis & civitatibus ratio adminiſtrati imperii reddi ſolet. Cenſura tamen ita exerceri debet, ne ſit impedimentum Magiſtratuum, quod fit, quando ſummum & præcipuum Magiſtratus imperium per eam reſtringitur. Sic in Rep. Rom. Tribuni plebis omnibus actionibus conſulum intercedere poterant. Hoc autem vel ſimili impedimento & impeditur, & impediti Magiſtratus autoritas labefactatur.

Diximus porrò §. 24. *Pretio exponi Magiſtratus haut debere, ne qui emerint pretio munia, vendant eorundem exercitia.* Id ideò 1. Quia dignitates virtutum, non opum, præmium eſſe debent, 2. Avaritia Magiſtra-

 tuum

tuum non debet intendi; intenditur autem hoc pacto, quia quicquid expoſuerunt, recuperare nituntur. Apud Romanos non niſi poſtremis temporibus Magiſtratus venales fuêre. Hinc TAC. *l. 11. An. c. 22.* conqueritur de Dolabella: iisdem, inquit, Conſulibus P. Dolabella cenſuit ſpectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui quæſturam adipiſcerentur. Apud Majores virtutis id præmium fuerat, cunctisque civium, ſi bonis artibus fiderent, licitum petere Magiſtratus. Et infra: quæſtura tamen ex facilitate tribuentium aut dignitate Candidatorum gratuitò concedebatur, donec ſententia Dolabellæ velut venundaretur. In Gallia tamen etiam nunc dignitates venduntur. Sed quanta incommoda oriantur, præſentia teſtantur tempora. Hinc ubi jurisdictio, ibi jus quoque venditur. Præterea applicari hic jocus MARTIALIS poteſt, qui dicit, civem quendam omnia vendidiſſe & emiſſe. Vultis, inquit, ſcire, quare omnia vendat, quia omnia emit. Nec ignotum eſt illud de Alex. VI. P. M. diſtichon:

Vendit Alexander ſacra cuncta, altaria, cœlum,
Emerat ille prius, vendere jure poteſt.

Idem enim fit in Magiſtratu, qui emta nititur dignitate. Veneti tamen itidem nonnunquam vendere Magiſtratuum dignitates ſolent, ubi ad

ad bellum nummis deſtituuntur, ſed tamen id cautisſimè. Si enim pro vacua dignitate hic offerat 1000 alter 2000. aureorum, ſi iſte accommodatior videtur ad Magiſtratum, præfertur etiam plura porrigenti, eaque conditione venduntur, ut ſi liberatâ Rep. metu belli pecunia iis refundatur, cedere cogantur magiſtratu emtores.

Objiciat verò aliquis, hoc pacto opes Reip. augeri. Verum id quidem, ſed poteſt honeſtius compendium ex Magiſtratu quæri, ſc. ſi uſitata ſtipendia Magiſtratuum imminuantur ad tempus, & quæ inde corraduntur in Reip. uſus convertantur.

Dictum eſt § *28. & 29. Nunquam patiendum majoribus magiſtratibus, ut in minoribus autoritas negligatur.* Quicquid enim in Rep. in minimis committitur, ad ſumma facilè ſerpit. Præterea nihil modicum in Magiſtratu cenſendum, cujus vis omnis in opinione conſiſtit, ideò ſæpè maximæ pœnæ apud Romanos inflictæ iis, qui minores magiſtratus læſiſſent.

Provocationem utilem eſſe & neceſſariam diximus §. 30. Neceſſaria quidem, quia intereſt Reip. ne unius ordinis Magiſtratuum odio aut gratiæ expoſiti ſint ſubditi, ne ab illo ſolo dependeant. Utilis etiam quia 1. Beneficio provocationis res expenditur. Hinc PLATO Provocationem communicationem totius Reip. conſiliorum appellavit. 2. Cautiores ſiunt

Magiſtratus & juſtiores, quia ſciunt rationem reddendam ſuperioribus, quomodo judicaverint, aut adminiſtraverint.

Diximur porrò §. 31. *Magiſtratui, quæ talis eſt, & quandiu talis eſt, ob peccatum in Rempub. accuſationem quidem intentari, non autem pœnam infligi poſſe.* Idque eam ob cauſam, ne pœna inflicta uni, totus ordo amittat & æſtimationem. Ideoque apud Romanos, niſi ejurato aut depoſito Magiſtratu in reos tales non animadvertebatur, ideoque apud TACIT. *l. 13. Ann. c 44.* §. 7. Tribunus plebis poſtulatus à Patre interfectæ, poſtquam Tribunatu abierat, Sententiâ patrum & lege Cornelia de Sicariis condemnatur. Ita Cicero P. Lentulum Prætorem, conjurationis adverſus remp. manifeſtum, & Catilinæ ſocium, poſtquam præturâ ſe abdicaſſet, capitali ſupplicio affecit juxta SALL. *in Catil. c. 47.* Id hodiè inter Eccleſiaſticos Pontificios obſervatur, qui accuſantur quidem, ſed non puniuntur, niſi ſolemniter officio ejurato; quod inter alia ex notiſſimâ cremati Joh. Huſſi hiſtoria omnium obverſatur memoriæ, quæ tomo ejus ſecundo ſubjecta eſt.

Diximus poſtremò *Magiſtratus malè geſtæ Reip. non conſilii aut ſententiæ teneri.* h. e. Ubi Senator ſententiam ſuam exponit, licet mala aliis videatur, id tamen ei fraudi eſſe non debet, ſed id ſolum, ſi geſſerit malè Rempub. quia in malè geſta Rep. voluntate aut inſcitia non

opi-

opinione peccatur. Voluntas autem loco facti reputatur, & inſcitia magnum vitium in magiſtratu, adeoque Auguſtus tales Senatu movit. Cum enim ignorantia juris privati non excuſet peccantem, multò minùs magiſtratum publici ignorantia excuſabit. Illi verò non ſunt damnandi, qui diverſas in Rep. ab aliis habent ſententias. Aliud enim eſt opinione errare, aliud voluntate disſidere. Monuit id Mecœnas Auguſtum apud DIONEM, *l. 52.* ſuaſitque, linquendam eſſe cuilibet ſuadendi potentiam. Malè ergò conſultum Regno Perſarum, ubi capitale fuit dixiſſe, quod Principi diſpliceret. Debet tamen modus in dictis ab unoquoq; ſententiis defendendis teneri. Nam nimiâ obſtinatione ad ſeditiones quoque res deducetur, dum Conſilii quoque tenetur, qui conſilium inivit. Sic itaque in ſententiis agendum eſt, ut dicit PLINIUS in *Ep. ad Ariſton. l. 5. c. 3.* In ſcriptis Doctorum, primò *qui recitat, acriùs ſcriptis ſuis auditorum reverentiâ intendit:* deinde *de quibus dubitat, quaſi ex conſilii ſententia ſtatuit.* Nimirum primò ſententiam ſuam tueri debet, poſt, ubi alios in meliorem concedere videt, aſſenſum ſuum non negare. Per quam occaſionem attigimus eam, quæ hîc oritur, Quæſtionem: *Plurium ne an omnium ſtandum ſententiis in rebus decernendis?* Nempe in rebus minoribus ſecundum pluralitatem vo-

torum eſt decernendum, ne ob impetrandum omnium cenſenſum tempus elabatur. Non verò in maximis negotiis, in quibus omnium requiritur conſenſus. Libertatis autem uniuscujusque defendere, ac tueri ſua conſilia, quæ ad Reip. ſalutem putat pertinere, quæ tantò acriùs defendenda, quò certiùs conſtat, nos quoque Rep. contineri. Hæc ratio decernendi optimè in Hollandia obſervatur. In rebus enim minoribus ad plurium ſuffragia attenditur, ſed ubi de capitibus rerum, de Tributis, fœderibus &c. agitur, omnium conſenſus requiritur, adeò, ut ſi una vel minima civitas diſſentiat, nihil concludi poſſit; quo fit, ut omnium libertati conſulatur, nec potentiorum decretis imbecilliores opprimantur.

CAPUT IX.

De legibus, earum origine, & diverſa in omni Republica ratione, de earundem abrogatione & promulgatione. De tribuendis præmiis. Denique de pœnis juſtè & cautè imponendis.

§. I.

CUm non ſufficiat in Republica eſſe ſupremos & ſubalternos Magiſtratus

tus

tus, iisque ſubditos eſſe devinctos, niſi hi etiam intelligant, quid iſti velint, quidque facere debeant, & cavere; neceſſaria *Lex* fuit, quam proinde *civitatis publicam Linguam*, non ſine cauſa veterum quidam appellavit.

§. 2. Ante leges, ratio ſubditorum & autoritas Principum pro lege fuêre, ſed poſt oblivionem rationis, & contemptum autoritatis in ſubditis, hujuſque in Magiſtratibus abuſum, natæ ſunt Leges.

§. 3. *Lex autem ratio quadam eſt, quæ ſupremorum Magiſtratuum autoritate, vel communi conſenſu civitatis definita, aut jubet quid, & quomodo quidque agendum ſit, aut quod non agendum vetat, boni omnium obtinendi, aut declinandi mali cauſa, conſtans quidam, & ſine affectu, ſine gratia, & odio*, ut Tullius alicubi loquitur, *Magiſtratus*.

§. 4. Leges autem aliæ atque aliæ ſunt, ſunt enim quæ Imperii & Impe-

rantium majeſtatem, libertatem populi, inſtitutionem, ordinem, vim Magiſtratus, & ſummam Reipublicæ concernunt, & fundamentales ferè dicuntur, de quibus in præcedentibus agebamus alibi.

§. 5. Hæ à majoribus acceptæ, & ſanctisſimè ſemper obſervatæ tàm debent eſſe æternæ, quàm ad obtinendam Reipublicæ æternitatem ſunt comparatæ: ut verò æternæ maneant, nec cum mutatis Magiſtratibus ſubinde mutentur, omninò condendæ ſunt leges quædam earum cuſtodes, quibus ſeverisſimæ in eos conſtituantur pœnæ, qui de iis mutandis aut abrogandis vel aliquid in mediū tantùm ſunt allaturi.

§. 6. Neque cuſtodiendæ ſolùm iſtæ, ſed novæ ſubinde ſuperaddendæ ſunt, quibus nec veteres ullatenus infringantur, & quarum perpetuus, ſemperq; ſalutaris in republica uſus futurus providetur.

§ 7 Sunt & quæ privatorum inter ſe li-

ſe lites & controverſias, perſonas, res ſpectant, & actiones civiles: & foreſes ferè appellantur. Illæ à majoribus itidem traditæ & ſingularum ingenio gentium adæquatæ, non obſervari tantùm religiosè debent, ſed augeri, ſi quæ fortè lites ſeſe offerant, quæ à majoribus non ſint definitæ. Sed etiam corrigi oportet, ſi quas duritie veterum conſtitutas, & primis iſtis, rudibusque temporibus accommodatas, ſimul cum his expediat mutari. Quin etiam interpretandæ & illuſtrandæ ſunt, ſi quæ aut ambiguè, aut obſcurè ſe habeant, aut ad præſentis temporis malas artes, calliditateſque profligandas non ſatis comparatæ.

§. 8. Novis hic ſubinde legibus eſt opus, cum novæ quotidie cauſæ offerantur, nam *arbitrio Judicum non eſt permittendum, quod legibus poteſt definiri.* Cùm, ut Juſtinianus loquitur, longè rectius, multoque utilius ſit, ſi lites non hominum voluntate, ſed Legum autoritate dirimantur.

§. 9. Mutatis ſubinde ac correctis legibus hic opus. Nam cum tempore ſæpè Reſpublica mutatur, ideoque receptæ leges mutandæ; neque enim Reſpublica eſt propter Leges, ſed propter Rempublicam ſunt Leges inſtitutæ. Neque leges artis cujusdam & diſciplinæ ſunt, quæ mutari non poteſt, ſed prudentiæ, quæ diverſa probat, pro diverſa rerum & temporum conditione.

§. 10. Denique mutatis ſæpè & illuſtratis veteribus Legibus eſt opus. Nam creſcente hominum calliditate, pariterque malignitate, creſcere etiam debet aſtutia legum, quarum vetus ſimplicitas dolosa interpretatione facilè aliàs poſſet everti.

§. 11. Sunt poſtremò etiam leges quædam, quæ ſpectant totius Reipublicæ diſciplinam; hæ, quid cuique agendum, quid non agendum, præſcribunt, & non agenti, vel contrà agenti indicunt pœnam, & rectiſ-

ſimo

ſimo nomine cenſoriæ poſſunt appellari.

§. 12. Quicquid ad ornatum, augmentum, & pacem Reipublicæ augendam vel minuendam facit, harum legum eſt argumentum. Quæ mala jam facta judicant, ne talia in poſterum fiant impunè, quæ his ſimilia facilè fieri poſſent, ut præveniantur, quæ hactenus facta non ſunt bona, & fieri neceſſe eſt, ut fiant, iſque finis harum legum eſt & inſtitutum. Quæ quidem Leges, cum ſæpè fieri non poſſint, ſine aliqua privatorum quorundam noxa, horum cauſâ, ſi modò cæteræ multitudini utiles futuræ ſint, differri non debent. Præſtat enim in Republica paucis quibusdam nocere, & reliquis omnibus prodeſſe, quàm paucorum quorundam cauſâ omnibus nocere.

§. 13. Cæterùm iſtæ quidem leges, cum non verſentur circa malum & bonum, quod ſemper tale eſt, & morale vulgò in ſcholis appellatur, ſed

circa illud, quod ſemper tale non eſt, ſed tale tantùm æſtimatur ex judicio legum, & politicum dicere rectè poſſimus, perpetuæ ut ſint, non eſt neceſſe. Quæ enim jam bona ſunt, mala, quæ jam mala, bona aliquando poſſunt videri, pro diverſo temporum uſu, neceſſitatisque ratione. Laudanda autem eſt mutatio priorum iſtiuſmodi legum, ſi ſublata ſit earum cauſa, ſi manente ea, modus, qui iis definitus eſt, melior ſeſe offerat, quo ad finem legis poſſit perveniri. Si denique neque præcipitis judicii ſit, quoad Magiſtratus, neque, quoad ſubditos, improviſa.

§. 14. Denique autoritas ac vis legum eſt à legislatoribus, à publica promulgatione, à ſententia earum aperta, conſummata, à ſententiæ ratione, confirmata 1. ab eo, quod poſſit fieri, 2. quod fieri debeat, 3. ab eo, quod fieri expediat, à mutuo auxilio legum, à conſtanti & æquali in eas obſequio, ab ipſa earum, quanta obtineri poteſt,

con-

conſtantia, denique à metu injecto ex decreta in eos pœnæ ſeveritate, qui non obſequuntur. Neque enim ulla Lex valida eſt ſine pœna; cùm eâ nolentes etiam & inviti ad obſervationem legis conſtringantur. Qui enim ratione non poſſunt, terrore corriguntur.

§. 15. Neque tamen per vim ferendæ leges ſunt; quippe cum adverſus vim latæ ſint; neque imperio utendum eſt, ubi legibus agi poteſt.

§. 16. De pœnis cum loquimur, præmiorum non obliviſcendum eſt. Nam utriſque Reſpublica continetur. In his ergò obſervari debet diſtributionis æquitas, cum remp. lædat, damnoq; afficiat, qui præmia in non merentes exponit.

§. 17. Ornantur verò præmiis magnæ virtutes, & impelluntur homines, ut reipublicæ causâ iis incumbere, & ad ejus ſalutem convertere velint: Deferendaque adeò viventibus & mortuis ſunt ob facta atque merita.

Quâ in re ad duo potiſſimùm attendendum, I. ut ea præmia conſtituantur, quæ ſint honorifica accipientibus, ſed ærario non damnoſa, aut reip. nocua. II. Ut tantùm magna merentibus & rarò deferantur.

§. 18. Porrò autem de pœnis generatim ita ſtatuendum eſt, veluti Rempublicam, & ſe, punire eum Magiſtratum, qui nimius eſt in exigendis pœnis, qui non punit, quo oportet, tempore, loco & modo, qui denique in puniendis nocentibus eſt crudelis, & ſic odium populi, veluti pœnam quandam derivat. Neque enim ſufficit, æquas eſſe pœnas, niſi etiam prudenter, & cùm uſui Reipublicæ ſunt, imponantur. Speciatim verò ea, quæ ſequuntur, accuratè obſervanda ſunt.

(I.) Præſtare pœnam legibus definiri, quàm arbitrio Magiſtratus relinqui, ita enim fiet, ut non ex odio aliquo, aut adfectu privato, ſed præſcripto legis pœnam exercuiſſe videatur.

(II.) Gra-

Digitized by Google

(II.) Graviores pœnæ per leges indicantur, quàm, poſtquam peccatum eſt, exigantur. Ita enim accuratiùs leges obſervabuntur, quantò major ex iis terror erit injectus.

(III.) Circumſtantiæ temporum, rerum, ordinis, ætatis aliaque ejusmodi, ob quæ quis immunis à pœna, aut mitiùs puniendus videri poſſit, non inſerantur legibus, ſed arbitrio & judicio Magiſtratus relinquantur. Sic enim minùs peccabitur, & quisque teneri ſeſe ad legis obſervationem, aut ad pœnam, exiſtimabit.

(IV.) Ceſſet ſubinde potiùs pœna quàm ſi exacta, redundatura ſit in eos, qui exigunt, neq; interim credendũ eſt, pœnâ legis ceſſante, legẽ etiam ceſſare.

(V.) Ne à quibusvis Magiſtratibus inferioribus remiſſâ pœnâ, diſſolvatur autoritas legum, utile fuerit, ita ſtatuere, ut remittere pœnam non ſit inferiorum Magiſtratuum, ſed tantùm ſupremorum.

(VI.) Pœ-

(VI.) Pœnæ omnes crimina imitentur, ſic enim criminum gravior non eſt futura pœna, & quod æquitas imprimis requirit, proportio ſit inter delictum & ſupplicium.

(VII.) Gravior tamen ſingulari delicto ſit pœna, ubi tale offertur, quod facilè poſſit perpetrari, & facilè perpetraturi alii metuantur, niſi graviſſimæ in id pœnæ conſtitutæ ſint. Quæ enim aliâ ratione avertere non poſſumus delicta, quorumque aliàs fœcunda & noxia ſeges ſit futura, averti debent magnitudine ſuppliciorum, neque enim hîc pœna comparanda cum ſingulari delicto, ſed cum pluribus illius delicti futuris exemplis, niſi ſeveriſſimè puniatur.

(VIII.) Ubi â ſummis viris admiſſum crimen eſt, ſi ſupplicium exigatur, metuendi veniunt motus, ideoque conſultum eſt, inter Imperii arcana pœnam, quæ ſpeciem honoris habet, excogitare.

IX. Ubi

(IX.) Ubi à pluribus commiſſum flagitium eſt, nec agnoſci, ac deprehendi poſſunt autores, nec flagitium manere debet impunitum, paucis, ſorte lectis, pœna imponatur, nam ſupplicium in paucos validum eſt ad terrorem cæterorum, *multorum ſupplicium clades eſt, non medicina*, ut *Germanicus* apud *Tacitum* loquitur. *l. 1. A. c. 49. ſ. 3.*

(X.) Ubi à multitudine peccatum eſt, & deprehendi poſſunt autores, parcendum multitudini, non autoribus, quippe *ne pœna ſit latrocinium*, optimè, plures ubi peccavêre, in uno aut paucis autoribus puniuntur, dum & iidem ſuum delictum eſſe intelligunt, propter quod unus, aut pauci puniuntur, & ideò unius aut paucorum ſupplicio corriguntur, *licet pœnæ exempti, tamen pœnitentiæ ſervati.*

(XI.) Prudentiæ etiam eſt, ad præveniendos graviores motus, ſi ita ſeſe inter flagitioſos ſubinde gerant Magiſtratus, ut videri potiùs poſſint inveniſ-

veniſſe bonos, qui mali ſunt, quàm eos, qui peccarunt, pœnis bonos facere voluiſſe.

(XII.) Sed & ſæpiùs pœnitentia, quàm pœna, oportet eſſe contentum.

(XIII.) Quin & Reipublicæ expedit, omnia ſcire, ſed non omnia exequi Magiſtratum.

(XIV.) Cavendum inprimis illi, qui punit, ne pœnis delectari, ne perſonam, quàm flagitium potiùs punire videatur, ne etiam veterum ſuppliciorum, auctis iis aut novis additis, atrocitatem intendat.

(XV.) Lento remedio pœnarum opus eſt contra mala, quæ jam omninò ſunt inveterata & fœcunda, non ut ſtatim deſinant, ſed ne ulteriùs progrediantur, mox ut decreſcant, tandem ut tota extirpentur. Nam *naturâ*, ut *Tacit*, loquitur, *infirmitatis humanæ tardiora ſunt remedia, quàm mala.* in *Agric. c. 3. §. 1.*

(XVI.) Ubi ab omnibus peccatum

tum eſt, unius ſaltem & alterius, illuſtrioris inter cæteros, ſupplicio contentus eſſe Magiſtratus poteſt. Quantò enim quis ſplendidior majori mole prociderit, tantò in cæteros diſpergitur plus terroris.

(XVII.) Supplicio noxii, non lapſi afficiantur.

(XVIII.) Supplicio denique omni ſuus ſit oportet modus, nō tàm rei cauſa, quàm ſeculi & Imperantis. Quippe, ut æquitatis eſt, punire eos, qui peccarùnt, ita æquum eſt deflectere ſubinde à ſtricta æquitate, nec minùs prudentiæ lex eſt, ut clementes ſint Magiſtratus.

§. 19. Clementiæ autem duæ ſunt partes, aut remittere pariter crimen & pœnam, aut non remittere, ſed tantùm mitigare.

§. 20. Remitti omninò poſſunt crimen & pœna, ubi & rei ſervati non nocituri creduntur Reipublicæ, aut privatis; & puniti cæteris exemplo non ſunt profuturi. Servati interim prodeſſe

poſ-

poſſunt, clementiæ Magiſtratus auctâ famâ, ubi ſe ita res habet, profectò miſericordia melior privatis eſt, quàm principibus rerum, adfectus.

§. 21 Non verò remitti, ſed tantùm mitigari debet pœna, ubi & intereſt Reipublicæ, isque ſe offert reus, idque crimen, in quo expediat judicem ſeverum pariter videri ac miſericordem.

EXPLANATIO.

DIximus §. 2. *ante leges rationem & auctoritatem pro legibus fuiſſe:* poſt oblivionem verò rationis & contemtum aut abuſum auctoritatis leges ſecutas eſſe. Quibus verbis origo omnium legum exprimitur. Ratio nimir. ante leges fuit. Rationis præſcriptum veteres ſecuti, etiam cùm nullæ leges exiſterent. Cum enim propiores origini ſuæ ad bonum ſponte ferrentur (Unde aurei ſeculi vel ætatis hunc ceu characterem ſignat *Poeta,*

> —— —— —— quod vindice nullo
> ſponte ſuâ ſine lege fidem rectumque colebat.

Lib. 1. Metamorph. verſ. 89.) impelli legibus non debebant. Exempla itaque & mores pro legibus eſſe cœperunt. Fuit quoque ante leges Auctoritas imperantium, nempe qui pro lubitu

Digitized by Google

lubitu quidvis ſine præſcripto legum impetrabant. Contemni tamen poſtea cœpit ob has potisſimùm cauſas & rationes. 1. Quia ſubditi mortales eſſe Principes videbant, iisque extinctis extinguebantur obſequia quoque. 2. Quia varii erant affectus Principum, quibus non delectati ſubditi. 3. Quia diverſa imperantium inter ſe imperia & voluntates, ac ſæpè ſequentes priorum acta reſcindebant, adeoque datum exemplum obſequentibus, contemni poſſe eorum auctoritatem. Cum itaque in oblivionem veniret ratio, contemni cœpiſſet auctoritas, aut eâ abuti Principes, ad tria hæc mala prævenienda leges ſunt latæ. Plura vid. ap. TAC *l. 3. An. c. 25. 26. 27. 28.*

Porrò §. 3. definivimus legem, quæ definitio deſumta eſt ex proœmio *Rhetor.* ARIST. *ad Alexandr.* Rationem eam vocamus, quia fundamentum ejus eſt in ratione, & ubi ratio exulat, ibi non lex ſed corruptela eſt ac Tyrannis. Quia verò ratio univerſalis eſt, ſingularibus Rebuspubl. non poteſt applicari, aſtringimus eam communi civitatis bono. Cum enim omnium eadem ſit ratio; non autem eadem ſit omnis Reſpublica, pro diverſitate ingeniorum ſubditorum, ratio hæc pro cujusvis reip. ſalute ac utilitate ordinari ac reſtringi debet. Hinc fit, ut diverſæ res ac inſtituta Reip. eandem tamen habeant pro fundamento rationem. Ita quidam ad imperium utrumque admittunt ſe-

xum,

xum, quidam tantùm Maſculinum, quia hoc aut illud magis conducere Reip. putant.

Et in hâc ipſâ definitione diximus lege juberi quæpiam, ſcil bona, aut vetari, nempe mala. Quibus verbis omnis legum natura eſt expreſſa. Ex totidem enim vitiis hominum totidem legum partes ortæ ſunt: ubi itaque defecit rationis vis, præſcriptum legibus bonum, ad quod ſuâ ſponte homines non poterant eluctari, vel quia ſocordes adeò eſſent, ut virtutem non ſectarentur abſque præmio, legibus præmia talibus præpoſita: Aut quia vis rationi inferebatur, quod puniri debebat, aut quia denique prudens Magiſtratus metuebat, ne quis exemplo aliorum peccaret.

Diximus §. 4. *& ſeqq.* Duplices eſſe leges, nempe Magiſtratuum & Subditorum. Cum enim nimium liberis populis videretur, omnem Magiſtratui tribuere Majeſtatis auctoritatem, niſi eſſet aliqua auctoritas ſuperior, qua teneretur aut obligaretur Magiſtratus, leges ipſis præſcriptæ ſunt, quæ fundamentales appellari ſolent, qualis in Gallia eſt *lex Salica*, in Germania *aurea bulla* Caroli IV. atque in aliis Regnis præcipuè illæ leges, quæ de electione ac ſucceſſione Magiſtratuum ſummorum agunt. Tales autem leges ſummè neceſſariæ ſunt tàm reſpectu imperantium, quia cum in admovendis ſucceſſoribus graviſſimi motus oriantur, interfuit illorum legibus omnes

mnes

mnes decidi controverſias; quàm reſpectu ſubditorum, quia debuit arbitrium Principum reſtringi; unde ſequitur, æternas eſſe oportere eas. Et certè tantùm faciunt ad præſidium libertatis, ut augeri plerumque ſoleant, novisque principibus electis novæ addantur, quod â Belgis, dum ſub comitibus agerent, accuratè obſervatum eſt. Ut autem hæ Magiſtratus leges ſunt æternæ, ita ſubditorum commodo â Magiſtratu latæ mutari poſſunt. Cum n. aut tempora, aut res, quæ mutari poſſunt, reſpiciant, objecto mutato, lex quoque ipſa mutatur. Suntq; iſtæ duorum generum, Divinæ ſc & Humanæ. Divinæ ſunt, quibus religio, aut ſacra, aut æſtimatio ſacrorum præſcribitur. Iſtæ primæ ſunt, quia vinculum ſunt Rerumpubl. & nonnulla cauſa. Primæ quoq; reſpectu ſecundarum. Vix enim valituræ ſunt humanæ, niſi illæ præceſſerint. Ideò uſitatum legislatoribus eſt in principio atque exordio legum primò hanc ponere legem: Colendum eſſe Deum, quod vel ex ipſo CIC. *de LL.* apparet. Quo conſilio 1. Magiſtratus Autoritas firmabatur. 2. cùm audirent, Deos eſſe purè colendos, ad omne ſtudium virtutis excitabantur. Sed de his plura diximus *c. 7.* De humanis autem ſufficienter egimus *§. 7. ſeqq.*

Diximus etiam §. *14. cauſas, ex quibus omnis vis legibus eſt atque autoritas.* Eſt autem illis vis ſua I. *à legislatore*, qualis enim lator eſt,

eſt, talis etiam lex ipſa: Ut autem autoritate ſua legem commendet, duo ipſi agenda 1. Tàm procul ab affectu, quàm prope rationem eſſe debet. Ideò potiſſimum Gracchi & ceterorum Agrariæ leges nunquam in Rep. Rom. obtinuerunt, quia ab affectu profectæ videbantur, nempe quod hos, aut illos demereri volebant. 2. ut ipſe non tàm cauſa & anima, ſed etiam exemplum ſit legis in ſe ac ſuis. Meritò ergo laudat Tacitus Agricolam, quod à domo ſua exorſus fuerit diſciplinam *c. 19. §. 2.*

Sua vis ac autoritas conſtabit legibus ſi *earum ratio confirmetur I. ab eo quod fieri poſſit.* Dupliciter id intelligendum.

(1.) *Reſpectu Magiſtratuum*, ne ferant leges, quarum obſequium non poſſint extorquere, & ſic amittant autoritatem. Maximè id attendendum, ubi de corrigendis in Rep. malis agitur. Cùm enim ſæpe validius ſit remedio malum, contemnitur autoritas obſequio non reportato. Nunquam itaque ſe impares legibus ſuis extorquendis debent oſtendere magiſtratus. Quod intellexit Tiberius, qui ideò quæſtionem de legibus ſumtuariis revocandis omittendam cenſuit, quod malum potentius remedio eſſe videbatur. Tac. *l. 3. An. c.* 52. (2.) Reſpectu ſubditorum. Non enim immodica parentibus debent imponi, ut poſſint exequi. Qua in parte peccatum à Romanis, qui nimia provincialibus imponere ſolebant, ex quo frequentes

quentes ſecutæ defectiones. Ab Hiſpano quoque deficiendi& hæc cauſa Belgis fuit,quod nimia ejus imperia ferre non poſſent. Nimirum nihil eorum agere ſubditi volunt, quæ poſſunt,ubi vel unum à Magiſtratu imperatur, quod exequi poſſe ſe deſperant. Summè à Tiberio id obſervatum, ideò civium ac provincialium onera ſæpiùs remiſit.

II. *Ab eo,quod fieri debet.* In non neceſſariis non occupandi ſubditi, cùm ad neceſſaria vix ſint ſufficientes. Nec in adiaphoris ac indifferentibus ſubditorum patientia eſt abutendum ac obedientia. Atque ita peccavit Claudius, qui teſte *Suetonio c. 16.* multas leges promulgavit, una die, quarum nulla planè erat neceſſitas. Hoc verò præceptum obſervandum in iis potisſimum legibus,quibus oneri ſunt ſubditis Magiſtratus, ut nimirum, quando tributa imponuntur,ſumma ſit eorum neceſſitas, quæ præcipuè à juſtis bellis dependet. Quam in rem Tac. *l. 4. Hiſt. c. 74. § 2. Neque quies gentium ſine armis, neq; arma ſine ſtipendiis, neq; ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Sic & centeſimam rerum venalium edixit Tiberius deprecante populo, militare ærarium eó ſubſidio niti cauſatus, apud eund. *l.1.A.c.78 §. 2.*

III. *Ab eo,quod fieri expedit* ſeu utilitate. Quàm enim libenter quisq; utilitatem amplectitur, ita quoque legem,quam utilitatis cauſa eſſe novit. Quia autem non ſemper poteſt tanta eſſe utilitas, præferri tamen debet in ſpe-

ciem: quam ſpeciem obſervavit Nero, qui remiſit vectigal emptoribus, ſed à venditoribus illud exegit, quod idem fuit; Nam vendebantur tantò carius omnia. TAC. *l. 13. A. c. 31. §. 3.* Utilitas autem legis in eo conſiſtit, ut publicum quidem præferatur commodum, ſed ea quoque ſinguli juventur.

Accipiunt etiam leges robur *à mutuo invicem auxilio.* Quando nimirum una lex gravis lata, altera ferri debet, quæ priorem juvet. Quod in Gallia à Cardinali Richelieu obſervatum; cùm enim nimia imponerentur vectigalia, & ob hoc motus, præcipuè in Normannia, orirentur, lata eſt lex ſumptuaria, ne veſtes auro ornarentur, quo pacto, demta parte ſumptuum, ſufficientes oneribus magis efficiebantur. Obſequium itaque unius legis alterius commodum præſtitit.

Nec non *à conſtanti & æquali omnium obſequio.* Non enim delectus perſonarum habendus eſt, ubi omnibus lex fertur, neque patiendum, ut leges perturbentur, ambitu, vi, pecunia, quod ante Auguſtum, & inſtitutum ab eo principatum factum in rep. Rom. dicit TAC. *l. 1. An. c. 2. §. 4.*

Ab ipſarum legum conſtantia accedit eis non parùm autoritatis. Non enim ita ſæpe leges ſunt mutandæ, nam hoc multùm demit legi & legislatori autoritatis. Quia enim 1. fluctuantis & incerti animi eſt indicium, quæ ante tuleris, in nihilum redigere, 2. minus obſequii

quii ſperandum, ubi ſæpiùs diſſolvitur obſequium. 3 Unica lege ſublata populus etiam in intactis ſequitur exemplum (Cùm enim putet, eas ſublatas eſſe, quia incertæ erãt, has quoque credit auferẽdas, quia æquè incertas exiſtimat. Pertinet huc querimonia GRAMOND. *l.* I. *hiſt. Gall. p* 76.) Ideò aut non ferendæ ſunt leges, aut ubi latæ ſunt, non temerè mutandæ. Non imprudens itaq; ille mos Locrenſium aut Thuriorũ (nam de utrisq; traditur) fuit, apud quos ſi quis ad disſuadendum leges procederet, collo ejus laqueus circumponebatur, ut ſi Senatoribus & populo legis diſſuaſio non probaretur, laqueo vitam finiret. (Vid. RITTERSHUS *orat.* comm. in Inſt. præmiſſam *p. 15. &* 16.)

Maximam denique vim leges habent ab injecto pœnæ metu, cujus intuitu complures à transgreſſione earum ſibi ſollicitè cavent, non facturi, ſi ille abſit. Nimirum oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Addimus poſtea *non per vim eſſe ferendas leges.* Talium enim legum non poteſt obſequium obſervari, quia amota vi quoq; amoverentur. Quod exemplo Pompeji notum fecit TAC. *l. 3. An. c. 28. §. 1.* qui gravior remediis, quàm delicta erant, ſuarumque legum autor idem & ſubverſor, *quæ armis tuebatur, armis amiſit.*

Nec imperio utendum diximus, *ubi legibus agi poteſt.* Quia imperium perſonæ eſt & ideò inviſum, quia vis eſt. Lex autem rationis, quam quisq; amat, quia ea imbutus eſt, qua imprimis

opus eſt ad imperantium autoritatē, quæ tantò major eſt, quantò faciliùs ſubditi ſine imperio legibus obſequuntur. Hinc quidam principum maluerunt ſeipſos novis legibꝰ obſtringere ad favorem populi aucupandum. Notandum hâc in parte *Tiberii* apud TAC. *l.3. An. c 69.* §. 7. dictum: *Ne verterent ſapienter reperta, & ſemper placita. Satis onerum principibus, ſatis etiam potentiæ: Minui jura, quoties gliſcat poteſtas; nec utendum imperio, ubi legibus agi poſſit.*

Egimus §. 16. de *præmiis*. Tanta autem eſt in Rep. præmiorum utilitas ac neceſſitas, ut ſi benè Reip debeat eſſe, neceſſariò tribui debeant merentibus. Licet enim Stoicorum ex ſententia, virtus ſibi ipſi ſit præmium, & ſemper pulcherrima merces tamen ſive ſocordia ſive ambitione humani ingenii factum eſt, ut virtus ex præmiis æſtimetur. Nemo quippe gratis bonus eſſe vult, ideò præmiis debent ad virtutem animari, quod JUVENALIS amplexus eſt dum dicit, Sat. 10. v. 141.

—— *Quis enim virtutem amplectitur ipſam,*
Præmia ſi tollas.

Quod fundamentum præmiorum innititur PLATONI, qui duplex eſſe animi generoſi certamen ſtatuit. 1. Quando cum virtute contendit, quod ſolius virtutis conſequendæ causâ ſuſcipitur. 2. Alterum cum gloria, quando poſt primum virtutis exercitium, præmio reportato ac gloria, majores ad virtutes accenditur, ut majorem gloriam adipiſcatur.

Præ-

Præmia autem juxta §. 17. non tantùm vivis, quod factum à Romanis, poſitis etiam viventibus ſtatuis, ut ad cætera alacriores fierent, ſed defunctis quoq; debent exhiberi: idque ob exemplum. Aſpectu enim & conſideratione præmiorum ac monumentorum quilibet ad gloriæ contentionem impellebatur. Hinc apud Romanos ſtatuis cæteriſque monumentis addi formula ſolebat: POSTERI VIRTUTEM IMITANTOR. Et omninò ideò monumenta publicè expoſita, ut ab omnibus ſpectari poſſent.

Diximus in Diſtributione præmiorum ad duo eſſe attendendum. 1. *ut ſint honorifica accipienti*, ſed *ærario publico non damnoſa*. Quæ regula illi innititur politico axiomati; ita promovendum privatorum bonum, ut publici ſemper major ratio habeatur. Honorifica autem & tamen non damnoſa Reip. præmia ſunt, quæ non magni quidem pretii ſunt, reſpectu præmii, ſed maximi, reſpectu virtutis, quia hæc ſola illa capiat. Romani levibus impenſis præmia decernebant. Hinc Coronæ illæ obſidionales, civicæ, ex gramine quidem aut frondibus, ſed tamen magni æſtimatæ, quia virtuti dabantur. Ad remunerandam quoq; virtutem præmium ſine diſpendio publico inventum eſt jus Nobilitatis, itemque Equitum ordines, nec nō inſignia gentilitia, quæ notæ quædam ſunt, quibus nonnunquam expreſſum eſt, quam ob rationem tributa ſint. Ideò in vetuſtiorum fami-

familiarum inſignibus Lunas, Acinaces, Capita Turcica eſt videre, quia illis temporibus frequentes in terram ſacram adverſus Turcas expeditiones. Illuſtria verò ingenia magis ad nomen, quàm ad lucrum attendunt. Ideoque Reſpub. non habet opus ſeipſam eorum cauſa exhaurire.

2· *Ut merentibus tantùm, & rarò tribuantur.* Cum enim per ſe vilia ſint præmia, magna fieri debent exiſtimatione virtutis; promiſcuo autem eorum uſu decus perit. Magna itaque tantùm merentibus honor tribui præmiorum debet. Inferiori gradu qui conſtitit, laudem meretur, non præmium. Deinde ad id, quod quis ex magnitudine virtutis, aut amore in Remp. agit, attendendum, & hinc præmia decernenda, quæ PLATONIS ſententia eſt. Hoc à Romanis accuratè obſervatum, ſub Cæſaribus tandem collapſum eſt.

Cum de pœnis egimus, §. 18. etiam circa illas obſervanda nonnulla monuimus. Omninò quidē præſtat, ſi fieri poſſit, pœnas non erogare; Præſtat habere non peccaturos, quàm punire eos, qui peccant. Quia juſtæ etiam pœnæ famam crudelitatis poſſunt conciliare, ut benè dicat THUCYDIDES: ſævus audit, quisquis punit, quamvis meritò punit. Benè etiam ab *Agricola* factum, quod publicis miniſteriis præpoſuerit non peccaturos potius, quàm eos, qui ubi peccaſſent, neceſſitatem puniendi ipſi eſſent allaturi & impoſituri. TAC, *c.19. §.5.* Cum autem

tàm

Digitized by Google

tàm exoſæ eſſent pœnæ capitales, ratio exilii excogitata eſt. Exilio enim non tàm puniuntur nocentes, quàm amoventur. Ex Monitis

8. *eſt, ubi admiſſum crimen à magnis & ob eorum ſupplicium metuendi motus, conſultum & inter arcana Imperii eſt*, pœnam, quæ ſpeciem honoris habet, *excogitare.* Arcanum hoc ſæpiſſimè à Cæſaribus Romanis eſt uſurpatum, præcipuè à Domitiano, qui Juvenalem, quod in eum impegiſſet carminis fortè licentia, nolletque eum ob amorem populi punire, ſpecie honoris in Ægyptum Tribunum ablegavit, teſte SVETONIO *in ejus vita.* Nullam autem etiam frequentiùs Hiſpani uſurpant. Sic Ambroſius Spinola ad Regem delatus ex Belgio avocatus eſt, ſub ea ſpecie, ut in Italiam Imperator militiæ mitteretur.

9. *Ubi à pluribus flagitium admiſſum, pœnæ in paucos exempla, & metus in omnes debent derivari.* Nempe mali maximum eſt contagium, præcipuè in vulgò facilè inveniuntur, qui primos ſequantur: ſi itaque in omnes pœnæ conſtituerentur, amitteretur omnibus extirpatis uſus ac finis pœnæ, qui eſt exemplum in reliquis.

11. Cauti Magiſtratus eſt, ad præveniendos graviores motus, ſubinde *videri potius inveniſſe bonos, quàm eos, qui peccarunt, pœnis bonos feciſſe.* Sæpè enim fit in Rep. ut pœnis impoſitis illi qui excipiunt, reddantur deteriores; ſæpè contrà fit, ut ubi quædam mala omittunt

Magiſtratus, quaſi ea neſcirent, ipſi peccantes ſponte ad bonum redeant. Quocirca laudat in *Agricola* Tac. c. 7. §. 5. quod ad componendos vicesimæ legionis motus ſeditiosiùs agentis maluerit inveniſſe bonos, quàm feciſſe.

12. *Sæpiùs pœnitentia quam pœna oportet eſſe contentum.* Neque enim (ut ait Arist.) pœnis ſemper damnandum eſt illud, quod ipſius, qui peccavit, judicio damnatum eſt; quod præcipuè tùm temporis eſt obſervandum, quando ex pœnis majores motus expectantur. Tenendum enim ſemper eſt, non debere puniri, quod pœnam meretùr, niſi pœnâ impoſitâ de Rep. benè poſsimus mereri.

13. *Aliquando Reip. expedit omnia ſcire, ſed non expedit omnia exequi*, i. e. ſcire debet magnitudinem ſceleris, ut maturè præveniat, ſed non ut ſtatim puniat, quia multa per ſe tempore corriguntur. Eſt autem hoc pariter & præcedens præceptum ex Tac. *Agric.* deſumtum c. 19. unde & hoc non inutiliter notes, quod parvis peccatis venia, magnis ſeveritas debeat commodari.

14. Cavendum illi, qui punit, *ne pœnis delectari, ne perſonam* potiùs, quàm *flagitium odiſſe* videatur. Juſta enim pœna, reſpectu delinquentis, injuſta eſſe poteſt, reſpectu imponentis, ſi potius odii privati in peccantem, quàm publicæ juſtitiæ habet rationem, aut potiùs ad crudelitatem, quàm juſtitiam pœna ſpectat. Non videntur autem delectari pœnis, qui non

ſpe-

Digitized by Google

ſpectant eaſdem; unde meritò *Domitianum* notat Tac. *in Agricol. c.* 45. §. 4. *Nero tamen ſubtraxit oculos, juſſitq; ſcelera, non ſpectavit;* præcipua ſub Domitiano pars miſeriarum erat videre & adſpici. Cum ſuſpiria noſtra ſubſcriberentur cum denotandis tot hominum palloribus ſufficeret ſævus ille vultus & rubor, à quo ſe contra pudorem muniebat.

Denique ac poſtremò & hoc addendum eſt, *ejusdem eſſe Magiſtratus videri & præmia & pœnas inferre.* Cum enim præmia cum gratia, pœnæ cum odio imperantium ſint conjunctæ, nemini tantùm relinqui debet gratia, & nemo tantùm exponi debet odio: ſed odium pœnæ gratiâ præmii eſt mitigandum. Benè itaq; ap. Tac. *lib. 1. An. c.* 26. §. 4. conqueruntur tumultuantes milites: Novum id planè, quòd Imperator ſola commoda militis ad ſenatum conjiciat, eundem ergò ſenatum conſulendum, quoties ſupplicia aut prælia indicantur. An pœnas ſine arbitro, præmia ſub Dominis eſſe? Benè igitur ſe præmia, benè ſe pœnæ habebunt, quando inferuntur illis, qui merentur; cùm ab illis imponuntur, qui autoritatem poſſunt commodare; cùm eo modo irrogantur, ut Reſp. ex iis nihil accipiat detrimenti, denique cum clementiâ quâdam ut eſt §. 19. ſeqq. temperantur.

CAPUT X.

De opibus Reipublicæ acquirendis & conſervandis, de vectigalium ac Tributorum, Ærariorumque in Republica ratione.

§. 1.

Cum non ſufficiat autoritas Magiſtratus & leges, de quibus dictum hactenus, niſi idoneis poſſit opibus propugnari, magna in iis acquirendis & conſervandis ſupremo Magiſtratui cura eſſe debet.

§. 2. Opes autem omnes Reipublicæ, aut cum Republica natæ ſunt, aut ex privatorum fortunis colliguntur.

§. 3. Cum Republica natæ illæ ſunt, quæ primo Imperiorum exordio non occupantium ſingulorum, ſed occupantis Reipublicæ fuêre, & poſtmodum mansêre. Publicè enim & ſingulorum interfuit, ut quædam non eſſent ſingulorum, ea nimirum, quibus non tàm ſinguli, quàm conjunctim omnes debebant, ac ſolis poterant juvari.

§. 4. Sub tribus autem ferè iſta con-

ſiſtunt,

ſiſtunt, *in fundis*, *in ſingularibus beneficiis naturæ*, denique in *peculiaribus quibusdam iuribus*, uſui Rerumpublicarum ſervatis.

§. 5. *Fundos* voco, loca publica, in quibus ſedes eſt aut ſolennis Magiſtratuum, ut in curiis, aut omnis, ut in foris, theatris, templis, aut quorundam ordinum: ut de cæteris omnibus nunc non dicam, lanionum in macellis, pro eorum indulto uſu, ut aliquid in Rempublicam ab utentibus conferatur, & inſtitutis & moribus ubique ferè receptum eſt.

§. 6. *Singularia beneficia naturæ*, quæ maximum conferunt in Rempublicam emolumentum, voco ea bona, quæ in ſingularum gentium ditione nulla humana induſtria præſtantur, ſed arcano quodam conſilio providentiæ, & favore benignitatis divinæ, non tàm in ſingulorum, quàm omnium uſus nata videntur, quæ ſub initia Rerumpublicarum Principes & Magiſtratus idcircò in uſus publicos ſervavêre,

ut, E.G. huc referri poſſunt fodinæ metallorum, ſalinæ, ſuccini proventus, ſylvæ, flumina piſculenta, aliaq; ejusmodi, in quibus nullam privatorum agnoſcere eſt induſtriam, poſſuntq; eâdem de causâ huc revocari omnia alia iſta bona, quæ *regalia* vulgò appellantur.

§. 7. Cùm enim, ut imparia, iſta bona dividerentur, neceſſum erat ſanè, ut Reſpublica non excluderetur, ut domi in Magiſtratibus autoritatem & pompam poſſet tueri, ut foris adverſus hoſtes poſſet eſſe valida, ut denique, cum autoritas publica major debeat eſſe potentia & viribus ſingulorum, privatorum fortunas Respublica poſſet ſuperare.

§. 8. Ex illis opibus nihil unquam imminui debet, aut alienari, &, ſi negligentiâ & improvido conſilio Magiſtratuum quid imminutum ſit, ſemper agi poteſt repetundarum. Nam quicquid publicum eſt, expedit continuè augeri, neque præſcriptione temporis, ut JCti loquuntur, adverſus Rem-

publi-

publicam uti licet. Ut enim pupillo negligentia tutorum, ita Reipublicæ nocere non debet negligentia Magiſtratuum, cùm inſtar populi tutorum ſint.

§. 9. Poſſunt tamen opes iſtæ privatis, urgente neceſſitate, pro certâ pecuniâ, quâ præſenti Respublica ſubinde opus habet, pretio in annos aliquot oppignorari, dominium ſibi interim Respublica ſervat, cùm & aliàs ſoleant Regalia ejuscemodi, pro certo annuo pretio maximum offerentibus privatis elocari. Sed & ratio eſt qua publica bona conferri poſſint in privatos, ita, ut non minùs interea iis ipſa Respublica juvetur; quod, ut alibi, ita in feudis licet obſervare, nam in iis conſervantur, velut ipſæ Reipublicæ opes, dum, qui feuda acceperunt, ſingularem fidem, & quædam legibus circumſcripta obſequia, Reipublicæ, aut Principi, præſtare tenentur.

§. 10. *Singularia autem jura*, quibus augeri Ærarium publicum poteſt, certi ſunt proventus, qui in ſolam Reipu-

blicæ utilitatem cedunt, ut eſt jus fiſci, jus adeundæ hæreditatis, ubi, hæredibus non relictis, privatorum quidam è vitis exceſsêre, & diverſa alia, quæ apud cordatas gentes in uſu ſunt.

§. 11. Cæterûm, cùm iſta, auctis neceſſitatibus, plerumque non ſufficiant, opes aliæ quædam ſuperſunt, & inventæ ſunt, quæ per tributa & vectigalia ex privatorum opibus colliguntur. Quæ quidem, ut majores, & faciliùs posſint obtineri, ad curam publicam maximè pertinere exiſtimamus opes privatorum, quantum liceat, tueri, ac agere.

§. 12. Cura autem iſta potisſimùm conſiſtit in conditis legibus ſumptuariis, & obſervatis; in rectâ monetariæ rei, in ponderum & menſurarum ratione; denique in commerciis, & opificiis promotis, &c.

§. 13. Per leges ſumptuarias, rectus opum uſus inter privatos; per monetariæ rei, ponderum & menſurarum rationem, pretium rerum, & res pretio adæquatæ; per commercia denique, &

opi-

opificia florentia, rerum omnium abundantia obtinetur. Et ita auctis quidem ſubditorum opibus, & conſervatis, tributa poſſunt imponi.

§. 14. Snnt autem illa in omni Republica, vel ordinaria, vel extraordinaria. Ordinaria ſunt, quæ certam, & ſtatam requirunt præſtationem, ordinariis publicis impenſis adæquata. Extraordinaria, quæ certam & quotannis recurrentem præſtationem non inducunt, ſed propter oblatam & inexpectatam ſæpè neceſſitatem, ſubinde præſtantur, ſubinde nō exiguntur, quales apud Romanos *Indictiones* fuêre.

§. 15. Sunt autem vel definita, vel indefinita: Definita cùm certum rei pretium indicitur, cujus nomine exigitur, qualia pleraq; eſſe conſueverunt. Non definita autem ſunt, quæ quidem autoritate publica, certo tamen modo, aut pretio non præſcripto, à privatis exiguntur, qualia *Oblationes* apud Romanos fuêre.

§. 16. Sed & tributa omnia, colligi

vel

vel ſolent à publicis perſonis, vel privatis elocari, quæ utraque ratio laudabilis & utilis eſt, pro diversâ ratione earum rerum, quibus tributa imponuntur. Colligenda enim ea ſunt, quorum certa iniri poteſt ratio, è Magiſtratu quibusdam ad eam rem delectis, non aliter atque in Batavorum Republicâ, tributa, quæ ædium, caminorum, agrorum nomine exiguntur, ita colligi conſueverunt. Elocanda autem privatis ea ſunt, quorum certa ratio iniri non poteſt, & in quibus utilior & major eſt futura privatorum, ſuo interim commodo etiam incumbentium, quàm publicam gerentium perſonam, cura, ut in eadem Batavorum Republica, vini, E. G. & cereviſiæ nomine exigenda vectigalia, non colliguntur, ſed elocantur privatis.

§. 17. Ea verò elocandi ratio, & utiliſſima, & tutiſſima Reipublicę futura ſic eſt, ſi ejusmodi Tributorum annuorum conductores, vades, & fidejuſſores idoneos afferant Reipublicæ, qui præſtare

ſtare debita poſſint Reipublicæ, ſi in iis præſtandis, fortè conductores non ſufficiant, quemadmodum in eadem Batavorum Republica fieri ſolet.

§. 18. Cæterùm, ut in imponendis tributis prudentiâ quâdam opus eſt ſingulari, ita ad ea, quæ generatim nunc ſubjungimus, maximè eſt attendendum.

(I.) Ea tributa probanda maximè ſunt, quæ peregrinos magis quàm domeſticos & cives afficiant, ingentibus nimirum tributis impoſitis in merces, quæ ad exteras nationes evehuntur.

(II.) Unde neceſſariò requiritur, tributa maxima exigenda eſſe, earum rerum nomine, quas à nobis ſolis, nec aliunde exteri petere poſſunt, aut obtinere, quarumque penes noſtram Rempublicam, quoddam quaſi, ut ita dixerim, monopolium eſt.

(III.) In merces, quæ ad pompam & delicias tantùm faciunt, quibusque carere licet, multò graviora, quàm iis, quarũ neceſſarius inter omnes uſus eſt, debent imponi tributa, quales E. G. ſeri-

ſericum, vinum generoſum; Non tamen rebus, ſeu mercibus non neceſſariis gravia nimis imponi debent. Aliàs enim ab earum uſu plerique abſtinebunt, nec quicquam ex iis commodi ærarium publicum reportabit.

(IV.) Iis igitur, quibus carere nemo poteſt, modica imponenda eſſe, vel ex eo apparet, quod in iis præſtandis, difficiles ſe ſubditi ſint præſtituri.

(V.) Ea inſuper etiam laudanda tributa ſunt, maximeque admittenda, quæ ſinguli vix gravia ſentiunt, & ab omnibus interim exacta, ærarium publicum plurimùm poſſunt juvare. Hac enim ratione futurum eſt, ut in rebꝰ maximè neceſſariis & gravioribus facillimè ſe omnis Reſpublica ſit expeditura.

(VI.) Prudentiæ etiam pars magna hîc eſt, titulo fictæ, aut metu exſpectatæ neceſſitatis, vectigalia ſubditis imponere, ut incumbenti neceſſitati par eſſe, & reſpondere Reſpublica poſſit.

(VII.) Semel impoſita non facilè tolli debent, cauſâ licet & neceſſitate ſublatâ.

Digitized by Google

tã Nam cũ odio imponuntur,& cũ difficultate obtinentur,&cauſa ac neceſſitas eadem facilè iterum poſſunt offerri.

(VIII.) Præſtat inveterata augere, quàm novos motus, novis impoſitis, pro obſequio reportare.

(IX.) In tributis, æqualitatis maxima habenda ratio, quæ in eo potisſimum verſatur, ut par ſit eorum ratio, ac paria hîc onera ſentiant,quorum pares in diverſis licet rebus poſitæ, ſitæq; ſunt opes.

(X.) Tributa ſine injuriis exigi debent, & imperati certis legibus, non præſtitutis tantum, ſed in vulgus editis, ex quarum præſcripto in exigendis tributis publicani verſentur.

(XI.)Mollia nomina,quantum licet, ex neceſſitate imponere tributis expedit, quò faciliùs ea admittant privati.

(XII.) Captanda imponendorum tributorum occaſio, cum res populo placituræ gerendæ, aut geſtæ ſunt, quæ maximè placuerunt.

(XIII.) Cùm maximum emolumen-

mentum reportet Reſpublica ex iis tributis, quæ ſingulorum opibus, pariter æſtimatis, imponuntur, eaque maximè privatis gravia ſint, legitima exceptio apud Magiſtratum quibusvis privatorum permitti debet.

(XIV.) Cæterùm gravisſimæ in eos conſtituendæ, nec remittendæ pœnæ ſunt, qui publicanorum induſtriam, fraude & malis artibus, ſunt eluſuri.

(XV.) Quò faciliùs etiam tributa tolerent privati, ab iis præſtandis excipi non debent Magiſtratus. Nam rem per ſe ingratam, populo gratisſimam reddit imperantium exemplum.

(XVI.) Denique juſta tributa ex imponente, ex fine, ex forma, ex modo, & uſu æſtimantur. Ex imponente, cum imponit, qui imponendi habet autoritatem; ex fine, cum boni publici cauſâ impoſita eſſe intelliguntur; ex formâ, cum ſine injuriâ, vi, & tumultu exiguntur; ex uſu denique, cum collectæ ex iis opes, non niſi in utilia Reipublicæ, & neceſſaria impenduntur.

§. 19. Por-

§. 19. Porrò acceptæ ex iis opes, tantæ eſſe debent, ut omnibus, quos Reſpublica facere cogitur, ſumptibus poſſint reſpondere; cum Imperio enim hîc calculus ponendus eſt, quod in Trajano ſuo Plinius c. 20. Paneg. commendavit.

§. 20. Si interim jam ſatis gravia tributa impoſita ſint, nec exigi poſſint majora, nec exacta tamen ſufficiant publicis impenſis, conveniens fuerit, mutuò pecuniam petere â privatis, redditis, poſt difficultates temporum ſublatas, ſorte & uſuris, in quo, niſi accuratè fidem ſuam habeant Magiſtratus, utiliſſimi hujus remedii, quo ſolo ſubinde poteſt Reſpublica juvari, faciunt jacturam.

§. 21. Ærariorum denique, quibus iſtæ inferuntur opes, cum diverſa apud pleroſque ſit ratio, dubitari non debet, quin ea omnium ſit optima, cum ſingula ſingulis majoribus rebus, & neceſſitatibus æſtimantur. Quemadmodum de Auguſto prædicat

SVET.

Svet. in vit. c. 49. ad expediendas caſtrenſes expenſas, ærarium ab eo fuiſſe inſtitutum, in quo reconditæ opes, non niſi militiæ impendebantur, unde & militare appellatum eſt.

§.22. Ad avertendas fraudes & dolos præveniendumq; crimen publici peculatûs penes alios imperium, penes alios cura&cuſtodia eſſe,apud alios ratio ęris publici accepti vel expoſiti reddi debet.

EXPLANATIO.

Opum Reip. duas eſſe quaſi partes diximus §. 2. quod nempe aliæ ſint natæ cum Rep. aliæ à Rep.acquirantur. Et quoad illas, quæ cum Rep. natæ, ſciendum eſt, cum diviſis imperiis factam quoque eſſe bonorum diviſionem & proprietatem,in qua diviſione id agendum erat,ut æquè Reip.ac privatis conſuleretur. Unde beneficia naturæ in quibusdam, excluſis privatis, ſolis ſibi retinuêre reſpublicæ. Quod neceſſarium fuit 1. ut pompam atque auctoritatem contra privatos tuerentur faciliùs. 2. ut bellis ingruentibus reſiſtere validiùs & minore cum onere privatorum poſſent. 3. ut privatorum fortunæ ab iis ſuperarentur, id quod ad majeſtatem atque ſecuritatem imperii faciebat. *Conf.*§.4. Ideò Romani devictis provinciis quædam in illis tantum publica ſervavêre;

vavêre; ut ex his onera bellorum in illis provinciis ſufferrentur, & propterea eas præcipuè aggrediebantur, in quibus erat pretium Victoriæ, qualis Britannia, de quâ TACITUS *in Agricol.* fert Britannia aurum & argentum & alia metalla pretium victoriæ, *c. 12. §. 8.*

Has opes cum rep. natas diſtinximus §. 4. in tria quaſi genera, ex quibus ſecundum beneficia naturæ complectitur. Cum enim cuilibet loco aliquid ſpeciale natura dederit, peculiaria iſta Reip. debent vindicari, qualia ſunt metalli aut ſalifodinæ &c. tum loca mari proxima vel portus &c. Atq; ex hoc jure nata ſunt regalia ſ. bona & loca illa, quæ tantùm publico debentur. Ita in omnibus ferè ex hoc quoque jure Magiſtratuum privilegia diſtincta à privatorum eſſe debent. Hinc etiam hoc emanavit, quod in quibusdam locis jus venationis ſoli Nobilitati concedatur, quod jure quidem naturæ & gentium omnibus licitum eſt, ſed à jure Dominationis ſolis Nobilibus tribuitur, ut, quemadmodum alii aliis in rebus, ſic hi in venatione ſuum habeant exercitium, & quia venatio imago quaſi & præludiũ ſit bello.

Has autem opes cum rep. natas nullo modo imminui oportere diximus §. 8 Nempe perpetuum Axioma eſſe debet: Publicum augere bonum. Unde AUGUSTI quoque nomen introductum, ut monerentur illud geſtaturi imperium eſſe augendum. Et ſanè magna ejus rei ratio haberi debet. Creſcentibus enim indies privatorum

vatorum bonis & fortunis facilè iſtæ publicas ſupergrederentur, niſi publicæ conſerventur & augeantur. Ideò ſi à Magiſtratibus alienentur, vel minuantur, agi cum illis poteſt repetundarum. Si enim negligentia Tutorum nihil creat præjudicii pupillo, multò minus Magiſtratus ſocordia officere Reip. debet. Quamvis nonnunquam alienare bona hæc Magiſtratus videantur, ingruentibus nempe ſummis neceſſitatibus. Unde prognata bona feudalia: in his tamen obſervandum, videri ea à Rep. retineri, quia Vaſallus tenetur ea onera ſubire, quæ Reſp. ex illis bonis toleraſſet.

Aliam ſpeciem reip. bonorum ſupereſſe diximus §. 11. quæ per tributa & vectigalia ex ſubditorum bonis colliguntur. Dum autem neceſitatis tributorum meminimus, Æquitatis quoque meminiſſe oportet. Ex Neceſſitate enim imponuntur, & conferuntur tributa, ex æquitate ſingulis impenditur, quod à ſingulis extortum eſt. Manet itaque ſingulorum, quicquid etiam expenditur, quorū ſalus Reip. ſaluti eſt incluſa. Rectè itaque PLATO dicit: Tributa habere ſpeciem *Neceſſitatis & Gratitudinis. Neceſſitatis*, dum exiguntur, *Gratitudinis*, dum eorū bono impenduntur, qui contulerunt. Ut autem pares ſint ſubditi ad conferendum, rationem privatorum habendam eſſe diximus, idque tribus potiſſimum modis juxta §. 12. I. *Per ſumtuarias leges.* Intereſt

enim

enim Reip. ne quis malè utatur re ſua §. *ult. Inſt. de his qui ſui vel alieni juris.* Certè quamdiu ſumtuariæ leges in Republ. Roman. duravê- re, omnes ferendo oneri & ſtatui ſuo ſervando pares fuêre. Ubi vero hæ ſublatæ, ne equites quidem ſuum ordinem tenuêre. Veneti hoc inſtitutum retinent, apud quos unicuique Senatori modus veſtis & ſupellectis eſt præſcriptus. Meritò id ubique retinendum eſt, bona ſiquidem ex eo iſta: 1. Magis pares ferendis oneribus ſubditi redduntur. Quicquid enim à non neceſſariis rebus abſtrahitur, neceſſariis ad tributa opibus privatorum adjicitur. Itaque Reip. necesſitati optimè ſatisfacere poteſt, qui in neceſſaria ſua impendit bona. 2. Qui inæquales revera ſunt, æquales quodammodo fiunt; aliàs ſi opibus inæquales & ſuperiores exemplum luxûs proponũt, ſubvertuntur pauperes, dum ſequi volunt. 3. Ethica ratio accedit; quantò enim longiùs abeſt à luxu animus humanus, tãtò propior virtuti pũtatur.

II. *Per monetæ rectam rationem.* Poſt commutationem enim, quæ prima eſt vetuſtisſimaque vendendi ac emendi ratio, in moneta pretium rerum eſt conſtitutum. Intereſt igitur omnium, rationem monetæ haberi, quæ optimè habetur, ubi pretium & materia conveniunt. Non nimia materia reſpectu pretii eſſe debet, ne eam nimis expetant cæteri exteri: non etiam nimis modica, ne eam importatis ex

I patria

patria nummis juſto magis exteri perdant. Quæ vitia civilibus his bellis in Germania obtinent, & dum ibi creſcit moneta aurea, ex his oris & aliis invehitur, quia tantò majoris exponi poteſt; dum juſto minus creſcit argentea, ex imperio exportatur. Quando ergo tanta cura monetæ eſſe debet, in adulteratores ejus graviſſimè animadvertendum. Graviſſimè dixi, quia quæ per inſidias, quæ vitari non poſſunt, committuntur, ſummè puniri debent, quia ſummè nocent. Hinc enim eſt, quod ille, qui abactum ex agris commiſit, graviùs, quàm ſimplex fur punitur, qui ex ſepto pecus abſtulerit, quia quæ injuriis maximè ſunt expoſita, maximè tuta eſſe debent. Præterea ex fuco integra falli Resp. poteſt: ideoque non minùs puniri, quàm contemtus imperii debet. Facit etiam ad curam monetæ, ne ulli privato jus cudendæ monetæ concedatur. Si enim bonam cudit absque permiſſu, Majeſtatis uſurpatæ tenetur, cujus pars eſt jus cudendæ monetæ; ſi malam, adulterationis monetæ accuſari poteſt.

III. Per Commercia & Opificia, quæ promoventur 1. *præmio propoſito opificibus*. Ita hac in urbe (Lugduni) cùm lanificii opificium inſtitutum Magiſtratus vellet, permiſit liberum locum ad molas extruendas & 800. fl. ex publico in ſingulas molas expendit, 2. *Privilegiis*, præcipuè, ſi tributa ad tempus remittantur. Atque hac ratione imprimis adjuta eſt & con-

fir-

firmata ab ordinibus Societas Indiæ utriusq;. Sed objiciat quis, non juvari hac ratione Remp. Fateor, non juvari illo tempore, ſed etiam dico longè validiùs juvari, poſtquam conceſſum expiravit tempus. Ubi ex privatis ſubſidium Reip. expectatur, juvandi prius privati ſunt, ut juvent pòſt Remp. 3. *Itinerum ſecuritate*, quæ publica autoritate procurari debet. Ægyptii etiam, præter has, promovendorum opificiorum artem habuêre atque rationem, qua quilibet opificis filius ejusdem opificii eſſe tenebatur, idque eo conſilio, ne opifices eorumve filii quæſitis à parentibus opibus fruentes, nec manibus victum quærentes in luxum ſolverentur, quâ ratione imprimis Bruggis Flandrorum mercaturæ ac opificiorum interiit uſus. 4 *Per admiſſam hominum & pauperiorum multitudinem*, præcipuè in illis locis, ubi facilè diteſcere, ſi ſagaces ſint, poſſint. Pauperes enim, ut ARIST. ait, admisſi ſe & alios divites faciunt. Sic initio Belgici belli multi ex ditionibus Hiſpani cum fugere Dordracum & Delphos vellent, ibi non admiſſi, Lugduni verò recepti ſunt, unde mirum in modum civitas hæc crevit. 5. *Si bona fidei ratio habeatur*, quod hîc Leidæ obſervatur, ubi nullum eſt opificium, quod non ſuas leges & jura habeat: idque rectiſſimè; ſi enim malæ merces exportarentur, externi ab emendis illis caverent ſibi, & ſic neceſſe eſſet commerciorum corruere rationem.

Diximus §. 18. in tributis imponendis ad quædam reſpiciendum. I. Ea tributa potisſimùm imponenda, quæ *peregrinos* magis *& exteros*, quam *cives & domeſticos* poſſunt onerare. Hoc obtinetur, ſi præcipua tributa eis mercibus imponantur, quæ evehuntur ex regno. Sic enim non tàm onerantur venditores, quàm illi, quibus vendunt. Nam quicquid illis imponitur, hoc ipſi ab ipſis cariùs ſua vendendo extorquent.

III. & IV. In res non ita neceſſarias omnibus tributa graviora imponi, in neceſſarias leviora debent, & modica. Ita in Batavia gravisſima tributa vino impoſita, quia hoc tantùm in uſu divitibus. Malè itaque exiſtimant quidam Scholaſtici, rebus, quæ magis neceſſariæ ſunt, eô majora onera imponi debere; ex ea ratione, quòd tantò major inde nummorum copia corradatur. Hoc enim pacto multi pauperum vel omnia penitus perderent, vel neceſſariis vitæ defraudarentur.

Eſt ergò juxta IV. & V. A *nimiis* imprimis, & quibus impares ſunt ſubditi, *abſtinendum*. Illud ſemper fit, ut qui nimium petit, etiam illud, quod æquum eſt, non conſequatur. Inter cauſas certè Belgicorum motuum & illa cenſetur, quod Albanus decimas bonorū ab illis exigeret, quod cùm præſtare ſine ſummo rerum ſuarum diſpendio non poſſent, & tamen ille tyrannicè urgeret, tantò dulcius libertatis nomen

men fiebat eis, in quam tandem ſe vindicarunt. At dicat quis, interdum Remp. opus habere, ut graviſſima imponantur tributa. Dico, quod hoc in caſu alio & prudentiori modo conſulendum ei ſit; præſtat nempe dividere tributa & varia variis imponere, quàm unum aliquod inſigne, quod licet unum idemque ſit, tamen non tàm grave videtur. Rectè ergò PLATO dicit, quod imperare nihil aliud ſit, quàm legitimè fallere plebem. Sic in Batavia alia tributa agris, paſcuis, alia vaccis, alia butyro, caſeo imponuntur, quæ agris tantùm impoſita nimis grandia viderentur.

VI. In tributis *præferri* debet *titulus Neceſſitatis*, etiam non data neceſſitate. In omnibus enim rebus Reip. ratio eſſe debet, aut præferri. Ubi ratio eſt palàm, exponi debet, ubi non, neceſſitas ſaltem præferenda eſt, facilè enim vulgo imponi poteſt. Scena nimirum Reſp. eſt, in qua ſc. prout opus, quædam producuntur, quædam reſervantur. Neceſſitatem porrò tributorum expreſſit TAC. *l.* 4. *Hiſt.c.*74. §. 2. dum inquit: neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.

VII. *Semel impoſita non facilè tolli debent, etiam cauſâ ſublatâ.* Invidia enim ſemel in imponendis oneribus devorata, non debet iterum revocari. Quæ itaque cum odio obtenta ſunt, & ſæpe ſunt neceſſaria, perpetua manere

nere debent. Feliciori tamen tempore & neceſſitate ceſſante non tàm tolli tributū, quàm exactio differri poteſt & debet,& ſi ingruit neceſſitas,iterum tributum urgendum,quod tantò alacriùs præſtatur propter remiſſionis beneficium. Ut enim in ſeditione, ubi ſeveritatem eſſe convenit, differtur pœna, non verò lex, in quam peccatur,tollitur: ita exactio ſuſpendi debet ac poteſt; licet tributi revocandi integra maneat poteſtas.

VIII. Præſtat *inveterata* augeri, quàm *nova* imponere. Id non difficulter intelligitur. Ingratum enim plerumque eſt,quod & novum & grave eſt. Nova præterea tantò graviora ſunt, quantò ab uſu remotiora. Quemadmodum itaque Cæſares Romani arcanum id imperii habebant, ut ſemper veterem præferrent Remp.ita Magiſtratus veterum potius tributorum nomine,quàm novorum exigere debent. In Hollandia augentur potius inſtituta, quàm nova inſtituuntur.

IX. In tributis æqualitatis eſt maxima habenda ratio. Aliàs nemo credit, id ſe publico impendere, quod non alter ſolvit, qui in eadem eſt Rep.

X. Tributa *ſine injuriis imponi* debent & imperari. Iniquus enim exigendi modus facit, ut iniquum videatur ipſum tributum. Injuria verò eſt 1.in exigendo,cùm quis exigit id,quod poſtea contrà tribuentes convertitur, Tacit.

hoc

Digitized by Google

hoc reſpectu Britannos omnia tolerare, ſi injuriæ abſint, inquit *in Agricol. c. 13. §. 1.* 2. In publicanis ipſis, qui homines ſunt ad exigenda tributa conſtituti, quorum nomen ſemper ob injurias exoſum, & nonnunquam ob eorum iniquitatem integræ à Romanis defecêre provinciæ. Tantum autem illi inferre injuriæ poterant, quia nullæ ipſis leges in exigendo præſcriptæ, imponebatur ſolummodò eis, ut ſummam tantam vel tantam darent ad hoc vel illud tempus, in cujus ſummæ compenſationem illi exigebant, quomodocunque placuerat. Intereſt autem imprimis Magiſtratuum, publicanos injuriarum cauſa conſtringi, quia quicquid à publicanis committitur, ejus facti invidia Magiſtratus laborant. Novit id Nero, ideò cùm plebs de immodeſtia eorum conquereretur, dubitavit, an cuncta vectigalia remitti juberet; ſed impetus hic ſedatus à patribus, qui cenſuerunt, temperandas Publicanorum cupidines, ne per tot annos ſine querela tolerata novis acerbitatibus ad invidiam verterent apud Tac. *l. 13. A. c. 50. §. 1.* In Batavia benè hac in parte proceditur, antequã enim tributa ſtatuantur, præleguntur omnibus leges, ſecundũ quas poſtea exiguntur.

XI. *Mollia nomina* ex neceſſitate *in imponendis*, indicendisque tributis *debent uſurpari.* Qui enim ſupplex eſt, meliùs & faciliùs miſericordiam recipit, quàm qui cum magnitudine animi agit. Neceſſitatis quoque nomina uſur-

uſurpanda,quia qui petit,cum ratione faciliùs, quàm qui ſine ratione impetrat. Maxima autem ratio rerum eſt neceſſitas.

XII. *Imponendorum* captanda *occaſio*, cum *res populo maximè placituræ* geruntur. Quò enim gratior eſt finis, eò & onus, quod propter eum ſufferendum eſt, facilius fertur. Quod animadvertere in bellisBelgicis eſt,quorum initio ordines volentibus ſubditis graviſſima etiam onera imponebant, quia quisq; omnibus ſe orbare ad conſervandā libertatem malebat. Hæc ars obſervata Auguſto,qui quoties victoria aliqua potitus, toties oneris aliquid impoſuit, ut onerum invidia publicâ lætitiâ leniretur.

XIII. *Legitima exceptio* unicuique in exolvendis tributis *debet permitti.* In Batavia vectigal ducenteſimæ in omnia bona eſt conſtitutum: Si ergo alicujus bona pluris ſunt taxata, quàm revera ſunt, tunc juramento confirmat taxationem ſuam, & ſecundùm hanc exigitur.

XV. Inprimis ab eo onere *non debent excipi Magiſtratus.* Imitatione enim & exemplo Magiſtratus ac primorum, quæ difficilia ſunt, facilia populo redduntur. Cujus rei exemplum in Hiſtoria Romana habemus. Cùm enim bello Punico ſecundo,exhauſto ærario, ac fortunis privatorum,nōn eſſet,unde ſtipendia militi ſolverentur, Senatus quicquid auri, argenti,

æris

æris ſignati habebat,hunc in uſum contulit;ſenatum equeſter ordo,& hunc ipſa plebs abundè ſecuta; cùm antea magno fremitu & indignatione mentionem novæ collationis accepiſſent. LIV. *l.26.c.36.*

XVI. *Juſta tributa* ſunt, quæ commendantur.

1. *ex imponente:*

2. *ex fine*,

3. *ex forma*, cum non tantùm ſine injuriâ exiguntur,ſed& ita,ut proportio ſit inter illos, qui inæquales opibus,& ut omnes tributo ſubjaceant. Cùm enim quidam in agris, quidam mercaturâ &c. occupentur, non mercatoribus tantùm,aut agricolis tantùm, ſed pariter omnibus onus eſt imponendum, ducta ad bona proportione.

4. *ex modo*, ne ſcil. nimia ſint. Nam boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere, ut Tiberius Præſidibus onerandas tributo provincias ſvadentibus reſcripſit, apud SVETON. *c.32 fin.* & denique

5. *ex uſu*, ut accepta in eum finem expendantur,in quem ſunt accepta.

Diximus porro §.19. acceptas ex tributis opes tantas eſſe debere, ut ſumptibus Reip. & impenſis ex amuſſim poſſint reſpondere. Ut enim proportio eſſe debet inter tributa & opes privatorum, ſic etiam inter opes ex tributis collectas & onera Reipubl.Itaque non neceſſa-

riis tributis non onerandi ſunt ſubditi, ubi proclives ſe ad præſtanda ea, quæ Reipubl. impenſæ requirunt, oſtendunt. Imò ſi quando gravia impoſita, ceſſante neceſſitate removeri poſſunt, ne ſubditi ſine neceſſitate exhauſti ad neceſſitatem non ſufficiant. Hoc ipſum eſt, quòd de Trajano uſurpâſſe ajebamus Plinium: calculum cum imperio ponere. Et propter hanc cauſam in neceſſarios modò uſus impendere ſe ex tributo quæſitas opes probare debet ille, qui imponit. Noſſe enim vult, cur hoc vel illud agatur, populus, præcipuè cùm grave aliquid fert. Si tamen quarundam rerum cauſæ non debent propalari, tum ſimulacra rerum oſtendenda.

Optimam ærariorum rationem diximus §. 21. quando ſingulis neceſſitatibus Reip. ſingula deſtinantur. Uno enim ærario variis negotiis permiſſo nihil præter confuſionem orietur. Præterea ubi diſtincta ſunt æraria, ibi ſingulorum melior ratio exigi & reddi poteſt. Sic apud Romanos aliud fuit ærarium militare, quod Auguſtus conſtituit, aliud in largitiones ſacras, aliud in ſumtus Legationum, &c.

Poſtremò diximus, penes alios imperium eſſe, penes alios curam & cuſtodiam pecuniæ, penes alios accipiendi & expendendi rationem debere. Non enim eidem eſt imperium relinquendum & accipiendi & diſponendi ratio, quia ſæpè tributum imponeret, propter ſua com-

commoda, vel quod imperatum in Reip. utilitatem,in uſum ſuum exponeret. Et pluralitas hæc circa nummos verſantium facit, ne duo inter ſe colludant,&,quod PLAUTUS ait,conſultis dolis agant. Apud Romanos penes Senatum fuit imperium, penes Quæſtores ærarii cuſtodia, à quibus cenſores & nonnunquam Senatus rationem expoſiti requirebant. In Batavia eadem cura circa publicam pecuniam eſt.

CAPUT XI.

De Fœderibus, eorumque diverſa ratione.

§. 1.

HActenus de iis à nobis actum eſt, quibus domi Reſpublica confirmatur. Cum autem ſæpè Reſpublica domi ſibi non ſufficiat, vel deſtituta à neceſſariis, quæ aliunde peti debent, vel cum potentioribus bello commiſſa, foris etiam, & auxiliis alienis, neceſſariò debet ſtabiliri.

§. 2. Id verò per fœdera potiſſimùm obtinetur, ad quæ impellunt, & ipſum jus naturæ, quo, quæ natura

huic, aut iſti negavit genti, gentibus tamen omnibus neceſſaria, aliunde peti poſſunt, ac debent: Jus etiam gentium, quod amat, & urget totorum inter ſe populorum ſocietates: Vis deniq; neceſſitatis, quia potentia majorum, & iniquitate, ſæpè minores populi opprimerentur, niſi majores, ac potentiores, certis fœderum legibus & conditionibus electi, ſubſidio venirent.

§. 3. Eſt igitur fœdus, duorum vel plurium Principum, vel Rerumpublicarum, publica de amicitia, ſocietate, mutuis comerciis, mutuisq; auxiliis præſtandis, pactio, ſeu ſolennis conventio.

§. 4. Soli autem illi Principes ac populi, qui jus habent majeſtatis, nulliusque alterius ſupra ſe imperium agnoſcunt, contrahere fœdera, ac inire poſſunt. Ex quo liquidò quidem apparet, fœdus injuſſu ejus initum, penes quem ſumma poteſtas eſt, non tenere, & fœdera à ſubditis, ſine ſupremorum Magiſtratuum autoritate, cum

cum aliis Principib9, aut populis percuſſa, non eſſe fœdera, ſed conjurationes.

§. 5. Cæterùm, aut cum remotis, aut cum vicinis fœdera ferè ineuntur. Cum remotis, commerciorum, aut communis hoſtis causâ: ſi commerciorum causâ, hoc agendum, ut tuta ſit navigatio, aperti portus, mutuus intercurſus negotiorum, quæ beneficia, iisdem redditis, facilè obtinentur. Si verò communis hoſtis causâ, hoc agendũ, ut quantum licet, in fœderatum, aut tota belli moles, aut pars ſaltem ejus transferatur, quò minus nobis cum communi hoſte negotium ſit.

§. 6. Interim tamen ad vicinorum fœdera potiſſimùm eſt attendendum, ſi enim communis omnium vicinorum hoſtis ſit, unum, & commune omnium fœdus, ſalvâ cujusque, in cæteris, imperii majeſtate, inire expedit. Nam, qualiscunque vicinorum fortuna, non negligenda eſt, adverſus communem hoſtem, dum quâvis, vel proſperâ, vel ad-

adverſâ, nos etiam everti poſſumus, & juvari.

§. 7. Adeò, ut in iis quidem fœderibus, hoc (I.) agendum ſit, ut finiantur, decidanturque, ſi quæ, inter iſtiusmodi vicinos natæ ſunt lites & ſimultates. (II.) Illud, ut ex fœderis lege, ex omnium fortunis, idoneæ ad propulſandum communem hoſtem vires, decernantur.

§. 8. Porrò fœdera, quæ inter vicinos ſanciuntur, non ejusdem omnia indolis, cauſæ, & conditionis ſunt. Nam cum viciniis, aut majoribus, aut paribus, aut inferioribus ineuntur, ac proinde diverſa ratio ſingulorum eſt.

§. 9. *Cum majoribus* prudenter fœdus init inferior, ſi auxilium potiùs accipiat, quàm conferat, ſique, ejus obtinendi cauſâ, ad ea, quæ viribus ſuis majora, quæque ad vim Reipublicæ diſſolvendam faciunt, & majoris potiùs auctura, quàm inferioris confirmatura ſunt imperium, præſtan-

ſtanda ſe non aſtringat: Si denique accepti ejusdem auxilii cauſâ, majori in manus non tradat clauſtra Imperii, Minores enim, ſpecie delati auxilii, facilè à majoribus opprimuntur.

§.10. Sin verò *vicini multi majores* ſunt, & iidem inter ſe commiſſi, quantum licet fœdus, & amicitiam omnium inferiorem oportet amplecti, quo ita per ſingulos ſe tueatur inferior ille, ſive Princeps, ſive populus, de cujus imperio invadendo, cæteri omnes contendunt, quod jus & fœdus *Neutralitatis* ferè vocatur, eſtque nihil aliud, quàm omnium partium amicitiâ uti, cauſâ tamen omnium intactâ. Interim verò, id ſi impetrari non poſſit, fœdere transgredi expediet in partes ejus, qui cæteris ſit major, quò cum nobis cauſa maximè cognata, quique ad ferendum nobis auxilium, adverſum alios, nobis propior exiſtat.

§. 11. *In accipiendo* tamen *à majoribus auxilio*, ſingulari quâdam prudentiâ

dentiâ eſt opus quâ neglectâ,per fœdera, malum potiùs, quàm bonum publicum, promovetur. (I.) Igitur haud unquam nimium auxilium eſt accipiendum, nimium autem illud voco, quod majus eſt viribus, & copiis eorum, qui juvantur. (II.) Nunquam ſumma rerum auxiliaribus copiis fœderatorum, ab inferioribus eſt permittenda; ſi enim id fiat, nihil aliud eſt, quàm aliis tradere vim Majeſtatis,(III.) Non, niſi urgente ſumma necesſitate, externa fœderatorum auxilia admittenda ſunt, quia avarè ferè,& ambitiosè, & cum contemtu illorum, quibus juvandis veniunt,agunt auxiliares ejusmodi copiæ, ſed & difficulter admodum,ſemel admiſſæ, dimittuntur.(IV.) Denique, ubi id fieri poteſt, ex Reipublicæ uſu, cauſa potius belli præcidi debet, quàm externa fœderatorum auxilia admitti, ob eas ſcilicet rationes, quas jam reddebamus.

§, 12. *Si cum vicinis paribus*, in fœdera

dera conveniatur, in quævis pariter omnes conſtringi conducit, ubi nimirum eadem ſingulorum eſt cauſa, & ſinguli, diviſi, majoribus eſſent impares futuri; Singuli enim pugnantes, tandem univerſi vincerentur. Fœdera iſta, cæteris omnibus validiora ſunt, & minùs periculoſa, quia cum paribus ineuntur.

§. 13. Quò autem idoneus ex hiſce fructus poſſit reportari, unum, vel generale fœderatorum collegium, ſive ordinarium, ſive extraordinarium, pro frequentia vel infrequentia offerendorum negotiorum, inſtituendum eſt, in quo fœderatorum Legati, belli & pacis ſuprema conſilia ſocient, ac vim fœderis, & vinculum, tueantur.

§. 14. *Cum inferioribus*, fœdera à majoribus ferè ineuntur, ſi hi, ex auctis illorum, conſervatisque fortunis, hoſtibusq; represſis, ſuo etiam imperio conciliare poſſunt ſecuritatem. Securitas verò illa conciliatur per inferiores, ſi illi

li in fœdus aſſumpti, & juſtis auxiliis ſuſtentati, communem hoſtem detinere poſſint, ſiſtere, aut propulſare.

§. 15. *Fœderum* iſtorum omnium alia æterna ſunt, alia certi temporis ſpatio ſunt adſtricta. *Æterna* eſſe debent, quorum cauſa perpetua. *Tempori adſtricta*, quorum cauſa cum tempore inverti poteſt, aut mutari.

§. 16. Sanctè autem omnia & ſolenniter debent iniri, & eadem fidei ſanctitate obſervari. Fides enim data publico fœdere, ſervari etiam debet Hæretico, infideli, hoſti, & rebelli; ſi enim turpe ſit, fidem illis ſervâſſe, imò ne quidem dari ei debuit, ſi non debuerit ſervari. At iſta ſervanda etiam eſt, cùm ex rupto fœdere plus referre poſſimus utilitatis, plus enim, quavis occaſione oblatâ, ſemper utilitatis eſt ex ſervatæ fidei famâ.

§. 17. Denique etiam ſervanda eſt, quanquam metu, & neceſſitate, ad ineundum fœdus compulſi ſimus. Quanquam

Digitized by Google

quam enim, civili jure, privato reſcindere liceat id, quod vi aut metus cauſâ quis geſſit, aut promiſit, non tamen id licet in publicis gentium fœderibus. Nam ſi neceſſaria ſunt fœdera, ut ſunt, ſique nulla, ſine vi, metu, aut neceſſitate ineuntur, ut nulla ineuntur, apparet, iis de cauſis, eoqué prætextu, reſcindi fœdera nec debere, nec poſſe.

§. 18. Quare etiam ob levia quædam, à Républica, aut privatis, adverſus leges fœderis, commiſſa, ſancita fœdera ſtatim non expedit infringi. Unde & gentium jure, quo inter injurias privatas ſalva maneant publica fœdera, inventum eſt jus *Repreſſaliorum*, quod vocant.

§. 19. Ne etiam interpretando facilè posſint fœdera violari, eorum Leges planis, apertisque verbis concipiendæ ſunt, ſimulque omnia, ex quibus, poſt initum fœdus, lites & controverſiæ novæ posſint excitari, expresſis, quantum

tum licet, conditionibus prævenienda, explicanda, & certò definienda ſunt; ſic enim durabile robur fœderibus maximè conciliatur. Si interim quid controverſiæ oriatur, ex fœderis diverſa interpretatione, quemadmodum id fit ſæpiſſimè, optima illa cenſeri debet & æquiſſima, quæ ad finem & inſtitutum fœderis adſequendum maximè eſt comparata.

§. 20. Denique inita ita & obſervata fœdera finiuntur aut cum tempore, cui ſunt adſtricta; aut mutuo conſenſu eorum, qui iniêre; aut legibus fœderis non obſervatis, ab iis, quibuscum conventum eſt: quod fit, cum aut non præſtantur ea, quæ ad vim fœderis maximè faciunt, & promiſſa ſunt, aut contraria aguntur fœderis inſtituto, quorum alterum qui committit, ut perfidus eſt & iniquus; ita ſi ea de cauſa alii non ſtent, contra initi fœderis leges, ex gentium omnium jure, judicio ac merito facere cenſentur.

EX-

EXPLANATIO.

Excusſis iſtis, quibus reſp. domi firmatur, agendum jam de illis,quibus foris ſtabilitur, qualia inprimis ſunt fœdera, quæ tribus ex rebus promanâſſe §. 2. diximus.

1. *Ex jure naturæ* propter commerciorum necesſitatem. Cum enim non omnis ferat omnia tellus, unius indigentia alterius debet levari abundantia. Ex quo jure itinerum libertas atque ſecuritas præſtatur.

2. *Ex jure gentium,* quia ſe omnes tueri non poterant.

3. *Ex vi ac præſcripto neceſſitatis.* Cùm enim creſcerent injuriæ, ratio inventa, qua per fœdera afflicti affligentibus pares quoque redderentur. Ex hoc quoque triplici fundamento triplex ortum fœd9. 1.*Fœdus commerciorum,* quod nullis legibus,præter naturales,æquitatis continetur. Natura enim voluit hoc vel illud gentibus denegare, ut tantò arctiùs omnes inter ſe conjungerentur. 2. *Fœdus Rationis ſeu juris gentium,*quo hominum omne genus principalibus quibusdam aſtrictum eſt rationibus ac principiis, quod ideò generale quoddam fœdus hominum dixeris 3. Cum bellis etiam & injuriis apertis quidam imperterentur, arctiora erãt *fœdera* ineunda, qualia ſunt *belli & pacis,* quo pacto, qui minores antea erant,pòſt pares fiebant. Ut enim in Arithmetica minore

ri numero minimo addito numerus creſcit
per fœdera Reſp. creſcunt ac viribus augent

Diximus, fœdera vel cum remotis vel cu
vicinis iniri §.5. Et cum remotis, vel comm
ciorum, vel communis hoſtis cauſâ. Si co
merciorum plurimum hoc ſecum affert ut
tatis. Accipit enim Reſp. quod non habet. C
randum igitur Magiſtratibus, ne à commerc
qualibuscunque Reſp. excludatur. Præcip
habenda eorum cura eſt, quæ Reip. neceſſa
ſunt: Inter quæ ſunt annonariæ provinciæ, qu
les duæ potisſimùm apud Romanos, Æg
ptus Siciliaque. Et ubi ratio habita neces
tatis, habenda quoque ratiò utilitatis. Pr
cipuúm Venetorum præſidium eſt ex comm
ciis, quæ ut tantò majoris ſint momenti, ci
pretioſa verſantur. Sic cum Conſtantinopo
tanis contracta ab eis fœdera, à quibus m
gno cum emolumento merces ex India Orie
tali acquirunt. In fœderibus verò cauſa com
merciorũ ineundis id agendum, ut ſi fieri po
ſit, nobis ſolis ea vindicemus, quod Monopo
um verũ omnibus Politicis dicitur, quod ipſu
in privato vitium maximum & latrocinium,
publico tamen maximè expetendum. Ita me
catores ſocietatis Indicæ caryophyllorũ
venditionem cum illis gentibus per fœde
ſibi vendicarunt, ut & Batavi à Moſcoru
Imperatore idem impetrarunt vi fœderis
quarundam mercium commercio, quo non l

vit

viter aucti. Ejusmodi fœdera etiam cum hoſte maximè iniri poſſunt. Hoc à Belgis ſemper factum eſt, poſtquam in diverſas abiêre partes. Cùm cautionibus tamen id agitur apud illos, & agi debet. 1. Excipiuntur illa apud eos, quæ ad militiam ſpectant, & ei ſubſerviunt, ut pulvis pyrius, bombardæ &c. 2. Ea deferuntur hoſtibus, quæ aliter etiam hoſtes habere poſſent. 3. Tributa graviſſima iis rebus imponenda, quæ ad hoſtes deferuntur, ut diſpendio illorum Reſp. juvetur; interim ubi inopia premendi ſunt hoſtes, tum ea commercia inhiberi, & retineri domi poſſunt.

Ineuntur etiam cum remotis fœdera communis hoſtis causâ. Ex quibus multa commoda ad ineuntes derivantur. Nam 1. bellum & ejus incommoda non ſolùm nos ſed & fœderatum premunt, & ideò nobis leviora. 2. Cùm porrigimus fœderato pecuniam, ſine periculo bellamus. Hinc initio bellorum Belgicorum Gallus Batavos juvabat pecunia, & invicem ab iis juvabatur, quia communis hoſtis Hiſpanus erat. Guſtavus quoque Svecorum Rex pecunia Belgarum adjutus, ut tantò potentiùs Imperatorem diſtineret, qui in Belgio metuebatur.

Diximus §. 6. ad vicinorum fœdera potiſſimùm attendendum. Quemadmodum enim reſpectu hominis privati magnum malum vicinus malus, ut Hes. ait ἔργ. 1. v. 344. ita in Rerump. quoq; confiniis idem ipſe maxi-

maximè metuendus. Fœderibus itaque initis cum Vicinis 1. Altercationes inter vicinos tolluntur, quæ cauſa finium ac terminorum exoriri ſolent. 2. Ingruente hoſte, potentiores ſunt ad reſiſtendum. Qua de cauſa Helvetiorum populi licet diverſis inſtitutis ac religione in tàm arctum fœdus cojêre. Belgæ quoque hoc potisſimum modo potentiæ Hiſpanicæ reſtitêre. Hanſeaticarum quoque civitatum idem inſtitutum fuit. Et ſanè nulla re magis P. Romanus imperium ſuum dilatavit, quàm quod gentes, cum quibus bellum ipſis erat, diſcordes cum vicinis eſſent, quod in Parthis & Britannis videre eſt, de quibus TACITUS, dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur. *Agric. c.12.§.3.* Itaque vicinorum qualiscunque fortuna non eſt negligenda. Si proſpera eſt, magis noſtro inſtituto, quod fœderibus intendimus, ſatisfiet: ſi adverſa, cogitandum, nobis quoque & ad nos eandem per eorum làtus poſſe penetrare. Bella igitur eorum tanquam noſtra debent æſtimari, & ſi non liceat palàm, clàm tamen à nobis debent adjuvari. Ut enim incendio exorto etiam juvat is, cujus ædes non ardent, quia tamen ardere poſſunt: ita vicinorum bella extinguenda, ne ad nos eorum ſerpant contagia. Noſtri ergo cauſa vicinorum mala prævenienda vel tollenda. Nam ut PLUTARCHUS ait, qui vicinos affligit, aut ambitioſus eſt, aut iniquus. Si ambitio-

tioſus, nos quoque invadet; ſi iniquus, ejus etiam injurias experieris.

Diximus porrò §. 8. *fœdera cum vicinis* eſſe vel *cum majoribus*, vel *cum paribus*, vel *cum minoribus* ineunda. Et ſi cum majoribus ineantur, accipiendum potiùs ab eis auxilium, quàm præſtandum. Ut enim privatus quisque ſe pede ſuo metiri debet, ita Reip. quoque cognita eſſe ſua potentia debet, neq; in communionem bellorum cum illo deſcendere, qui facultatibus eſt major. Quotquot enim Reſpubl. id fecerunt, illæ exhauſtæ, vel etiam ab ipſis fœderatis oppreſſæ. Laudandum itaque inter impares fœdus patrocinii, ex quo expectatur patrocinium ſine reſpectu reddendi auxilii; Ita Leodienſes & Trevirenſes cum Gallo patrocinii fœdus habent, indeque ortum inter alia Gallorum modernum cum Hiſpanis bellum, quod in Brabantia in carcere Regis Hiſpanorum juſſu Elector Trevirenſis detentus eſſet. Sed dicat quis, difficulter talia fœdera à potentiori obtineri poſſe, utpote ex quibus ad ipſum nullum venit commodum. R. Imò verò commodum ſæpè magnum. Nam omnibus eorum commoditatibus uti poſſunt, ut Leodienſes appoſiti ſunt ad invadendum Belgium Hiſpanicum. Præterea cavetur hoc ipſo, ne hoſtis aſſertis his minoribus fiat tantò potentior.

In his autem cum potentioribus fœderibus id quoque obſervandum, juxta §. 9. ut *ſi*

plures ſint potentiores vicini, omnium hic ratio habeatur. Quod benè à Republ. Genevenſi obſervatum, quæ exigua cùm ſit, tres potentes habet vicinos, Regem Galliæ, Ducem Sabaudiæ & Helvetios. Illa omnium habet rationem, ſicque optimè contra eos ſe tuetur, licet minimas habeat opes. Si enim Sabaudus ingruat, Gallus auxilium fert, vel contra, quia poſſesſionem ejus Reipubl. ſibi invident: Si etiam uterque contra illam conſpirant, Helvitii ſeſe opponunt, metuentes tàm potentes duos dominos in viſcera ferè recipere ſua.

Cœterùm in *accipiendis ex fœdere auxiliis*, præſertim *militaribus, cautè eſſe agendum* diximus §. 11. & 1. quidem *nunquam debet recipi auxilium*, quod *validius* ſit illis, qui juvantur. Ratio eſt rei hujus (1.) Quia ad robur Reipubl. & Majeſtatem facit, ut nobis potiùs quàm aliis fidere debeamus. (2.) Quia ſi illi, qui mittunt auxilium, malè Reipubl. velint, opprimere eam poſſunt, niſi ſufficiens ſit ad vim auxiliorum propulſandam. Igitur in tantum auxilia recipi debent, ut illis juvari non ſubverti poſſint, qui recipiunt, multitudoque auxiliorum in has leges aſtringenda, ut metum tantùm hoſtibus, non etiam nobis inferat.

2. *Nunquam ſumma rei auxilio fœderatorum permittenda.* Si enim ſumma Reipubl. alteri permittatur, transferri in eum videtur Maje-

ſtas,

ſtas. Diffidere magnum in Republ. bonum eſt, & quisque in tuendis ſuis majorem debet habere rationem. Niſi tamen extrema ad id cogat neceſſitas, quæ etiam contra hoc præceptum agere compellit. Ita Belgæ invalidi ab initio bellorum ipſi ſummam rerum ſuarum permiſerunt Anglis; ſed id ſucceſſu non optimo. Adde quod iſto exemplo non ſtandum: In extremis enim non tàm ratio obtinet, quàm neceſſitas, & conclamata valetudine Medici nonnunquam deſperatis medicamentis ægrorum permittunt vitam.

3. Non niſi *urgente* admodum *neceſſitate auxilia admittenda*. Nihil enim periculoſiùs externis auxiliis: 1. Quia cum contemtu agunt eorum, qui advocârunt. 2. Nolunt legibus obſtricti eſſe illis, quæ in illa obtinent Republ. 3. Poſſunt per ſubmiſſa auxilia alteri quoque parti exteri principes auxiliari. 4. Difficulter etiam ejiciuntur regno. Nimirum turpiùs ejicitur quàm non admittitur hoſpes. 5. Difficulter his auxiliis ſolet ſatisfieri. Quæ ut intelligantur, conſideranda Romanorum in promovendo imperio aſtutia, quia primo inter ſe gentes committebant, pòſt uni earum auxilia ferebant, ſicque ab illis alii beneficiis, alii armis victi, ut teſtatur AUGUSTINUS, beneficiis fœderati, armis hoſtes, qui facilè potentia Romanorum ſubvertebantur, & his fractis fœderati ob id beneficium quaſi in ſervitute tenebantur.

4. Denique cauſæ potius præcidi malorum, minimè autem omnium ad tollenda domeſtica mala, civilium inquam bellorum motus, fœderatorum auxilia debent invocari. Promptisſima enim tum inſidiarum offertur occaſio: Ab non ignavis autem occaſio & factum conjungi ſolent.

Diximus quoque §. 12. ſi cum *paribus vicinis* fœdera ineantur, quod ad eadem pariter adſtringi debeant. Parium enim par eſſe debet ratio, quod ubi ſit, ex pluribus Rebuspubl. unum quaſi conſtituitur imperium, cujus rei exemplum in Belgio, cujus Provinciæ fœderum beneficio in unum quaſi coaluêre corpus, videre eſt. Quod etiam Helvetiorum pagi nobis repræſentant. Talia autem fœdera cœteris validiora ſunt, quia ut amicitiæ illæ durabiliores eſſe ſecundum SENECAM cenſentur, quæ inter pares contrahuntur, ita fœdera quoque, quæ amicitiæ quædam Rerumpubl. ſunt: minimè etiā periculoſæ, quia omnes pares, nec ergo metuenda eſt alterius potentia.

Rationem verò horum fœderum conſiſtere in eo diximus, §. 13. ut inſtituatur commune fœderatorum collegium, qui & commune fœderatorum tueantur, nec tamen privatum ſingulorum negligant. Nempe in ejusmodi fœderibus duplex bonum conſiderandum, bonum publicum ſingulorum, &bonum omnium, ideoque duplicia conſilia eſſe debent, & du-

Digitized by Google

duplex quaſi rerum collegium. Ita Belgæ confœderati, qui ex diverſis provinciis coaluêre, duplices habent ordines, alios Provinciarum ſuarum ſingularum, alios omnium. Atq; omnium ſunt generales, qui vocantur, ordines & conſiliarii ſtatus. Quia autem per potentiam horum ſtatus Reipubl. immutari poſſit, poteſtas illorũ legibus fœderis circumſcripta eſt, ut ſi quid in fœdere deſit, tunc ad ſingularum provinciarum ordines recurratur.

Cum *inferioribus* denique etiam iniri diximus §. 14. fœdera, non facilè tamen cum indigentibus, quia oneroſa eſſe ſolent, niſi utilitatis cauſa, quæ in propulſando vel ſiſtendo communi hoſte verſatur. Sic Angli & Galli ab initio bellorum Belgicorum fœdus cum his provinciis licet exiguis inière, quia videbant, ſi Hiſpanus illis potiretur, eum & propinquiorem ſibi, & potentiorem futurum. Eadem de cauſa Romani cum Batavis fœdus tam arctum contraxerunt, ut etiam *Fratres P. Rom.* dicerentur, *in inſcript. ant. Grut. LXXIII. 9. &* *CDXCIX. 13.* quia illorum maxima opera erat, ad coërcendas ſuperiorum Germanorum in Galliam excurſiones. Ordines etiam Belgii cum Embdanis, licet longè inferioribus in fœdere ſunt, metu, ne ab illa parte aliquid mali ex imperio ingruat.

Diximus porrò §. 15. *fœdera* quædam eſſe *æterna*,

na, quædam *tempori adſtricta. Æterna*, quorum cauſa eſt perpetua. Cum enim inter Rerumpubl. fundamenta etiam ſint fœdera, quàm ſtabilis eſt Reſpubl. tàm ſtabile fœdus eſſe debet. Unde formula apud Romanos: cum Cœlo & Terra duratura ſemper pax eſto. Interim fœdera hæc ex certis rationibus immutari poſſunt. Ita Belgæ cum Anglis & Gallis ab initio fœdus ad omnia ſimul agenda inierant. Modò verò æternum quidem amicitiæ fœdus cum iisdem habent, non verò reſpectu armorum pariter inferendorum. Communi tamen conſenſu debent diſſolvi, cum nec privatorum contractus ſine conſenſu utriusque partis diſſolvi poſſit.

Diximus §. 16. *Fœdera ſanctè iniri, & eadem fide ſeriò obſervari debere*. Solennia enim requiruntur ad ea, quæ debent obſervari, quæ diverſa apud diverſas gentes in fœderibus ineundis obſervata. Apud Romanos Porca cædebatur, quo ſignificatum, optare illos, ut æquè à Diis mactetur, qui primus fidem fefellerit. Alii dexterarum inſertione ea firmârunt, ad vinclum animorum indicandum. Quidam ſanguinem ſibi eliciebant, deque eo vino mixto ambo bibebant. Fides verò illa, quæ in ſervandis fœderibus requiritur, conſtans eſſe debet, & perpetua, vel exempli cauſa, qui enim ſemel in eam peccavit, impoſterum ei non creditur. Itaque etiam Hæreticis data fides ſervari

ri debet. Fides enim eſt vinculum Reipubl. quo ſoluto, Rempubl. quoque diſſolvi neceſſe eſt. Nullus itaque prætextus tanti putandus eſt, ut fides ob ipſum falli debeat. Fruſtrà igitur quæritur: an Hæreticis data fides ſit ſervanda? ſi enim turpe eſt ſervare; turpiùs eſt dediſſe; ſi bonum fuit dare fidem, cur non itidem bonum ſit eandem ſervare? Proponenda itaque potiùs quæſtio eo modo erat: An Hæretico fides ſit danda? Ubi enim fidem ſervare turpe, eadem non eſt danda.

Diximus §. 18. *ob levia privatorum commiſſa rumpi* fœdera aut *turbari* non oportere. In tanta nimirum privatorum multitudine à belluâ multorum capitum facilè aliquid committitur, quod adverſus fœdus ſit, propter quod tamen fœdus minimè ſolvendum eſt. Reſpubl. enim ut corpus humanum eſt, in quo ſæpè unum membrum afficitur, nec tamen tota perit compages & diſſolvitur. Ad hanc verò rem inventum eſt jus Repreſſaliorum, quo jure ſi injuriæ inter privatos ortæ, illis qui læſi ſunt, poteſtas ſit, injuriam ſuam privatis armis ac rationibus ulciſci. Ita & non ita pridem Anglis quibusdam à Belgis læſis, ne fœdus ſolveretur, Angli illi à Rege poteſtatem acceperunt privatim ulciſcendi. Quippe Fœderum omnium proprium eſt, ut & ſingulorum & ſimul communem omnium propoſitam ſibi habeant utilitatem. Fœdus nempe dupliciter

conſideratur, vel ut ineundum, vel ut jam initum. In ineundo propoſita ſui ipſius cuique utilitas eſſe debet, ſed poſtquam initum, tum fœderatorum omnium magis quàm ſui habenda ratio.

§. 19. Aſſeruimus, ad prævenienda bellorum & motuum ſemina *verbis apertis & planis fœdera eſſe concipienda.* Proverbium eſt: minimum non curat Prætor, ſed tamen in Republ. eſt attendendum, adeò ut etiam ſyllabæ & verba nonnunquam ludificent eos, qui ad ea non attendunt. Sic in duodecennali fœdere cum Hiſpano, cum Belgæ requirerent, ut eos pro liberis Rex agnoſceret, reſcriptum, Regem cum iis *Tanquam* cum liberis acturum: elapſo fœderis tempore, ne videretur juri in eos renunciâſſe, particulam *Tanquam* dixerunt ejus JCti non eſſe veritatis, ſed ſimilitudinis. Evolvi itaque omnia & ſingula debent, explicatioque illorum peti, Si verò circa interpretationem aliquæ oriantur controverſiæ, ex fine decidi debent. Ut enim in jure non ſinguli caſus ſunt deciſi, ſed in reliquis decidendis ad finem legis & rationem deciſionis in uno obſervatam attenditur, ita in fœderibus illa, quæ non exiſtunt, ex exſtantium ratione ſunt definienda.

CA-

CAPUT XII.

De jure belli, de bellorum admini-ſtrandorum recta atque cauta ratione.

§. 1.

CUm plurimi Principes ac populi ſint, qui hoſtes eſſe malint, quàm amici aut fœderati, quomodo eorum conatus adverſus Rempublicam ſiſtendi, profligandique ſint, jam videndum nobis: juſto autem bello & juſti belli cauta adminiſtratione id obtinetur potisſimùm. Adeò ut duo nobis hic venient expendenda imprimis. (I.) *Ea quæ juris.* (II.) *Ea quæ prudentiæ ſunt*, in indictione & adminiſtratione bellorum.

§. 2. Ac jus quidem omne bellũ permittit, jure enim naturæ neceſſaria; jure gentiũ, ea, quæ ſingulorum & omnium; jure civili etiam ſua cuique, ſi erepta & negata ſint, vi armorum repoſcere licet, quandoque & aliena.

§. 3. Neq; tamen ſufficiat, ut ea ratio-

ne bella omnia juſta ſint, *niſi etiam neceſſaria ſint*. Non igitur *juſtum eſt id bellum, cujus juſta tantùm cauſa, ſed quod juſtum pariter ac neceſſarium*. Eſt autem neceſſarium & juſtum, cum alia ratione jus noſtrum nobis non poſſumus vindicare.

§. 4. Igitur *juſtitia bellorum*, ad tria ferè capita revocatur ſuprema. (I.) *Ad defenſionem* ſui & aliorum, quibus ea ex fœdere aut naturę aut gentium lege debetur. (II.) *Ad exactionem ejus aut vendicationem*, quod noſtrum aut noſtri juris eſt. (III.) Denique *ad pœnam*, qua ob læſam Imperii noſtri Majeſtatem, vel ob læſas ſubditorum noſtrorum fortunas, bello indicto alii alios veluti ſupplicio publico punimus.

§. 5. *Defenſio* itaque eſt, quâ adverſus inſidias, conatus, ac vim aliorum noſtra bello, tanquam gentium omnium ſanctiſſima quadam ac neceſſaria lege tuemur. *Exactio* ſive juris noſtri, ſive noſtrorum, vindicatio eſt, qua agimus repe-

repetundarum, & quæ nobis noſtrisque ablata, vel cum deberentur, non præſtita ſunt, bello repoſcimus. *Pœna* denique eſt, qua violatam majeſtatem Imperii, attritas ſubditorum fortunas, violata gentium jura, bello, velut juſta ultione vindicamus.

§. 6. *Defenſio publica & privata* multùm differunt. *Privata* juris momentanei eſt, & abſente judice tantùm permiſſa, ad cujus autoritatem privato homini aliàs eſt provocandum. *Publica* verò durat, quamdiu bellum, & alter alterius judicium, quàm ſuum ſubire neceſſe non habet. *Privata* etiam defenſio tum demum juſta eſt, ſi præceſſerit alterius aggresſio & de facto. *Publica* autem defenſio etiam juſta eſt ante alterius aggresſionem, & de futuro, ut ita dixerim. Unde colligitur, juſtam indictionem belli cenſeri nõ tantùm adverſum irrumpentes, ſed etiam irrupturos. Et minæ bellorum ac apparatus inter alios juſtum faciunt bellum eorum,

qui ob metum, ex minis & apparatu aliorum, ſine bello ſecuri eſſe non potuerunt.

§. 7. Neq; minùs juſtum eſt bellum, quod ex titulo exactionis naſcitur, dum ea, quæ noſtra tantùm ſunt, aut quæ noſtra pariter & omnium ſunt, & quæ aliena licet, tamen ex fœderis aut humanæ ſocietatis lege etiam ad nos pertinent, bello repetimus.

§. 8. Itaque invadendi tantùm aut acquirendi alterius Imperii, aut noſtri augendi cauſa, bellum non debet adminiſtrari.

§. 9. Cæterùm bellum ex juſtisſimis illis cauſis natum, juſtisſimum cenſeri debet, quam diu geritur, etiamſi ablata aut negata, quorum cauſa indictum bellum eſt, in manus noſtras, aut in poteſtatem noſtram, vi armorum ſint redacta, idque ob rationes gravisſimas. (I.) Quia in delicto, quo noxa illata eſt, ſublata noxa, virtute ac felicitate eorum, qui bellum indixerunt, nondum

ſubla-

ſublata creditur eorum pœna, qui ante bellum noxam intulerunt. (II.) Quia, qui ſemel Reipublicæ noſtræ nocuit, prudenter creditur adhuc nociturus, atque ob noxam primò illatam tamdiu jure bello licet inſtare, donec ita attritæ ſint ejus vires ac debellatæ, ut, etiamſi velit, non poſſit nobis in poſterum nocere. Ob quas etiam rationes jure ejusmodi bella etiam in poſteros extenduntur.

§. 10. Intereſt tamen ſocietatis humanæ bella finiri aliquando, itaque, ut Tacitus loquitur, ultioni modum eſſe aliquando, dum ſatis ſit conſultum, ſatis autem conſultum erit, ubi ſecuritate Reipublicæ nunc adverſum eos, quibuscum bello fuimus impliciti, ſatis erit proſpectum.

§. 11. Pœnæ vero titulus, quo ſubinde bella diximus iniri, in eo perſequendo conſiſtit, quod non niſi damno alteri per bellum inflicto reſarciri poteſt aut reparari. Nam aliæ res ablatæ aut ne-

negatæ tradi vel reſtitui poſſunt, in quibus exactio nimirum habet locum, res verò aliæ ſunt, quæ reſtitui non poſſunt, in quibus locus eſt pœnæ; quæ per bella infertur, inter quas numerari poſſunt jus violatæ Legationis, aliaq; omnia quibus verbo aut facto in Principum aut Rerumpublicarum majeſtatem peccatur.

§ 12. Interim non ob omnia ejuſcemodi bella gerenda, ſed graviſſima tantùm. Nam extremis demum malis extrema remedia veniunt applicanda. Adeò ut quædam aliis pœnis, quædam bello ſint perſequenda: nam magnum aut majus delictum addit hic aliquid, aut demit indicti belli æquitati. Itaque proſequi bello licet delicta in jus naturæ, jus gentium, & majeſtatem, adeò quidem, ut jura gentium in aliis gentibus violata quivis Magiſtratus ſupremi & Principes belli jure poſſint vindicare.

§. 13. Nam ſupremi iſti Magiſtratus du-

dupliciter conſiderantur. Vel qua ſuis imperant, vel qua nemini parent, niſi jure gentium & naturæ, cui utrique cum obnoxii & ſubditi ſint, utriq; inviolatam vim & ſartas tectasque leges, non tantùm pro ſuis, ſed, ſi poſſint, etiam pro aliis debent tueri.

§.14. Propter delicta tamen ſic aliis illata, nobis haut nocentia, minùs neceſſarium, ſed tamen juſtum propterea; nobis autem noſtrisque nocentia, & juſtum & maximè neceſſarium eſt bellum, neque enim quisquam cogi poteſt, ut bello agat cauſam alienam, quisque interim cogitur, ut ſuam agat & ſuorum.

§.15. Sed & illud ad leges æquitatis hîc facit, unius vel paucorum privatorum culpam publicam haberi, & propter eam publicam belli pœnam inferri non oportere totis gentibus, niſi ſciverint Magiſtratus, & cum conſcii eſſent, potuerint prævenire. Ubi enim unus vel pauci in alterius Rempublicam

cam peccarunt, ignaris Magiſtratibus, aut non valentibus impedire, æquum profectò eſt, ut non tàm publico bello, quàm noxiorum deditione, aut alia ſingulari pœna commiſſum crimen expietur. Si verò culpæ conſcii fuerint, & autores Magiſtratus ſupremi, & non prohibuerint, cum poſſent, & pœnæ vel noxę non dederint eos, qui peccarunt, gentium jure non unius vel paucorum, ſed totius Reipulicæ crimen eſſe creditur, & eo nomine bellum juſtum infertur. Quippe ex hujus juris præſcripto ſingulorum, quemadmodum dixi, commiſſa culpa univerſitati imputatur. Nam peccâſſe omnes videntur, ubi uni vel paucis peccantibus obſiſtere omnes potuerint, nec tamen obſtiterint.

§. 16. Atq; id quidem de bellorum jure; reſtat autem ut *ad prudentiæ leges*, in dicendis atque obſervandis nunc nos convertamus. Enimverò ubi jus belli, iis, quos jam laudavimus, titulis natum, prudenter expenditur, an jus noſtrum

noſtrum bello perſequi, an non perſequi, & quomodo perſequi expediat. Sæpè enim expedit Reipublicæ, jus ſuum bello non committere, majoris evitandi mali gratia, quod dubiæ ſint bellorum fortunæ, quod tarda, quod ſumtuoſa, quod ſæpè noxia ſint ea bella, quorum juſtisſima eſt cauſa. *Sæpè etiam expedit Reipublicæ, jus ſuum non ſtatim bello perſequi, ſed præſtolari opportunas perſequendi occaſiones*, neque ſic minus juſtam cauſam ea bella habent, quanquam inter eorum cauſam & executionem ſpatium temporis interceſſerit. Nam jus ſuum ſemper integrum creditur Reſpublica ſervare. *Juris igitur eſt, meritò poſſe: prudentiæ eſt, ſuo & tempore, & loco, ex Reipublicæ uſu bellum adminiſtrare.*

§.17. Abſtinendum verò ab iis bellis omninò eſt, quæ, quantumvis feliciter expedita, laudem victoribus modicam, ut loquitur Tacitus 12. A.c. 20. §.3 modicum victoriæ pretium, improſperùm

au-

autem cadentia, magnum ludibrium, nec minus damnum ſint allatura. Nam, ut loquitur idem Tacitus 2. hiſtor. cap.
,, 76. *Omnes qui magnarum rerum*
,, *conſilia ſuſcipiunt, aſtimare debent,*
,, *an, quod inchoatur, Reipublicæ utile,*
,, *ipſis glorioſum, aut promptum ef-*
,, *fectu, aut certè non arduum ſit*, quod ſi alibi, in bellis maximè, expendendum eſt.

§. 18. Sed neque cum iſtis etiam, quamvis juſtiſſimo bello, illigandi ſumus, quorum eſt tanta potentia, ut adverſum clades omnes inſurgere posſint, quique, ut inquit Seneca, diutius pugnare poſſunt, quàm nos vincere.

§. 19. Optima autem omnium belli inferendi occaſio eſt, *cùm non tantùm virtutis noſtræ in executione rerum, ſed etiam vitiorum, quæ inter hoſtes exorta, aut à nobis procurata ſunt, uſus nobis eſſe poteſt*, ut cum civilibus bellis, cum bellis aliis, cum defectu militum, aut ærarii inopia aliisque ejusmodi publicis malis affliguntur.

§. 20.

§.20. In ordine rerum bello gerendarum attendere maximè convenit, *ne atteramus aut diſtineamus in modicis vires, ſed maxima & capita rerum aggrediamur*, quæ, ſubacta vi ſua, cætera omnia facilè ſunt tractura. Sic enim tempori parcitur & militi, & impenſis, & minùs nos obnoxios reddimus dubiis fortunæ. Sin tamen non niſi per modica primùm debellata, ad majora ſubjuganda poſſit deveniri, prudentioris longè ordinis eſt à modico auſpicari.

§. 21. Maxima verò illa capita rerum, ea hic intelliguntur. per quæ certa ſit in hoſtico ſedes, certus, quamvis ingruente fortuna, receptꝰ, per quæ mittenda hoſtibus auxilia eripiantur, denique quorum oppugnatio & deditio cæteris deditionis & agnoſcendi noſtri Imperii imponit neceſſitatem.

§. 22. Sed & id cavendum imprimis, ne unius prælii caſui, qui præter expectationem ſæpè adverſiſſimi adferuntur, totam vim Reipublicæ, aut ſum-

ſumma conſilia, poſt quæ nulla ſuperſint, committamus. *Cùm ergò prælio cum hoſtibus committendi ſumus, tantùm extra aleam prælii ſervare expediat, quantum ſufficiat reſtauranda, ſi forſan adverſa incubuerit, fortunæ.*

§. 23. Enimverò ubi bello illigati ſumus, duplices idoneæ Reipublicæ copiæ debent eſſe ad manum. Aliæ, quas hoſtibus & caſibus fortunæ, aliæ, quas adverſæ in bello fortunæ & victoribus hoſtibus opponere poſſimus.

§. 24. Cæterùm in bello plurimùm obtinet *bonus Imperator*, & *miles*, & *ſanctè obſervata militiæ* diſciplina. *Imperator*, *ut* de aliis nunc non dicam, quæ in eo eſſe oportere, facilè quivis intelligat, conſiliis potiùs agat, quàm auctoritate & manu, & libera potiùs utatur, quàm mandatorum legibus adſtricta poteſtate, præſertim iis in bellis gerundis, quorum diverſi caſus ante conſilia & mandata non poſſunt provideri, quippe in his longè potiùs fuerit, ut Imperatoris con-

conſilia, ipſos caſus & circumſtantias temporum ac rerum, quàm inutilium ſæpè mandatorum limites ſequantur.

§.25. *Militis* verò ex domeſticis, quàm extraneis, major & melior uſus habeatur; melior, quia in eo plùs fidei; major, quia domeſticæ copiæ extraneis ſunt majores, majorem in iis Respublica habet fiduciam ſecuritatis.

§.26. Pro amicis autem & adverſum hoſtes prudenter reperta *eſt militiæ diſciplina*, quam ideò caſtrorum matrem & triumphorum alumnam vetus ſcriptor appellavit. Vis autem diſciplinæ militaris in legibus, & pœnarum propter delicta etiam leviſſima, nunquam remiſſâ ſeveritate, conſiſtit. Nam ferocia ſunt caſtrenſium ingenia, & maxima ex rebus minimis neglectis, aut malè adminiſtratis, in bello diſcrimina oriuntur.

§.27. Sed neque ſuſque deque eſt, quomodo jus noſtrum bello perſequamur, itaq; & de eo eſt aliquid dicendum. Modus

dus igitur ille duplex eſt, aut enim in invadendo hoſtem, aut *offenſione*, ut loquuntur, vel nobis propugnandis, *aut defenſione*, conſiſtit.

§. 28 *Defenſio* eſt, cùm noſtros intra limites avertimus hoſtem, ejusque inſultus propulſamus; ſola illa laudabilis eſt, ubi cum iis hoſtibus commisſi ſumus, qui majores nobis longè ſunt & validiores. Vis ejus ac uſus in tuendis limitibus conſiſtit, ex architecturæ militaris, qualis hodiè recepta eſt, lege, locis, per quæ ad interiora noſtræ ditionis aditus eſt, vallo, foſſa, propugnaculis, aliaque ejusmodi opera communitis, quibus ut adverſum longas obſidiones, de iis, quæ bello & vitæ neceſſaria, ſuſtentandis, abundè proviſum ſit, neceſſe eſt.

§. 29. *Offenſio* eſt, cùm extra limites caſtra promovemus & invadimus hoſtem. Illa laudabilis eſt, ubi cum infirmioribus bello certamus, & cùm domi nobis adeò aperti & infirmi limites

tes ſunt, ut irrumpentibus, niſi alibi reſiſtatur illis, facilè ceſſuri metuantur. Vis ejus in idoneo exercitu conſiſtit, qui hoſtili par, aut major ſit, qui interim major non ſit, quàm ut in hoſtili agro ſuſtentari poſſit.

§. 30. *Finis belli victoria* eſt, fructus autem victoriæ ejusdem uſus eſt. Rectè enim *victoria uſu cenſenda* eſt, quæ neque in prudentiæ, nec clementiæ leges peccavit. *Lex clementiæ* eſt, ut poſt partam victoriam, poſt civitates totas ſubjugatas, omnibus illis parcatur, quæ victori in poſterum non ſint nocitura, aut victis in poſterum adverſum victorem aliquando ſint profutura. *Lex prudentiæ* eſt, ut ſi quid ex devictis hoſtibus forſan ſuperſit, quod aliquando Victori poſſit nocere, ſecuritatis potiùs publicæ, ac belli juris in ferro ac flammis, quàm inconſultæ ac noxiæ clementiæ ratio habeatur.

EXPLANATIO.

DIximus §. 1. conſiderandas Juris & prudentiæ leges. Nimirum inter bella etiam leges

ges habentur; quanquam dicatur, quod inter arma ſileant leges; Tamen id de civilibus, non gentium eſt accipiendum. Ne enim bella eſſent beluina, intra limites quosdam uliſcendi libidinem redigere omnibus gentibus placuit.

Diximus etiam §.1. omne jus admittere bellum, & primò ex *jure naturæ* neceſſaria nos bello perſequi aut tueri poſſe. Fanatici itaque illi ſunt, qui Chriſtianis illicita aſſerunt. Et quæ contra afferunt ex ſcripturis, nil habent, quàm commendationem patientiæ in ferendis injuriis privatam, quod nihil officit publicæ ultioni. Cùm enim quid maximè præcipitur, non ſtatim aliud maximè prohibetur. Sunt enim quædam virtutes, ad quas naſcimur, quædam, ad quas necesſitate adigimur. Cum ergò patientiæ beneficio non aliis infertur malum, virtus hæc à Chriſto commendatur: ſed nec defenſio ſui prohibetur, præcipuè, ad quam neceſſitate adigimur. Quod autem de jure naturæ diximus, id in animalibus apparet, quæ ipſa natura variis modis armavit. Atque hoc jure bello tueri neceſſaria permiſſum eſt. Neceſſaria enim ſunt, quibus ſine ſubſiſtere non poſſumus. Cùm autem natura omnium conſervationem intendat, & hæc non niſi per neceſſaria fieri poſſit, intendit etiam neceſſariorum conſervationem. Ex hoc verò inſtituta duo promanarunt; 1. Duella, ante judicia inſtituta, quibus æquitas cauſæ decernebatur,

quæ

quæ poſt conſtituta judicia malè à quibusdam, poſtquam ſublata ſunt, defenduntur. 2. Jus à propriis armis juſtitiam invocandi, quando publici copia judicii non datur. Ita nocturnum furem & aggreſſorem diurnum cum ferro interficere licet, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ. *Jure* autem *Gentium* quævis ſua tueri licet, limitibus nimirum terrarum & privatorum bonorum poſitis, cum quisque etiam haberet ea, quæ non ad neceſſitatem tantùm erant, placuit omnibus gentibus, ut poſtquam jam conveniſſet de his omnibus, adverſum eum juſtum bellum eſſet, qui hæc turbatum iret. Ex hoc jure apparet, juſta etiam bella eſſe adverſùs iniquos Magiſtratus & publicè Prædones ſubditorum, præſertim in eos, qui in libertatem eorum inſurgunt, quæ maximum bonum hominis debet reputari. *Civili* denique *jure* etiam aliena defendere licet: Salus quippe Reipubl. nonnunquam poſtulat, ut inter arma aliena noſtri habeamus rationem, idque ideò, ne per latus aliorum nos petamur. Accedit, quod cujusque innocentis defenſio ſit ſuſcipienda. Rectè itaque *Dio Chryſoſtomus* ait: Quamvis non ubique exercere poſſint ſummi Magiſtratus imperium, tamen ubique ſolliciti eſſe debent, de bonis generis humani, & ut ad incendium plures conveniunt, ne ad illos quoque perveniat, ita in vicinorum quoque bellis id fieri eſt apertum.

Diximus §. 3. bella omnia non tantùm *juſta eſſe debere* ſed & *neceſſaria*. Et id ideò, ne in latrocinia degenerent. Quantò ſcilic. quid majus eſt, quod prout malè vel benè geratur, magnum bonum vel malum afferre poteſt, tantò id magis Legibus muniri & conſtringi debet. Talia autem bella ſunt, ideoque legibus munienda erant. Non ſunt itaque juſta, quæ vicinis inferuntur, ob id, quod metuimus eorum potentiam, licet utilia ſint: Utilitas enim bellorum non infert eorum juſtitiam. Injuſta itaque Romanorum in Italos bella, licet Italia non ſubjugata, fruſtra ad orbis imperium potuiſſent adſpirare. Injuſta etiam bella Hiſpanorum in Indos, quia ſola utilitate nituntur, licet Hiſpani prætendant jus gentium ab iis violatum negatis commerciis. Dicat verò aliquis, an non etiam utilitas in bello eſt conſideranda? R. aliam eſſe cauſam juris, aliam prudentiæ. Juris cauſa eſt injuria, tum enim bellum juſtè infertur. Prudentiæ autem eſt conſiderare, quando utile ſit, & quo modo, jus noſtrum exequi. Itaque in concipiendo bello juris, in inferendo, & gerendo utilitatis ratio eſt habenda.

Juſtitiam autem bellorum ad tria capita revocavimus §. 4. ſeqq. defenſionisque etiam publicæ ac privatæ expoſuimus differentias, quæ differentiæ faciunt ad definiendam bellorum juſtitiam. Semper enim de cauſis bellorum

lorum diſputatur. Privati enim læſi judicia in publico habent. - At publicæ cauſæ nil ſupra ſe habent, ad quod provocent. Unde ſequitur, quod, ubicunque privatus poſſit provocare ad judicem, non debeat ſe defendere cum alterius vitæ periculo. Privati præterea non poſſunt ſe vindicare, niſi de illatis & jam conſummatis injuriis. At in publicis cauſis, cogitatum pro conſummato ſcelere poſſumus interpretari. Præſtat enim in publico prævenire, quàm præveniri. Privati itaque duplex rerum ſuarum habent præſidium: curam propriam & judicia publica; ſi cura impar ſit ad reſiſtendum injuriæ, ad judicia confugiunt. At in publica cauſa utrumque eſt conjungendum, & ſi cura publica ſuppreſſa ſit, non eſt præſidium, ad quod confugiamus aut provocemus. Ideò quicquid cœptum, pro conſummato debet puniri, quia non tanta in publico ſecuritas, ac in re privata eſt. Ideò ſi Veneti ad minimum ſentiunt Turcam bellum minari, confeſtim aut pacem procurant, aut ipſi bellum inferunt, ne imparati ſint ad illorum impetum. Proinde adjiciebamus §. 6. juſtum bellum eſſe, quod ob minas bellorum, & apparatus, & hoſtilia in aliis cœpta infertur. Habet nempe id titulum æquitatis. Et ratio id juris publici requirit, quo ſimul de facto & de voluntate conſtat. Nihil enim ſummis imperiis negligendum, ut ait TAC. 2. A, 40 Et

quemadmodum nulla corpori fit injuria, ſi integro adhuc & ſano ad præveniendos morbos tribuantur medicamenta: Ita nec putandus eſt injuriam inferre ille Princeps, qui ad aliena arma præveniendа ſua illis infert, quos metuit. Cavendum tamen, ne temerè interpretemur illos apparatus contra nos eſſe, quod facilè & leviter ſuſpicamur: ſuſpicari licet, non autem facilè interpretari propter æquitatem.

Jus exactionis in tribus diximus verſari §. 7. ut 1. noſtra tantùm, 2. noſtra & omnium. 3. aliena ad nos pertinentia negata aut ablata bello repetamus & vindicemus. Jus enim exactionis ad ulſciſcendam injuriam eſt conſtitutum, quæ duplex eſt: Aut enim noſtra nobis eripiuntur, aut debita negantur: Illud ex jure civili vindicare, hoc ex jure gentium perſequi fas eſt. Noſtra autem ſunt, quæ prima rerum diviſione nobis obtigerunt, aut vacua occupavimus, quod egregia ſimilitudine Cic. expreſſit *l. 3. de fin. ſ. 67* Theatrum nempe commune eſt, & tamen locus in Theatro fit primi occupantis: ſic ante rerum diviſionem omnia erant communia, poſtquam diviſa rerum dominia, quisque ſuum tueri debet. Sunt aliæ res noſtræ, aliæ omnium, quæ etiam bello tuendæ ſunt, ſi nobis negentur. Communia enim talia ſunt omnia quoad uſum. Atque hoc jure mare etiam continetur, in quo

maris

maris jure aſſerendo (ut in hoc maneamus exemplo) moralis & naturalis ratio ceſſat in mari, ob quam à communione diſceſſum eſt. Non erat quippe unius terræ tanta magnitudo & amplitudo, ut omnes homines tenere poſſet, ideò diviſa terra, & imperiorum termini diſcedentibus ab invicem gentibus poſiti. At verò maris tanta eſt amplitudo, ut omnibus ſimul gentibus ſufficere optimè poſſit. Naturalis ratio eſt, quod mare definiri non poſſit, aut terminis includi: at verò occupatio & poſſesſio ſecundum JCtos in re terminata eſt; Nemo itaque maris proprietatem ſibi arrogare poteſt, & bellum optimo jure geri poteſt, ſi uſui omnium denegetur. Odium & bellum omninò meretur, qui id, quod omnium eſt, denegat. Angli ſunt, qui ſibi maris imperium arrogant, ſcripſitque *Seldenus pro jure Anglorum*, ſed ejus argumenta non ſunt talia, ut propterea reliquæ gentes juri ſuo renunciare debeant. Tertii generis, quæ bello defendenda, ſunt illa, quæ aliena & pariter noſtra ſunt, atque res iſtæ ad jus belli per illas habent necesſitatem ex jure gentium, necesſitatem ex oblato caſu, & innoxiam utilitatem. Ad necesſitatem ex jure gentium referenda matrimonia, quæ non deneganda, præſertim ubi illæ gentes petunt, quæ aliàs interituræ. Huc & uſus commerciorum referendus, quæ iniquè negantur, & juſtè vel ipſo bello expetuntur. Ad necesſi-

 tatem

tatem ex oblato caſu illud referendum, ſi bellum neceſſariò adminiſtrandum, & ad hoſtes non niſi per alterius ditiones perveniri poſſit, ſi tranſitus negetur, ferro fieri via poteſt. Verum quidem eſt, quod id faciat adverſus ejus, per quem tranſitur, ſecuritatem, ſed occurri huic metui poteſt. 1. Si impenſis transeuntium transeatur. 2. Transeuntium impenſis præſidia in locis majoris momenti collocentur. 3. Si non omnis exercitus ſimul, ſed per partes, ſcilicet per catervas & legiones transmittatur. Ex eodem jure arces & munitiones in loco pacato & alieno exſtrui poſſunt, ad avertendam hoſtium noſtrorum impresſionem. Innoxiam utilitatem eam vocamus, quā communicari ea petimus nobis, quæ nec damnoſa aliis erunt concedendo, & nobis conceſſa apprimè utilia. Iniquum eſt, ait Cic. in *Off.* alicui negare, quo alteri prodeſſe poſſis, tibi verò nullam afferas noxam: Ita lumen ab alterius lumine accendere innoxia utilitas, ideoque Seneca id inter beneficia numerandum non eſſe ait. Ob negatam hanc utilitatem bella juſta etiam ſunt, quia illis ſocietas humana conſervatur. In his tamen omnibus preces bello præmittendæ; pœna enim belli poſt delictum primum inferenda, quod in negatione h. l. conſiſtit. Ideò Romani vi demum contra Sabinos egerunt, poſtquam precibus nil agere poterant. Peccarunt ergò Hiſpa-

Hiſpani, qui non petitis ab Indis & Americanis commerciis, quaſi negarent, bellum ipſis intulerunt.

Diximus §. 8. noſtri imperii augendi causâ bellum non eſſe *ſumendum*. At dicat quis, maximam curam eſſe debere Imperii augendi, quæ auctio non ipſi per bella fieri poteſt. Reſp. longè aliud eſt loqui de juſta belli cauſa, aliud de belli uſu recto. Quando juſta cauſa belli eſt, juſtè agimus, ſi gerendo adverſus illos bellum, imperium noſtrum augemus, ſed ſi cauſa juſta non ſubſit, tum videndum tantùm, ne quid Resp. capiat detrimenti. Sed jam ſola propagatio Imperii pro juſta belli cauſa inter Principes non eſt, & olim vel Romanorum tempore id obtinuit, quæ ratio nota ex antiquisſimis Tyrannorum in aliena irruptionib9; Quod enim ab illis aliquando occupatum, ad hæredes poſtliminiò revocant.

Diximus §. 9. bella ex jure exactionis illata juſta eſſe, etiamſi id occupatum ſit, propter quod bellum illatum eſt, idque ob rationes gravisſimas.

1. Quia in delicto publico, quo noxa illata, ſublata noxa, nondum ſublata eſt pœna. Recuperatis rebus ſatisfactum nobis, nondum tamen æquitati; conſiderandus itaque hîc & ille qui læſus eſt, & ille qui injuriam intulit. Ille ſi avertit à ſe injuriam, ſibi ſatisfecit, hic licet non habeat, quod eripuit, nondum tamen

pœnæ ſuæ ſatisfecit. Hinc furtum quadrupliciter reſtitui Deus juſſit, licet ſimplici reſtitutione læſo ſatisfieri potuiſſet. Quæ res in judiciis magni ſunt momenti. Si enim poſt delictum pœna non eſſet, omnium flagitiorum creſceret copia, dum quilibet cogitaret, licet deprehenſus eſſet, non futurum ideò pejorem ſuum ſtatum.

2. Quia qui ſemel nocuit, creditur adhuc nociturus. Itaque ob noxam primam tantum agendum bello eſt, ne poſſit ampliùs nocere.

Ob id Romani nacti vel minimas bellorum occaſiones graſſati ſæpè ſunt usque ad excidia gentium, idque ex æquitate. Id enim in omni jure obſervatur: ita in jure privato in gravi delicto ſupplicium ſupremum decernitur, ne ſæpiùs ita peccare poſſint. Fur cum ferro deprehenſus, licet neminem interfecerit, ſuſpenditur, quia interficere poterat. Confiſcatio bonorum plerumque magna ſequitur delicta, ne iis adjuti cupidine ultionis vel ipſi delinquentes & puniti, vel propinqui eorum publico noceant.

Adde, quod duplicatur delictum, cum quis vim adverſus cauſam ſuam juſta vi tuentem impendit, ac proinde duplicanda eſt etiam belli pœna. Axioma nimirum Politicum eſt: *Defenſione Criminis in accuſatione criminis crimen augetur.* Excuſandum itaq; crimen non defendendum. Qui enim hoc facit, bis peccat,

cat, 1. Quod peccat, 2. quod perſiſtit & defendit iniquitatem. Privato ſeu civili jure pœna par eſſe debet delicto ex juſtitia diſtributiva: at publico & dominationis jure pœna major delicto eſſe debet, quia bis adverſus Rempubl. peccari non debet. Sed objiciat aliquis, annon humanitatis & miſericordiæ ratio haberi debet? R. ubi de publico agitur, meliores privato quàm Principi ſunt hæ virtutes. Deniq; quicquid ex bello reſultat, quod initiò æquum eſt, ſemper etiam æquum eſſe judicatur, ut è contrario JCti inquiunt, ſi quid initio vitioſum eſt, vitioſum eſt quicquid ex eo prognatum eſt.

Diximus §. 10. Intereſſe ſocietatis humanæ *bella aliquando finiri.* Si enim intereſt Reipubl. lites privatorum aliquando finiri, intereſt etiã ſocietatis humanæ, publicas finiri diſſenſiones. Debet ergo cogitari fortuna noſtra, quæ licet modò proſpera, facilè in adverſam mutari poſſet. Cogitari etiam adverſariorum in extremis deſperatio, quæ ſæpè pro fortitudine fuit. Non tamen facilè bella dimittenda, & ut creditor non citiùs debitores vinculis liberat, donec certus ſit de exſolvendo: ita pax non danda, donec de ſecuritate noſtra certi ſimus. Exhauriendi itaq; primò ſunt, quod fit per delectum, quo viri & opes auferuntur, & occaſiones atq; poteſtas præſcindenda peccandi, quod fit per caſtella & præſidia impoſita.

Diximus §. 11. pœnæ jus in perſequendo conſiſtere, eò quod res per ſe quædam ipſæ reparari poſſunt, quædam per perſonas & earum pœnas. Per ſe reparari poſſunt, quæ noſtræ Reipubl. vel nobis ſunt ablatæ; per pœnas perſonarum illæ, quæ ſpectant jus & obſervationem Majeſtatis. Et ejusmodi bella jure merito ſuſcipi, gentium omnium exemplis ab omni retrò ævo eſt manifeſtum. Caput nimirum Exactionis & caput pœnæ ſæpè conjungi ſolent, quia idem actus vitioſus ferè eſſe ſolet, & ſimul damnum inferre. Ex vitioſo actu obligatio eſt ad bellum, ex capite pœnæ, ex damno illato obligatio ex capite exactionis. Ideò Germani & Britanni apud TAC. *l.* 4. *H.c.*14. §. 5. & *c.* 32. §. *5. in Agric. cap.* 15. & 30. de duabus potisſimùm injuriis Romanorum conqueruntur. 1. expulſos ſuos Magiſtratus, quo læſa eorum Majeſtas, & ideò ad pœnam expetendam ſe obligatos. 2. Delectibus & tributis ſe exhauſtos, inde ex capite exactionis bello ſua repetere optimo jure poterant.

Diximus porrò §. 12. non ob quævis *delicta bellum* eſſe *inferendũ*, ſed ob *atrociora*. Aliquid enim condonandum eſt humanitati, quæ cum proclivis ſit in vitia & peccata, ſi ſemper omnia ſint punienda, continua bella eſſent habenda. Nemo enim exiſtit, cujus virtutes confinio vitiorum non lædantur ait PLIN. *in Paneg. c.* 4. §. 5. Ideò in civili quoq; jure minora errata

non

non puniuntur, ne continua ſit ſeveritas. Præterea extremis tantum malis extrema remedia ſunt adhibenda. Bellum verò extremum eſt remedium, ideò non niſi extremis malis eſt accommodandum. Intereſt itaque Reip. quædam diſſimulari, quædam bello vindicari, quod dictum eſt Soſipatris Antiqui ſapientis. Nimirum quod de aliâ materia dixit TAC. *l.4.A.c 34.f.* Spreta exoleſcunt, ſi iraſcare, agnita videntur. Id etiam minoribus peccatis accommodari poteſt. Proportio itaque debet eſſe inter pœnam & peccatum, ideò dicebamus, quædam belli pœnis, quædam levioribus pœnis vindicanda. Duplices namque pœnæ publicæ: Belli, & illæ, quæ ſunt loco belli; imò quibus ſæpè bellum avertitur, ut ſatisfactio, agnitio culpæ, multa pecuniaria. Ita Romani ſæpè paſſi ſunt ſibi ſatisfieri pro injuriis, multatione agrorum &c. quando injuriæ erant leves, & belli impenſæ metuebantur. Hanc autem pœnarum diverſitatem optimè adumbrarunt Romani illo ritu, quo COSS. faſces & ſecures prælatæ. Per ſecures enim vitæ pœnæ, per faſces corporis fuſtigatio indicabatur.

Atrociſſima ergò delicta tantùm bello puniri oportet. Cujus rei ratio eſt 1. ex jure, quia pœna delicto debet eſſe adæquata. Atrox autem pœna bellum eſt. 2. Politica, quia præmium victoriæ debet compenſare impenſas belli, quod ut fiat, debent victi expilari &

malè tractari. Quæ autem poſſit eſſe proportio inter leve peccatum & tot mala, quæ in bello perpetrantur? Quam in rem ſæpè peccatum à Romanis, qui etiam ob nulla delicta bella inferebant. Hinc *Mithridates* apud JUSTIN. *l. 38. c. 6.* dicit, eos non delicta Regum, ſed vires & Majeſtatem inſequi. Rectè ergò de iſtis *Jugurtha* ap. SALUSTIUM *c. 81* Romanis una eademq; vetus bellandi cauſa proferendi imperii & divitiarum cupido. Atrociſſima autem delicta ſunt, quæ contra Majeſtatem committuntur. Quod enim in privatis eſt fama, id in publico Majeſtas, nihil ergo ei detrahi debet, vel ſi detrahatur, graviter eſt puniendum.

Eod. §. diximus bello vindicanda eſſe peccata in jura naturæ, gentium & jus majeſtatis, & quidem non tantū ea quæ nobis, ſed & quæ aliis nocuêre. Naturæ quippe ratio ab omnibus haberi debet, quia juri huic tuendo quilibet natus eſt; Præcipuè autem Princeps, qui facultatem etiam tuendi habet. Ideoque à Magiſtratibus bello etiam in alienis delicta in jus naturæ gentiumque puniri debent. Bella enim non tàm ex juriſdictione civili, ſed ex naturæ & gentium profluxerunt.

Supremi Magiſtratus juxta §. 13. dupliciter conſiderandi, vel quatenus ſuis imperant, & ex eo exercent juriſdictionem in ſuos, vel quatenus nemini parent. Ex hoc generali autem poſſunt etiam in aliena deſcendere. Quare

re

re enim juſta Alexandri bella exiſtimantur adverſus illas gentes, quæ nunquam eum læſerant? Quia pleræque iſtæ gentes alienæ erant à cultu humanitatis & ſenſu ſocietatis humanæ; egit ergò illorum cauſam, qui ab iſtis opprimebantur. In fabulis etiã laudatur *Hercules*, quod Antæum, Diomedem aliosq; adverſus jus gentium & humanitatis peccantes puniverit, licet illum non læſerant. Laudaturq; à *Seneca*, quod orbem terrarum pererrârit, nõ ut concupiſceret aliena imperia, ſed ut innocentes à Tyrannorum liberaret poteſtate *l. 1 de benef. c. 13*. Sequitur ergò, juſta bella eſſe, quibus illi juvantur, qui oppresſi ſunt tyrannide aliorum. Initio rerum ex hoc jure ſocietas conſtituta eſt. Cum enim quędam gentes nollent accipere leges ſocietatis, aliæ gentes contra illas fœdus iniêre. Ex hoc etiam jure adverſus piratas cuilibet bellum gerere licet. Aliter verò privato fit jure, ex quo, ſi quis peccat, & in alienum agrum confugit, ille, qui læſus eſt, ab ipſo, perſequi eum non poteſt.

Diximus §. 16. *ſingulorum* aut unius aut paucorum *culpam publicam fieri*, & propter eam publicam belli pœnam imponi non debere. Sæpè enim unus ſæpè pauci in aliquâ Rep. adverſus alienam Rempubl. peccant. Quæritur ergò, an ob id bellum ſit inferendum? Et diximus, quod non, ſi id fiat inſciis magiſtratibus & cœteris civibus, aut propter inopiam po-

tentiæ impedire non valentibus. Cujus juris æquitatem apud LIVIUM *l 29.c.17.* oſtendunt Locri, dum defectionem ſuam non publico factam eſſe conſilio Romanis probant. Et iterum apud eundem LIVIUM Magnetes *l 35.c.31.* Nulla enim civitas eſt, quæ non malos etiam cives habeat Ut autem Pater propter Filium, Dominus propter ſervum non punitur, ita neo Reſpubl. propter delicta quorundam bello debet infeſtari. Quomodo autem læſis ſatisfiet? Deditione vel pœnâ domi inflictâ. Deditio frequens in Græcia potiſſimùm antiquitus uſurpata eorum civium, qui peccaverant, ſi eſſent noti, vel ſi autores injuriarū latebant, ſorte quidam ad deditionem lecti. Nonnunquam tamen pœna domi infligitur. Neceſſariò enim delicto pœna debetur, & ut major belli in publicum pœna præveniatur, debet minor privatis infligi. Privatorum enim delicta publico ſæpè nocere ſolent. Ita etiam nunc in obſidionibus obſervatur, ut, ſi qui uſi fuerint vetitis armis, vel aliquid adverſus militiæ leges admiſerint, ubi pòſt ad deditionem compelluntur, durioribus conditionibus pax ob id ipſum concedatur; aliter autem agetur ſi conſtet Magiſtratibus de privatorum delicto, nec tamen illud impediant, quamquam poſſint. Rectè CICERO in PISONEM *l 10. ſeqq* Conſul Rempubl. ipſe turbare creditur, qui eam turbulentis privatorum orationibus turbari permit

mit

mittit. Unde etiam eſt, quod ſi Domino jubente ſervus quem interficiat, Dominus quoq; cædis teneatur. Ita ſi Magiſtratui conſtat de privatorum injuriis, bellum juſtè inferri poteſt. Ex hoc jure, quicquid Reges delirant, plectuntur Achivi. Ex hoc jure delicta quoque ſingulorum univerſitati imputantur, quia unum eſt univerſitatis corpus, & omnium unus conſenſus eſſe cenſetur; & licet fortasſis quidam privatorum reſiſtere velint injuriis ſuorum in alios, & ob inopiam potentiæ eas impedire non poſſint; juſtè tamen omnibus bellum infertur. Ad naturam enim bellorum imprimis attendendum, & ex hac de injuſtitia eorum decernendum. In privatis judiciis nocentes ab innocentibus ſeparari poſſunt; in bello autem nec cauſa nec defenſio ob multitudinem perſonarum diſtingui poteſt.

In §. 16. diximus, prudentiæ eſſe, expendere, an *interſit* reip. jus ſuum perſequi, vel non. Nam alterum ſæpè præ altero reipub. expedit. Hujus rei ratio eſt, quod remedia nonnunquam malis ipſis ſunt deteriora, quia illis mala augentur. Tarda propterea ſunt remedia bellorum, tenendumque hac in parte, quod in genere dixit TAC. *in Agric. c. 3.* de remediis: Natura infirmitatis humanæ tardiora ſunt remedia quàm mala, ut corpora lentè augeſcunt, citò extingvuntur. Dubia etiam ſunt, quamobrem Reſpubl. periculo non exponenda, ſum-

tuoſa

tuoſa quoque, quia bella ſine expenſis eſſe non poſſunt; noxia, quia utraque pars noxam aliquam in bello refert. Aliud itaque eſt, habere jus, quod perſequi poſſis, aliud perſequi jus, quod habes. Intereſt ſæpè Reipubl. non ſtatim jus ſuũ perſequi, ſeipſum enim evertit, ac punit, qui prævenit rerum occaſiones. Cùm enim jus conſtituat actiones æquas, occaſio certè eſt, quæ felices conſtituat. Prudenter ergò, ſi non juſtè Tiberius, qui quò magis ex occaſione proceribus Romanis noceret, recondebat in animo receptas injurias apud TAC. *l.* 1. *A.c.* 7 §. 8. Et id exemplo *L*ibonis maximè manifeſtum fuit apud eundem *l.* 2. *A. c.* 27. *ſeqq.* & SVETON. *in Tiber c.* 25.

Nec ideò tamen minus juſta bella ſunt, ſi executio eorum nonhil differatur. Nam cauſa publica tàm æterna eſt, quàm ipſa Reſpubl. In publicis ergò prætenſionibus non datur longi temporis præſcriptio, quod etiam in Eccleſiaſticis rebus obſervatur jure Canonico; licet enim quid negligentia ſacerdotum deperdatur, id tamen nihil rebus Eccleſiæ præjudicat præcipuè ubi de jure Eccleſiæ in aliquam rem agitur.

Abſtinendum ab iis bellis diximus §. 17. quæ malè geſta magnum malum, benè geſta modicum bonum præ ſe ferunt. Suprema enim lex prudentia bellicæ eſt, futura ante facta conſiderare, ne facti poſtea pœniteat. Cogitandum

ita-

itaque, quid domi eveniret, dum nos exter. na ſequimur bella. Sæpè enim motus interim domeſticus exortus, id in cauſa fuit, quod Auguſtus & Tiberius Britanniam intactam voluerint, apud TAC. in *Agric. cap.13.* quia domi res nondũ benè confirmata, & plures erant, qui affectabant imperium; periculoſum ergò erat, relinquere caput rerum. Conſiderandum etiam, quid foris futurum, ne, dum uni inferimus bellum, nobis plures alii inferant, & videndum, num ob exempla rei antea malè geſtæ nunc idem nobis eventus metuendus ſit. De C. Cæſare ait TAC. *Agric. l. cit.* eum de intranda Britannia agitâſſe ſatis conſtat, nî ingentes adverſus Germaniam conatus irriti fuiſſent. Præterea nil fruſtrà agendum eſt in Republ. ex quo exiguum commodum cum periculo conjunctum. Ideò Tiberius apud TAC. *l. 3. An. cap. 54. f.* dicit, ſe non eſſe avidum offenſionum, præcipuè inanium & irritarum, i.e. illarum, ex quibus exiguum commodũ in publicum cum magna ſua invidia & infamia procuratur.

Diximus §. 19. optimam eſſe occaſionẽ belli inferendi, cum vitiis hoſtium uti poſſumus. Vid. *orat.* Muciani ap. TAC. *l. 2. H. c. 76.* Ideò Galgácus apud TAC. in *Agric. c. 32. §. 2.* de Romanis dicit: quod vitia hoſtium in exercitus ſui gloriam convertant; Vitiis autem hoſtium uti, eſt opprimere hoſtes arrepta ex eorum malis occaſione. Quæ res tanti momenti eſt, ut

Pop.

Pop. Romanus ſæpe excitârit quoſdam, ut vitia inter hoſtes excitarent, ut iis excitatis uti poſſent. Maxima itaque virtus & felicitas in bello eſt, poſſe & ſcire uti hoſtilibus vitiis.

Diximus §.20. *Maxima* rerum *momenta bello* eſſe *aggredienda*. Parcitur enim hac ratione tempori, parcitur militi, itemque impenſis. Optimè itaque Cæſar in Galliis, quod, ut ipſe teſtatur, rerum capita ſemper aggreſſus fuerit. Ut ergo non omittenda ſunt capita rerum, ne omnes res pereant, ita primò capita aggredienda, ut iis occupatis, cœtera acquirantur. Si tamen per minora ad majora eſt perveniendum, necesſitas hic ponit legem. Majora autem iſta tributa eſſe generum, docet §.21.

Diximus §. 22. *Unius prælii caſui totam rei ſummam non eſſe permittendam.* Nimirum cum dubiæ ſint bellorum vices, & finis, Reipubl. fundamentum autem firmum ac fixum eſſe conveniat, fixa dubiis non transſcribi debent. Itaque in cujus ditione non ſunt munitæ urbes, & qui totam vim in exercitu habet, ille non facile ad prælium deſcendere debet. Quod in Germaniæ his bellis obſervandum erat. Belgæ ſanè pro arcano Dominationis id habent, ne unquam prælio decernant, & unicum ferè tantùm eorum prælium ſub Mauritio Flandricum memoratur, in quo ipſo tantùm in conſilio imprudentiæ fuit, quantum in eventu feli-

felicitatis. Si tamen prælio ſit decernendum, dimidia exercitus pars extra aleam prælii haberi debet, ad ſecuritatem & ſubſidium illorum, quæ prælio committuntur, quæ copiæ *de reſerve* Gallis dicuntur. Romanorum in Germania fortuna eo potisſimùm adjuta, quod Germani omnium rerum ſummam in unum conferebant prælium, cum contrarium Romani facerent.

De *Imperatore* militiæ §. 24. duo diximus 1. quod *conſilio* potius agere debeat, quàm *manu*, quod nomen ipſum indicat Imperatoris, quod imperare potius agenda, quàm ipſe agere debeat. Diſcrimen quoque in eo eſt maximum, quia in unius Imperatoris capite rerum ſumma ſæpè & omnium ſalus laborat. Extat apud CURT. *l.9.c.6.* Oratio, qua exercitus nomine Craterus Alexandrum hortatur, ut ſibi parcat, ne ſe periculis offerat. *Præterea* nulla eſt ejus rei necesſitas, quia manu milites omnia perficere poſſunt: ſi tamen ſocors eſt miles, propter exemplum Imperatori prœlium eſt ineundum. 2. Quod *libera* potiùs quàm *limitibus mandatorum aſtricta* uti debeat *autoritate*. Ut enim incerti ſunt belli caſus, ita ſunt incerta ejus conſilia, ideò certa conſilia mandatis non poſſunt definiri, quæ prudentisſimè ex oblato caſu capiuntur. Præſertim autem in marinis & navalibus bellis id eſt obſervandum, quantò in mari longè incerti ma-

gis

gis &inexpectati caſus offeruntur quàm in terra. Experti id Batavi ſæpiùs, qui dum θαλασσιάρχῳ certa mandata dant, ſæpiùs eidem benè gerendæ rei occaſionem præripuerunt. Modernus tamen Martinus Trompius liberiorem habet in mari imperandi vim. Hiſpani etiam adverſus Belgas ſæpe gerendæ rei amisêre occaſionem, dum ex Hiſpania licentiam expectant. Et ſanè plus etiam utilitatis habet Reſpubl. ex eo, ſi Imperator pro ſua agat autoritate. Qui enim ex autoritate ſua agit, plura agit, quàm ille, qui ex mandato, quia hic id tantùm curat, ut mandatum expleat. Ille verò omnia ſibi agenda putat, quo operam ſuam Reipubl. probet. Limes ergo mandati ſæpè eſt limes prudentiæ & induſtriæ. Intereſt tamen, ut in ſummis rebus habeatur ratio mandati, quæ ſi in minoribus expectantur, occaſiones rerum elabuntur.

Diximus §. 26. diſciplinam militarem (quam matrem & nutricem Triumphorum Romanorum VAL. MAXIM. *l.2.c.8.* vocat) pro amicis & adverſus hoſtes eſſe inſtitutam. Pro amicis, ne ſcilic. inſolentiùs agat miles, dum per pacatos & ſociales agros ac provincias ducitur. Ad quod attendere boni Imperatoris eſſe PLINIUS obſervavit, ubi iter Trajani cum itinere Dominationi confert *in Panegyr. cap. 20*. Adverſus hoſtes, quia his tantò magis nocetur, quo majori ordine omnia apud nos peragun-

Digitized by Google

aguntur. Severæ autem diſciplinæ leges eſſe debent, & longè civilibus ſeveriores 1. quia ferocia ſunt militum ingenia, & ideò arctiùs tenenda. 2. propter maxima diſcrimina, quæ ex neglecta vel minima re in militia oriuntur. Unde apparet æquitas vel atrociſſimarum pœnarum militarium. Peccata enim bellorum ſubinde minima eſſe videntur, & quæ in civilibus commiſſa vix pro peccatis habentur; maxima verò ſunt, reſpectu noxæ quàm inferunt. Ita ſi quis ex ordine exceſſerit, exiguum id videtur, & tamen pœna capitali id punitur, quia id pluribus facientibus totius aciei compages ac corpus ſolvitur.

Fructum victoriæ §. *ult.* diximus ejus eſſe rectum uſum. Nimirum ut vincere plures potuerunt, ita benè uti pauci victoria ſciverunt, quod Annibali quoque Maharbal Pœnus apud Livium *l. 22. c. 51.* exprobrat. Ut enim victoria quis rectè utatur, debet eſſe clemens ac prudens, poteſt quidem jure victoriæ nulla uti clementia, ſed tamen hic imprimis illud valet: ſummum jus ſumma injuria. Et lex humanitatis reliquis major & amplior debet haberi. Ex prudentiæ tamen jure laudandi ſunt quidam triſtes bellorum exitus & excidia gentium.

CA-

CAPUT XIII.

De pactis, quæ nomine publico cum hoſtibus ineuntur, præſertim Induciarum ac pacis, quibus tantùm differuntur bella, aut penitus tolluntur.

§. I.

CUm & totius humani generis & ſingularum etiam gentium interſit, bellis finem aliquando imponi, finis iſte obtineri non poteſt, neque malis bellorum poteſt intercedi, niſi per pacta, quæ cum hoſtibus ineuntur: præſtat enim iis præveniri majora mala, quàm per bella inter ancipitem fortunam, ſumtus plurimos, nec minores ſæpè clades, ea quæ jam inflicta ſunt, perpetuò ulciſci, & quod accedit, quod nullum bellum juſtum ſit ipſo gentium jure, niſi quod pacis cauſa adminiſtratur. Non igitur bellorum cauſa tantùm juſta eſſe debet, ſed & finis, *juſtitia verò finis in eo conſiſtit, quod pacem appellamus.*

§. 2. Cæ-

§. 2. Cæterùm pacta iſta, quantò plus periculi habent ex perſonis, quibuscum ineuntur, tantò majori cautione ſunt ineunda. Semper enim, quanquam amicitiam ſimulet ac pacem, eamque afferat, metuere illum debes, quem læſeris, & tanquam læſurum per blanda pacis nomina eum habere ſuſpectum, qui ſemel lædere eſt conatus.

§. 3. *Pactis igitur iſtis, aut cauſa belli pariter & bellum tolluntur, aut cauſa integra bellum tantùm tollitur & differtur.*

§. 4. *Cauſa belli* & bellum pariter tolluntur, ubi inter pactorum leges remiſit quisque, quicquid hactenus in alium & prætendit, & ut obtineret, vi bellorum alium eſt perſecutus. Ea autem pacta omnium ſecuriſſima decent æſtimari, neque enim ad bellum rediturus facilè creditur, qui cauſam belli tradidit ipſe ac pacto transſcripſit.

§. 5. *Integra & ſalva cauſa tolluntur ſaltem bella*, vel ad tempus differuntur,

runtur, cum bello quidem imponitur finis, jure tamen, cujus titulo hactenus bellum geſtum, cuivis parti integro ſervato, quæ quidem pacta ſecura minùs cenſenda ſunt, dum hoc vel iſto prætextu facilè violaturus creditur pacta ille, qui belli cauſam in omnes occaſiones integram ſibi ſervavit.

§. 6. Interim cauſa belli, pactis cum hoſtibus initis, non facilè permitti debet, præſertim, ſi in ea aliquod magnum Reipublicæ ſit momentum, ſi etiam meliores offerri poſſint temporum conditiones, quibus felicius jus noſtrum perſequi poſſimus poſt initorum pactorum finem.

§. 7. Pacta ipſa aut breviſſimo, aut longioris temporis ſpatio, aut ejus æternitati ſunt adſtricta, quorum iſta *armiſtitia*, illas *inducias*, hæc *pacem* appellamus.

§.8. *Armiſtitia* ſunt, poſt quæ ſtatim ad bella reditur, in quibus potiùs non geritur, quàm ſublatum eſt bellum. In his

his ad tria eſt attendendum. (I.) Ne occaſiones rerum gerendarum, per admiſſa ea carpantur, (II.) Ne, iis durandibus, vires hoſtibus accedant majores. (III.) Denique, ut armatus etiam miles ſit, ac velut in procinctu ſtet, inter otia ar niſtitiorum.

§. 9. *Induciæ* ſunt, quibus revera bellum differtur, quarum prudenter ineundarum leges ad hæc ferè capita poſſunt revocari. (I.) Hoſtium commodo illæ non ſint; indulgentur autem illæ hoſtium commodo, ubi, rebus feliciter à nobis geſtis, penè victi illi jam toti ſint, ac proſtrati. Quippe, qui hîc aliter agit, blandientis ſibi fortunæ curſum cohibet, ac ſiſtit, & faventem hoſtibus veluti tranſcribit. (II.) Exporrigi vix debent ad hominis ætatem, ſi enim eò usque extendantur, poſt finem induciarum, novo iterum bello exorto, priori ante inducias bello, exercitus inde Reipublicæ eſt defuturus. (III.) Alibi, ubi id licet, induciæ cum

 eodem

eodem hoſte ineundæ, alibi cum eodem gerendum eſt bellum, ita enim futurum eſt, ut non deſit militi negotium, in quo poſſit occupari. (IV.) providendum imprimis, ne per inducias, translatis in alios hoſtium armis, per eorum latera, & jugulum clam & aliud agendo ipſi impetamur. (V.) Induciæ ita habendæ ſunt, ut licet bellis ad tempus ſopitis, tanquam quæ certò reditura ſint, ſit apparatus. Nam prudentiæ eſt de bello cogitare, quod poſt finitas inducias, haud dubiè ſit erupturum.

§.10, Pax eſt, quæ (ut cum Romanis loquar,) cum cælo & terra duratura initur, atq; extat magis nomen ejus, quàm uſus inter mortales. Quàm enim dubiæ ſunt res humanæ, quàm fluxa hominum fides, quàm facilè inferuntur injuriæ, & illatæ creduntur, tàm nihil in pace æternum, & facilè pax in bellum commutatur.

§. 11. Itaquè uno iſto & præcipuo præcepto eſt opus, pax omninò bona

fide

fide habenda eſt, tanquam ſemper duratura, dubia interim & cum ſuſpicione belli eadem habenda eſt, tanquam ex qua facili negotio inimicitiæ poſſunt excitari.

§. 12. Denique ſive armiſtitium, ſive induciæ, ſive pax, per pacta conventa, obtenta ſit, depoſitò licet bellorum uſu, curæ tamen, & conſilia adverſum bella imminentia, nunquam deponantur.

§. 13. Porrò in fœderibus ineundis inter eos, qui infeſti antea & injuriis irritati, quædam ſunt ineuntium arcana, quæ ad duo capita revocamus: Qui enim ineunt fædus, aut ſibi tantùm prodeſſe volunt, aut alteri nocere conantur.

§. 14. Qui ſibi tantùm prodeſſe volunt, hoc inter arcana habent, ut in præſens bona fœderatis, impoſterum autem ex illo ipſo fœdere majora bona ſibi tantùm ſervent & acquirant.

§. 15. Qui alteri nocere conten-

dunt hoc agunt, ut potentiâ ſint majores, & levi damno ſibi impoſito majus tandem aliis relinquant. Eſt quippe ex publico uſu, aliquando ſibi ex fœderibus nocere, ut magis alteri noceatur.

§. 16. In univerſum autem in fœderibus ejusmodi omnibus tàm ad hoſtium, quàm ad noſtra conſilia & arcana prudenter eſt attendendum.

EXPLANATIO.

Nulli tàm felices ſunt, ut omnes habeant amicos, & nihil tam conſtans, quin amicitia in odium, & ſocietas in ſimultatates aut denique bellum poſſit mutari. Nimirum ut adverſa ex ſecundis, & ſecunda ex adverſis oriuntur, ita conſilia quoque & rationes publicæ ad naturæ modum ſolent diſponi ac variari. Præter hoc nihil tàm benè poteſt diſponi in Rèpubl., ut omnibus benè diſpoſitum videatur. Ad quod malum varietatis præveniendum Plato commentus eſt æternam quandam Reipubl. rationem, quæ tamen ejus reſpectu faciliùs in idéis Philoſophorum, quàm in rerum natura reperitur. Ideò Arist. & ſecuti hunc Philoſophi, eam inſtituit & docuit, quæ ut variationibus ejusmodi ſubjecta, ita ingenio & naturæ humanæ eſt accommodata.

Di-

Diximus ergò §. 1. quod Bellorum cauſis ac malis fœdere poſſit intercedi, & pactis,quæ cum hoſte ineuntur, &c. In bellis enim duo requiruntur ad hoc,ut ſint juſta, cauſa æqua, æquus finis. Nec ſufficit juſtam habere cauſam, niſi quoq; juſtus ſit finis,qui tum talis eſt, quando cauſa pacis bellum ſuſcipitur. Ideò Romani inter Aquilas & Dracones etiam porcas habebant in ſignis. Porca enim Pax ſignificabatur, & propterea in fœderibus ineundis porca cæſa. Hinc illud: Cæsâ jungebant fœdera porcâ. *Virgil l.8. Æneid. v. 641 Conſ. Lipſ. l. 4. de mil. R. dial. 5. Valtrin. l. 3. cap. 9.* Fœciales quoq; lana caput habebant obvolutum, ut appareret, eos bellum indicere, quod propter obtinendam pacem inferatur. Ovis enim pacificum pecus eſt.

Hæc fœdera, reſpectu perſonarum, quibus cum ineuntur, diximus eſſe *periculoſa* §. 2. adeoque tantò majori cautione ineunda. Alia enim privatarum ratio eſt,alia publicarum perſonarum. Illæ non attendunt in contractibus ad perſonas, ſed ad res: non ſperant enim injurias ab iis, quos ad idem jus ſuum citare poſſunt. In publicis verò negotiis ad res pariter & perſonas attendendum, quæ non eidem cum nobis juri ſubjacent ac judicio. Cujus rei maxima habenda eſt ratio, cum agitur cum hoſtibus aut illis, qui recenter poteſtati noſtræ ſubjecti. Semper enim metuendi ſunt,

quos ſemel læſeris, vel qui te læſerint: illi enim ulciſci cupiunt; hi metuunt, ne ulciſcaris, & prævenire ſæpè malunt.

Oſtendimus §. 3. aut *cauſam belli unà cum bello*, aut *hoc tantùm* tolli. In privatis ſcil. judiciis res & cauſa ut plurimùm pariter transſcribuntur, in publicis non item conſiliis. Nam ſæpè res ex causâ natæ tolluntur, cauſas verò ſibi pars utraque ſervat, ut posſit ſemper ex cauſâ res iterum excitari. In privatis enim judiciis à judice quilibet, non à ſe dependet; at in publicis quilibet à ſe ipſo pendet, ideoque non facilè cauſam transſcribere debet, præſertim verò ſi reipub. in ea aliquod ſit momentum juxta §. 6. Cauſæ autem bellorum partes Majeſtatis ſunt: ita propter adverſam fortunam, propter opes Reipubl. armis exhauſtas ea deponi poſſunt, cauſa interim ſervata. Ad occaſiones quippe in Republ. attendendum, quæ duorum ſunt generum; Aut natæ, ad has ſi attendatur bellum, ut expedit gerendum ac deponendum; Aut naſcituræ, & ob has cauſas eſt reſervata; ut juſtè poſt bellum posſit inferri. Axioma enim Politicum eſt, de præſentibus nunquam eſt deſperandum, nunquam de futuris. Qui autem cauſam dat, omnes quoque futurorum occaſiones transſcribit. Rectè ergò Rex Angliæ ſatisfieri ſibi à Mercatoribus ſocietatis Indicæ Orientalis, qui Anglos quosdam læſerant, noluit, ſicque cauſam

ſibi

ſibi reliquit, qua fretus poterit commodo tempore vel omnes Hollandorum aggredi naves. (Vide *disquiſit. Pol. Boxhorn. caſ. 10.* & quæ paucis ab hinc annis inter Batavos & Anglos usque ad pacem conſtitutam geſta, confer atque conſidera.) Hæc etiam Politica Regum eſſe ſolet, ut titulos etiam amiſſarum præferant provinciarum, ut Rex Angliæ titulum Franciæ, Rex Hiſpaniæ titulum Regni Hieroſolymitani.

In Armiſtitiis ad tria attendendum diximus §. 8. inter quæ 1. Ne occaſiones rerum gerendarum per ea amittantur. Armiſtitia inter bella ex neceſſitate oriuntur, qualis ſolet eſſe ſepeliendorum cadaverum aut colloquii cauſa. Sæpè verò dolus in his & hoſtis iis ad promovendum ſuum utitur commodum. Sic in obſidione Oſtendana præerat Fœderatorum Copiis Franciſcus Veerius Anglus, cumque ſumma inopia & victus & rerum ad defenſionem pertinentium laboraret, videretque Albertum Auſtriacum certò craſtina die impreſſionem facturum, miſit ad eum tibicinem ad petendum Armiſtitium, qui eo deceptus, dum putat illum ſincerè de deditione acturum, diſtulit irruptionem, interim neceſſaria in urbem delata, quæ longo pòſt tempore obſidionem toleravit.

Majorem multò Induciarum ratio flagitat prudentiam, quam ad hæc V. capita revocavimus §. 9.

1. *Hoſtium commodo illæ non indulgendæ.* Cujus rei ratio eſt in eo, quia felicitate qui hactenus eſt uſus, ſiſtit hoc pacto fortunæ ſuæ curſum, & hoc eſt, quod Tac. dixit, ſpiramenta temporis hoſti dare. In quam regulam peccatum eſt à Belgis, ineundo cum Hiſpanis duodecennali fœdere, quia fœdere eo hoſtis maximè indigebat; illi autem victoriarum ſuarum rumpebant filium. 2. *Exporrigi non debent ad hominis ætatem vel vitam.* Poſt inducias enim bellum redit, aliàs pax eſt: opus itaque ad illud exercitato & perito prioris belli milite, quo deſtituitur is, qui nimis longas init inducias, quia morte & aliis caſibus interea abſumuntur. 3. *Alibi, ſi fieri poteſt, induciæ cum eo pangendæ, alibi cum eodem gerendum eſt bellum.* Quo ex conſilio magna eſt utilitas. 1. namque ex illo loco, in quo otium magis prodeſt Reipubl. transfertur bellum in eum locum, ubi melius eſt bellum. 2. habet miles, quo artes exerceat ſuas. Ita Belgarum duodecennale fœdus cum Hiſpano in his erat provinciis, Bellum verò ultra lineam Æquinoctialem gerebatur. 4. *Cavendum imprimis, ne per inſidias, translatis in alios hoſtium armis, per eorum latera & jugulum clàm petamur.* Ars nimirum hæc Principum eſt, ut in ſpeciem fallant, aut ſi quos non poſſint palàm, per alios ſubvertant. Ita in duodecennali fœdere Hiſpanus omnia arma in Germaniam convertit,

tit, ut ibi oppreſsis Proteſtantibus tantò potentior Belgis immineret. 5. *Induciæ ita habendæ, ut licet bellis ad tempus ſublatis, bellorum tamen ſint apppáratus.* Præſentia nimirum dirigi debent ad futura, ideoque ea quoque curæ eſſe debent, quæ in futuris uſui. Habet itaque tempore induciarum ratio prudentiæ locum, in non dimittendis tributis, in exercendo milite, in conſervandis eis, quæ tempore belli erunt neceſſaria, in explorandis hoſtium rebus, quarum in futuro bello uſus erit.

Quomodo habenda pax ſit, §. 10. 11. 12. diximus, nimirum & bonâ fide colenda eſt, & de eâ ſemper dubitandum. Pax enim nunquam eſt ſtabilis ſatis, ideoque ſuſpicione belli futuri vix unquam caret. Ut enim Philoſophi initium ſapientiæ dicunt eſſe dubitare, ità idem dubitare in Republ. initium eſt rerum benè gerendarum, & ille demum certus eſt de conſiliis ſuis, qui dubitat de illis. Si ex Ethica prudentia amici ita ſunt habendi, ut futuri aliquando hoſtes, longè magis metuendi ut hoſtes, qui aliquando hoſtes fuêre. Itaque exemplo Romanor. in altisſima pace etiam arma ſunt exercenda, & quovis tempore omnis temporis haberi debet ratio.

Diximus §. 13. arcana quædam eſſe illorum, qui fœdus ineunt. Nulla quippe in Republ. res eſt, quæ non habeat aliquid in propatulo, aliquid etiam in receſſu, quæ arcana & ſimula-

cra vocantur. Arcana verò iſta fœdus ineuntium ad duo deduximus capita, quod quidam eorum ſibi tantùm prodeſſe, quidam nocere alteris velint.

Illorum arcanum eſt juxta §.14. quod in præſens bona fœderatis obtrudant, ut impoſterum majora ſibi bona acquirant. Eſt enim Reipubl. reſpectu aliquid utile in præſens, impoſterum damnoſum; damnoſum in præſens, impoſterum utile. Prout igitur majus eſt bonum præſens, quàm damnoſum ſequens, damnoſum præſens quàm bonũ ſequens, in conſiliis fœderum ad præſentia aut futura eſt attendendum. Nimirum ita agitur cum judiciis humanis, ut potiùs præſentia amplecti, quàm futura ſoleant cogitare, ſive quod cæci ſint oculi ingenii noſtri ad futura, ſeu quod præſentiũ rerum magnitudine ita opprimantur, ut ad futurorum curam & cogitationem non poſſint adſpirare. Cautiores tamen ad futura maximè attendunt, & differunt aliquando præſentis boni uſum, ut majora pòſt bona experiantur, relinquunt minora bona, ut majora conſequantur. Atque hoc pacto nocere ſibi quandoque videntur, quando vel maximè rem agunt ſuam, alios juvare, quando ſe juvant. Ut enim qui cum uſura exponit nummos, juvare videtur in præſens illum, cui concedit, nocet tamen impoſterum, quia ſæpè uſuræ ſupra ipſum commodatum creſcunt; ita etiam in pu-

blicis

Digitized by Google

blicis negotiis multi ſpecie præſentis decipiuntur utilitatis. Ita ergo de bono & malo in Republ. eſt judicandum, ut de omni in genere bono & malo. Stoici ſolent ſic diſcurrere, quod malum prima ſpecie videatur bonum, & ob hoc multi ad illud ferantur; bonum verò prima fronte aſperum ac ſæpè malum videatur, & demum pòſt bonitatem ſuam exerat. Sic in fœderibus, qui in præſens bonum amplectitur, ſæpè poſtea multatur malo, & contra, qui malum in ſpeciem capit, bonum poſtea experitur: prout igitur majus eſt bonum præſens, quàm malum ſequens, vel damnum præſens quàm bonum ſequens, ad præſentia vel ad futura eſt attendendum. Uſus enim rerum & conſiliorum in Republ. in *comparatione* conſiſtit, quæ triplex eſt: 1. *Exempli*, qua quis ex alterius eventu judicat de ſuo. 2. *Rerum*, qua intelligitur an novum aliquod an vetus melius ſit. 3. *Temporis*, qua reputatur, an ad præſentia, an ad futura ſit attendendum, de quâ potiſſimùm hîc agimus.

Diximus §. 15. eorum qui alteri nocere conantur, arcanum hoc eſſe, ut levius damnum ſuum graviore hoſtis permutent. Quod ut intelligatur, tres obſervandæ ſunt Regulæ: 1. Non ſemper ſibi prodeſt, qui alteri nocet. Sic in bellis utraque pars ſæpe exhauritur. 2. Non ſemper ſibi nocet, qui alteri prodeſt. Sic in fœderibus præfertur nonnunquam bonum alte-

rius bono noſtro, ut inde bonum majus conſequamur. 3. Non ſemper ſibi damnum infert, qui alterius ſubvertendi cauſa ſibi nocet. Principes itaque comparationem inter ſuam & aliorum potentiam inſtituunt; & ſi illorum major ſit, ad fœdera ſe inclinant, quibus nocere quidem ſibi videntur, quia occaſionem rerum adverſus alios gerendarum ſibi præripiunt, ſed interim pace emollitos faciliùs ſubvertunt: Sic Romani victricia ſæpè arma intermisêre, quia in armis etiam ſibi nocebant, & quia longo tempore ad ſubjugandas gentes opus habebant, per fœdera autem cum inferioribus inita utroq; hoc modo vitato eos tamē oppreſſerunt.

Eod. §. 15. diximus, laudabile eſſe & ex publico uſu, ſpeciem boni aut bonum dare ad futurum alterius damnum. Fœdera enim inter hoſtes non aliter ac bella debent æſtimari, quia etiam per fœdera in ſe graſſantur, licet ſine armis. Cavendum itaque, ne belli tempora pacis nomine potiùs quàm pacis uſu mutentur. Hiſpanis hæc ars fœderibus fallendi perquam uſurpata eſt. Hinc dictum de Philippo II. eum regnaturum latiùs poſt mortem. Alia nimirum fœdera ſunt, quæ inter amicos, alia quæ inter hoſtes ineuntur, in prioribus bonum maximè noſtrum, pòſt fœderatorum etiam intenditur, in his verò, quæ inter hoſtes concluduntur, bonum noſtrum & malum illorum nobis curæ eſſe debet, nam metuitur poſt fœdera hoſtis, &

non

Digitized by Google

non tàm ipſe, ac pugnandi ratio, per fœdera mutatur.

Diximus denique in fœderibus in univerſum ad hoſtium & noſtra conſilia attendendum eſſe. Optima enim conſilia fœderum ſunt, in quibus hoſtes conſuluntur. Ita enim in his fœderibus, ut in bellis agendum. Imperator enim militiæ pro multitudine vel paucitate hoſtium ſuas auget vel minuit copias. Sic etiam in fœderibus arcana hoſtium ſcienda, ut iis opponamus noſtra. Sed quæri hic poteſt: An legitima ſint talia fœdera? & an per fœdera liceat nocere fœderatis? R. non poſſe id h.l. quæri, aliud enim eſt ad conſilia fœderum, aliud fœderum obſervationem attendere. Conſilia ita inſtituenda, ut maximè bonum noſtrum & hoſtibus malum procuretur. Obſervanda autem ſanctè ſunt, quæ ab utraquè parte decreta ſunt. Ante initum ergo fœdus hoſtilia conſilia eſſe debent, poſt initum amica conſpiratio.

CAPUT XIV.

De Bellis Civilibus, eorum cauſis, deque eorum præveniendorum, & ſi exorta ſint, componendorum ratione.

§. I.

SUnt etiam quædam domeſtica bella,

la, quæ civilia ſolent appellari, quæ tanto cum majori periculo conjuncta, quia inferuntur potiùs, quam indicuntur, & iis debellatis etiam feliciter & ſepultis Respubl. exhauritur.

§. 2. Nam ars & dolus & inſidiæ hic obſcuræ ſunt, ideò difficulter poſſunt præveniri & evitari. Et diſtricta in partes Respubl. eam, quam debellat, ſibi demit, & ita minor fit poſt victoriam, quæ major ante pugnam erat.

§. 3. Proinde cauſæ illis dari non debent, aut ſi datæ ſint, tolli: aut ſi jam propter eas arſerunt bella, prudenter & nimio Reipubl. incommodo componi debent.

§. 4. Cauſæ ſunt vel in Magiſtratu, vel in ſubditis: Nam aut Magiſtratus in Magiſtratum, aut populus in populum, aut populus in Magiſtratum civilium bellorum æſtu feruntur.

§. 5. Magiſtratus in Magiſtratum potisſimùm ex ambitione; Populus in populum ex inæqualitate, populus

in

Digitized by Google

in Magiſtratum ex dedignatione parendi ob nimiam ſcil. imperantium duritiem & ſeveritatem, ob imperantium etiam contemtum. Quod cum fit, quisque ſuas è Magiſtratu aut Populo ad ſe attrahit partes, & invitat. Itaque de ambitione, inæqualitate & dedignatione parendi tanquam præcipuis motuum cauſis modò nobis agendum.

§. 6. Ambitio eſt, qua qui aliis pares ſunt, aut inferiores, ſuperiores aiiis vel primi eſſe contendunt. Maximus eſt ejus, gravisſimusque affectus, atque ideò ex ea gravisſima ſunt bella civilia.

§. 7. Præveniri hæc Reipubl. ſecuritatis cauſa poſſunt, ſi uniuscujusque pro genere, pro meritis ſuis ac majorum ratio habeatur. Si illi, ex quibus metus eſt, futurum, ut ambitione Rempubl. turbent, in acceptis jam dignitatibus non tantum virium habent, quantum ambitionis; ſi alibi potius quàm domi, ſi denique in

iis,

iis,in quibus pro ambitione gloriæ. ſatis eſt & ex ambitione minùs noxæ occupentur.

§. 8. Si verò exortum ex ea bellum, nulla alia quietis publicæ fiduciá aut ſpes aut ratio eſt, niſi pars una debelletur. Nam præſtat quoſdam, quàm neminem rerum & imperii potiri, præſtat præeſſe ambitioſos, quàm nullos. Nemo autem rerum potitur, ubi inter civilium armorum certamina ab omnibus negligitur Imperium, & ab omnibus occupatur.

§. 9. Inæqualitas eſt, qua ſive ob diverſitatem ſacrorum & religionum, ſeu ob diſcrimen opum, & quorundam extremam egeſtatem ſeu ob diverſa in eaſdem res aut perſonas ſtudia, cives inter ſeſe committuntur.

§. 10. Ut motus, qui ex diverſitate religionis oriri poſſunt, præveniantur, illa admitti non debet, quæ aut per ſe ad turbandum Imperium comparata eſt, aut per alios aut per plures, quibus

bus ea exoſa, motus aut turbæ poſſint excitari.

§. 11. Ad præveniendos motus, qui ex quorundam extrema penuria & egeſtate, aliis opibus florentisſimis, oriri poſſunt; utilis fuerit liberalitas publica, non quò aliquid ærario decedat, ſed quò ſingularibus privilegiis ac immunitatibus afflictæ pauperum fortunę nullo Reip. incommodo proſpiciatur.

§. 12. Utilis etiam fuerit cura, ut ſit affluentia rerum neceſſariarum; ut ſit omnium illorum liberalis ratio, quibus ali debent, ut denique arma ipſis domi non niſi magiſtratus indulgentia concedantur.

§. 13. Si ex diverſis ſtudiis motus metuuntur, cauti fuerint Magiſtratus, ſi ſine morâ eligant ipſi, quot aut quos pro Republ. velint, ut hac ratione, eligendi, judicandi, diverſa ſentiendi, ac denique tumultuandi occaſio & licentia populo tollatur. Quippe ubi diu nimis de rebus & perſonis

ſonis deliberant Magiſtratus, judicia Magiſtratus tanquam vacua à populo occupantur, & judicia ejusdem varia augentur & irritantur. Poſtremò denique ab eodem populo partes pariter civilium bellorũ & ſtudia decernuntur.

§. 14. Si autem ea Reipubl. felicitas non eſt, ut cauſæ præveniri potuerint, & propter eas jam exorta bella, non tam hæ aut illæ partes, quemadmodum de bellis ex ambitione ortis diximus, præferri à Magiſtratu debent, ſed omnes componi.

§. 15. Nam cum Magiſtratus ſint veluti unius corporis caput, non tàm unius partis quàm omnium habere debent rationem, itaque eos veluti arbitros hîc flagitamus, ſed conſtanter æquales, nec in hos nec in illos magis quàm in alios propenſos. Magiſtratus enim auctoritate non armati inter ſe populi factiones ferè pereunt inter auctores.

§. 16. Ut autem non fuerit conſultum

tum

tum, vi tollere ejusmodi factiones, ne vi magis incendantur, ita id maximè faciendum, ut mutua inter ſe factionum vis prohibeatur. Itaque ad prohibendam intentari quidem vis debet, non inferri.

§. 17. Pòſt ne populus in Magiſtratûs feratur, clementiam in illis & æſtimationem auctoritatis & perſonæ ſuæ poſtulamus. Nam qui inclementer agunt, provocant plebem, & provocatæ regendæ non ſunt pares; & qui negligunt auctoritatem, veluti inciſis nervis & ſoluta vi imperii contemti & abjecti, arbitrio potiùs populi reguntur, quàm ſuo regunt.

§. 18. Si verò ob mala publica, quæ evitari non potuerunt, ſi ob facta & conſulta, quæ ſalutaria Reipubl. & tamen populo ingrata, adverſus Magiſtratus tumultuatur populus, remedium eſt in conſtantia, concordia, & prudentia Magiſtratuum. Concordia majorem vim, conſtantia majorem

jorem reverentiam conciliat Majeſtati. Nam in imperantium omnium conſenſu minor eſt populi diſſenſus, & ſi conſtantia accedat, mobilis populus adverſus auctoritatem publicam nil quidquam poteſt promovere. Contra verò diſcordia Magiſtratuum eſt initium ferè diſcordiæ ſubditorum, & levitas Magiſtratuum in mutandis illis, quæ ſemel facta & conſulta, populum ad alios etiam motus excitandos indurat, & in motu reddit conſtantiorem.

§. 19. Prudentiæ autem hoc in argumento hæ ſunt præcipuæ leges: 1. Dividendi loco, qui animo ad eosdem motus augendos conjuncti ſunt & conjurati. 2. Extrui arces & inſideri debent, ex quibus armorum metu aut in officio ſubditi retineantur, aut tumultuantes ad officium reducantur. 3. Sub cuſtodia publica, ſi fieri poſſit, ſint civium arma. 4. Oppresſis initiis extrema ſeditionis, oppresſis auctoribus, cœterorum motus & exempla præveniantur.

5. In

Digitized by Google

5. In ipſo ardore ſeditionis abſtinendum à pœnis, & omnibus quibus cætera haut profuturis animi tantum irritantur. 6. Motus inter moventes ſeditionem, quantum fieri poteſt, excitetur, quò diſtractis animis viribusque minus pares ſint Reipubl. turbandæ. 7. In graviſſimo motu conſultum fuerit, concedere quædam petentibus, ſed ſedato, irrita iterum facere, quæ ſeditione expreſſa ſunt, & id jure dominationis juſtum exiſtimatur.

EXPLANATIO.

DIximus § 1. civilia bella eſſe periculoſa Nullum enim corpus eſt tàm perfectum, quod non ſit malis ex ſe natis obnoxium, quia ex multis eſt compoſitum; ſic & in Republ. difficile, plebem cohibere intra rectam rationem, vel facere ut unius imperium tàm multis placeat. Ideó raró aliqua Reſpubl. ſine civilibus motibus fuit, qui nimis ſunt periculoſi 1. Quia vix poſſunt præveniri, dum in occulto ineuntur, ſic Catilina in ædibus privatis Reipubl. perniciem machinatus eſt 2. Quia ſimiliter in his bellis victus eſt ille, qui vicit. Hinc apud Romanos Imperatores, qui ex civilibus victoriam reportant, non triumphant,

VAL. MAX. *l.2.c.8. ex.* 7. quia hæc Victoria cladi ſimilior erat. LUCANUS *l.1.§.12.* de bello Cæſaris & Pompeji:

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

3. Quia hoſti publico commoditas optima rei gerendæ tribuitur, diſtractâ nimirum Republ. vel ad alia attentâ. Nam ut TAC. dicit *de moribus Germanorum cap* 33.§.3. Nihil fortuna majus in bello præſtare poteſt, quàm hoſtium diſcordiam. Scilicet diſcordia maximum eſt, quod hoſtibus imprecari poſſis.

Diximus §. 4. triplicia hæc bella eſſe, & 1. quidem, quando Magiſtratus in Magiſtratum inſurgunt, quod fit ex ambitione, quam Nobilium hominum furtum animi nonnemo dixit. Prævenitur verò hoc malum, ſi illi, ex quibus metus eſt, non tantum habeant virium, quantum ambitionis; Imprudenter ergo Tiberius, quod Sejano homini ambitioſo curam prætoriani militis & ſimul vim Imperii commiſerit, apud TACIT. 4.*A c.1.2.ſeqq.* Prudenter contra idem Tiberius ex Germania Germanicum revocavit, qui non erat quidem ambitioſus, Tiberio tamen ex ſuſpicione, quæ licita Imperantibus, talis videbatur, apud TACIT. *l.2. A.c.5.* Quia erat ibi robur Legionum, & fovebatur ille maxima apud militem gratia, miſſusque eſt ad componendas Orientis provincias, ut motibus componendis occupatus ipſe nihil moveret. Si autem exortum ſit jam bellum,

lum, præſtat in unius partis poteſtatem deſinere imperium. Quemadmodum Reſpubl. Romana diſcordiis civilibus feſſa in gremio Auguſti requievit. TAC *l.1, A.c.1.*

Alteram ſpeciem bellorum civilium eſſe diximus § 9 quæ ex inæqualitate oriuntur inter populum, quæ eſt vel ex diverſitate ſacrorum & religionis, de qua peculiari jam capite egimus, vel ex extrema quorundam penuria. Quod ut prævenirent Cæſares Romani, videntes aſſuetam ad ſeditiones plebem, populum congiariis, militem donativis demulcebant, eorumque allevabant pauperiem. Quod obſervandum in his præcipuè, ubi illuſtris ſanguinis quidam lapſi in egeſtatem. Benè ergò Auguſtus & Tiberius, quod tales ſemper publica ſublevarunt beneficentia. Iidem ſemper de annona ſolliciti erant, ne inopia ſcil. rerum neceſſariarum plebs premeretur. Oritur quoque hæc inæqualitas ex diverſis in res aut perſonas ſtudiis, quæ tollitur, ſi magiſtratus deligant, quos aut quot pro Republ. velint. Ideò prudenter diſſimulata Auguſti mors, donec Tiberii potentia firmaretur, TAC. *l. 1. An. cap.5.f.* & ſenatus in partes diſtractus, ſi enim antea patefacta fuiſſet, patefacta quoque via ad judicia populi, & deinde factiones fuiſſent. Ideò etiam Agrippina Claudii mortem celavit, donec Nero conſtituit imperium, intromiſitque comœdos in cubiculum,

quaſi

quaſi vivo adhuc & ſuperſtite Claudio. SVETON. *Claud. c. 45* Nihil itaque quod certum eſſe debet, incertis motibus & ſtudiis populi permittendum eſt. Unde melius eſt, ſemper certum hæredem in regno relinquere, in quo peccatum ab Alexandro M. & proinde ejus imperium poſt mortem adeò laceratum.

Monuimus § 16 ſi ad bella civilia deventum, ad ea ſopienda vim à Magiſtratu intentari potiùs quàm inferri oportere. Miles itaque magis promtus hac occaſione haberi debet, quàm militis uſus. Ideò Romani Cæſares prætorianos milites habebant, non uſi quidem eis adverſus cives, ſed ad metum iis injiciendum. Atque id omni Magiſtratui eſt agendum Duabus enim partibus irritatis, tertia debet eſſe, quæ eas componat, quæ in civilibus bellis eſt Magiſtratuum, qui ut poſſint eſſe conciliatores, nulli ſe parti adjicere debent, quo pacto citius pereunt ipſæ ſeditiones. Ut enim corpore debilitato per morbum lumbi corpus ſuſtinere non poſſunt, ita ſeditiones pereunt, ſi non fulciantur Magiſtratus autoritate.

Diximus § 17. ne populus in Magiſtratus inſurgat, duas virtutes ipſis eſſe colendas, quarum 1. Clementia eſt, quà gratum redditur ſubjectis imperium, quod alias inviſum eſt. 2. eſt Æſtimatio perſonæ & auctoritatis ſuæ, quæ conjungenda, & conjuncta fuiſſe in Germani-

co

co ait TAC. *An.* 2. *c.*72. Cùm magnitudinem & gravitatem retineret, invidiam & arrogantiam effugeret. Id qua ratione fieri poſſit oſtendit idem, ubi de Agricola dixit, ubi officio ſatisfactum nulla amplius poteſtatis perſona, *in vitâ ejus c.* 9.

Diximus §. 18. ſi ob facta & conſulta, quæ ſalutaria in publicum, ingrata tamen plebi, plebs in Magiſtratum inſurgat, remedium eſſe in concordiâ Magiſtratuū, conſtantiâ, & prudentiâ. Si enim ſint concordes Magiſtratus, non habebit ſeditio caput. Conſtantia in eo eſt, ne quod conſultum & factum ſemel eſt, mutetur, aliàs autoritas populo ad contemtum exponitur. Peſſimè itaque ſeſe geſſerunt Magiſtratus illi, qui tempore Gracchanarum & Agrariarum ſeditionum Romæ fuêre. Non erant concordes, quia hi populo, cæteri patribus adhærebant: non conſtantes etiam, quia ſæpè latæ leges ab iis prioribus adverſæ, & proinde motus hic usque ad Cæſarum tempora duravit. Optimum ergò adverſus motus remedium eſt, non moveri. Conſtantia autem hæc debet eſſe: 1. in rebus; ne quicquam mutetur ob ſeditionem, in rebus, quæ jam conſtitutæ. 2. Conſtantia perſonæ, qua oſtenditur, Magiſtratum non metuere ſeditionis vim; quę quantum valeat adverſus motus, Germanicus apud TAC. 1. *An c.*42. oſtendit. D. Julius, inquit, ſeditionem exercitus uno verbo com-

 poſuit,

poſuit, Quirites vocando, qui ſacramentum ejus detrectabant. D. Auguſtus vultu & aſpectu Actiacas legiones exterruit. Quantum verò imperii viribus noceat, non eſſe conſtantem, reſpectu perſonæ ſuæ, docet TAC. *Hiſt.1.c.9.* ſuperior exercitus legatum Hordeonium Flaccum ſpernebat ſenectâ ac debilitate pedum invalidum, ſine conſtantia, ſine autoritate: ne quieto quidem milite regimen, adeò furentes infirmitate regentis ultrò etiam accendebantur.

Prudentiæ magiſtratuum has dedimus leges. 1. Dividendi loco ſeditioſi, aut ſeditionem cœptantes. Ut enim hoſtium vis minor eſt, ſi diſtrahatur, ita ſeditionum quoque vigor & potentia labitur, ubi non communia quaſi caſtra omnibus ſunt. Huc facit, ne privata conventicula quibus permittantur, vel ſi quæ habeantur, aliquem è ſummo Magiſtratu eis intereſſe conſultum eſt. Ideò Romæ ſpectaculis & ludis, in quibus magna populi frequentia erat, prætor vel conſul præſidebat. 2. Extrui arces & inſideri debent, ut metu earum ſubditi in officio contineantur. Tales erant apud Romanos Coloniæ in provinciis. Hiſpani etiam initio bellorum Belgicorum diffidentes civium fidei arces paſſim extruxêre, inter quas celebratiſſima eſt illa Antwerpienſis. Occupari itaque à Magiſtratu debent illa, quibus occupatis à populo major vis ſeditioni accederet. 3. Sub poteſtate publicâ ſint civium

arma

Digitized by Google

arma, quo facto, qui vel maximè nocere volunt, nocendi non habent poteſtatem. 4. Initia ſeditionis & auctores opprimantur, vel ſi non expediat Reipubl. autores puniri, tantùm ſpecie honoris ablegentur, & à reliquo ſeditionum corpore ſeparentur. Et in hoc ipſo iis honores imponendi, qui non magnam vim & opportunitatem ad nocendum habeant. Sic Piſoni apud SVETON. *in Julio c.* 9. extra ordinem ultrò Hiſpania provincia datur. 5. In ardore ſeditionis abſtinendum à pœnis. Ut enim medici in ipſo morbi paroxyſmo non propinant medicamenta, ne mala augeant, ita idem in ſeditionibus & eorum remediis attendendum. Ut enim arbor reciſa iterum & pluribus locis repullulat, ita ſeditio ſeveritate pœnarum augetur; quæ ſimilitudo SENECAE eſt. Rectè itaque CASSIODORUS ait: ubi pœna in ſeditione paucis imponitur, ibi paucorum odio ſublato cœterorum omnium acrius excitatur. Ut ergo potentioribus non facilè bellum inferri debet, ita nec Magiſtratus ſubditis ſeditioſis pœnam infligere, dum adhuc in ſeditione ſunt, qui longè potentiores ſunt, quàm Magiſtratus, cujus potentia eſt in obſequio populi. 6. Seditio inter ſeditioſos eſt excitanda. Periculoſiſſimæ illæ ſeditiones, in quibus omnium eſt idem velle & nolle, in quibus omnia ordine fiunt. TAC. 1. *An. c.* 32. §. 7. de motu Germanicarum Legionum: id militares, inquit,

inquit, animos altiùs conjectantibus præcipuum indicium magni & implacabilis motus, quod neque disjecti nil paucorum inſtinctu, ſed pariter ardeſcerent, pariter ſilerent tanta æqualitate & conſtantia, ut regi crederes. Cujus motus remedium eſt, ſi motus inter ſeditioſos excitentur & diſcordiæ. Quod in aliis etiam rebus à Romanis uſurpatum; ut enim faciliùs Germanos vincerent, Arminium inter & Segeſtem diſcordias excitârunt. Vid TAC. 1. *An. c.* 55. & quæ de Maroboduo idem 2. *An. c.* 63. 7. In graviſſimo motu conſultum eſt, quædam petentibus ſeditioſis promittere, mox abroganda; Cujus rei exemplum eſt in Germanico & Druſo, qui tumultuanti militi multa promiſerant, ſed quia deſtiterat motus, nihil præſtiterant, *l.* 1. *A.* TAC. *c.* 78. Ex optimo jure id licet, quia quod initio vitioſum eſt, pro vitioſo quoque reputatur, quicquid inde ortum eſt. Verum quidem, quod id contra perſonæ conſtantiam, ſed neceſſitas hic aliud, ut ſæpè, imperat, & publica utilitas. Sed dicat quis irritis promiſſis recrudeſcent ſeditiones. R. providendum prius eſt, ne exoriri poſſint, itaque accidendæ illorum opes, & noſtra factio imprimis fovenda.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XV.

De Arcanis in Genere, de Arcanis Rerumpubl. de Arcanis Dominationis, de Simulacris Imperii, denique de Arcanis conſiliorum.

§. 1.

Quæ hactenus de conſtitutione in ſpecie & conſervatione Rerumpubl. dicta ſunt, nemo facilè exequi ſine arcanis poteſt; itaque poſtulat ordinis ratio, ut ad ea explicanda accedamus.

§. 2. Arcana non ſunt niſi intima & recondita inſtituta & conſilia, quibus utilitatis publicæ cauſa aut immotum ſemper ſervatur, quod ſemel inſtitutum eſt adverſum eos, qui id convellere & mutare Rempubl. contendunt: aut major ſpecies ac vis imperantibus conciliatur adverſus eos, qui contemnerent eorum autoritatem: aut finguntur perſonæ, quæ non ſunt, aut res quæ non futuræ, aut eſſe quod non eſt, aut fu-

iis, in quibus pro ambitione gloriæ ſatis eſt, & ex ambitione minùs noxæ occupentur.

§. 8. Si verò exortum ex ea bellum, nulla alia quietis publicæ fiducia aut ſpes aut ratio eſt, niſi pars una debelletur. Nam præſtat quosdam, quàm neminem rerum & imperii potiri, præſtat præeſſe ambitioſos, quàm nullos. Nemo autem rerum potitur, ubi inter civilium armorum certamina ab omnibus negligitur Imperium, & ab omnibus occupatur.

§. 9. Inæqualitas eſt, qua ſive ob diverſitatem ſacrorum & religionum, ſeu ob diſcrimen opum, & quorundam extremam egeſtatem ſeu ob diverſa in easdem res aut perſonas ſtudia, cives inter ſeſe committuntur.

§. 10. Ut motus, qui ex diverſitate religionis oriri poſſunt, præveniantur, illa admitti non debet, quæ aut per ſe ad turbandum Imperium comparata eſt, aut per alios aut per plures, quibus

bus ea exoſa, motus aut turbæ poſſint excitari.

§. 11. Ad præveniendos motus, qui ex quorundam extrema penuria & egeſtate, aliis opibus florentisſimis, oriri poſſunt, utilis fuerit liberalitas publica, non quò aliquid ærario decedat, ſed quò ſingularibus privilegiis ac immunitatibus afflictæ pauperum fortunę nullo Reip. incommodo proſpiciatur.

§. 12. Utilis etiam fuerit cura, ut ſit affluentia rerum neceſſariarum; ut ſit omnium illorum liberalis ratio, quibus ali debent, ut denique arma ipſis domi non niſi magiſtratus indulgentia concedantur.

§. 13. Si ex diverſis ſtudiis motus metuuntur, cauti fuerint Magiſtratus, ſi ſine morâ eligant ipſi, quot aut quos pro Republ. velint, ut hac ratione, eligendi, judicandi, diverſa ſentiendi, ac denique tumultuandi occaſio & licentia populo tollatur. Quippe ubi diu nimis de rebus & per-

ſonis

ſonis deliberant Magiſtratus, judicia Magiſtratus tanquam vacua à populo occupantur, & judicia ejusdem varia augentur & irritantur. Poſtremò denique ab eodem populo partes pariter civilium bellorũ & ſtudia decernuntur.

§. 14. Si autem ea Reipubl. felicitas non eſt, ut cauſæ præveniri potuerint, & propter eas jam exorta bella, non tam hæ aut illæ partes, quemadmodum de bellis ex ambitione ortis diximus, præferri à Magiſtratu debent, ſed omnes componi.

§. 15. Nam cum Magiſtratus ſint veluti unius corporis caput, non tàm unius partis quàm omnium habere debent rationem, itaque eos veluti arbitros hîc flagitamus, ſed conſtanter æquales, nec in hos nec in illos magis quàm in alios propenſos. Magiſtratus enim auctoritate non armati inter ſe populi factiones ferè pereunt inter auctores.

§. 16. Ut autem non fuerit conſultum

tum, vi tollere ejusmodi factiones, ne vi magis incendantur, ita id maximè faciendum, ut mutua inter ſe factionum vis prohibeatur. Itaque ad prohibendam intentari quidem vis debet, non inferri.

§. 17. Pòſt ne populus in Magiſtratûs feratur, clementiam in illis & æſtimationem auctoritatis & perſonæ ſuæ poſtulamus. Nam qui inclementer agunt, provocant plebem, & provocatæ regendæ non ſunt pares: & qui negligunt auctoritatem, veluti inciſis nervis & ſoluta vi imperii contemti & abjecti, arbitrio potiùs populi reguntur, quàm ſuo regunt.

§. 18. Si verò ob mala publica, quæ evitari non potuerunt, ſi ob facta & conſulta, quæ ſalutaria Reipubl. & tamen populo ingrata, adverſus Magiſtratus tumultuatur populus, remedium eſt in conſtantia, concordia, & prudentia Magiſtratuum. Concordia majorem vim, conſtantia majorem

jorem reverentiam conciliat Majeſta
Nam in imperantium omnium co
ſenſu minor eſt populi diſſenſus, &
conſtantia accedat, mobilis popul
adverſus auctoritatem publicam n
quidquam poteſt promovere. Co
tra verò diſcordia Magiſtratuum e
initium ferè diſcordiæ ſubditorum,
levitas Magiſtratuum in mutandis illi
quæ ſemel facta & conſulta, populu
ad alios etiam motus excitandos indu
rat, & in motu reddit conſtantiorem.

§. 19. Prudentiæ autem hoc in a
gumento hæ ſunt præcipuæ leges: 1. D
videndi loco, qui animo ad eosde
motus augendos conjuncti ſunt & co
jurati. 2. Extrui arces & inſideri deben
ex quibus armorum metu aut in off
cio ſubditi retineantur, aut tumult
antes ad officium reducantur. 3. Su
cuſtodia publica, ſi fieri poſſit, ſint civ
um arma. 4. Opprésſis initiis extrem
ſeditionis, opprésſis auctoribus, cœter
rum motus & exempla præveniantu

5.

5. In ipſo ardore ſeditionis abſtinendum à pœnis, & omnibus quibus cœtera haut profuturis animi tantum irritantur. 6. Motus inter moventes ſeditionem, quantum fieri poteſt, excitetur, quò diſtractis animis viribusque minus pares ſint Reipubl. turbandæ. 7. In gravisſimo motu conſultum fuerit, concedere quædam petentibus, ſed ſedato, irrita iterum facere, quæ ſeditione expreſſa ſunt, & id jure dominationis juſtum exiſtimatur.

EXPLANATIO.

DIximus § 1. civilia bella eſſe periculoſa Nullum enim corpus eſt tàm perfectum, quod non ſit malis ex ſe natis obnoxium, quia ex multis eſt compoſitum; ſic & in Republ. difficile, plebem cohibere intra rectam rationem, vel facere ut unius imperium tàm multis placeat. Ideo rarò aliqua Reſpubl. ſine civilibus motibus fuit, qui nimis ſunt periculoſi 1. Quia vix poſſunt præveniri, dum in occulto ineuntur, ſic Catilina in ædibus privatis Reipubl. perniciem machinatus eſt 2. Quia ſimiliter in his bellis victus eſt ille, qui vicit. Hinc apud Romanos Imperatores, qui ex civilibus victoriam reportant, non triumphant,

VAL.

VAL. MAX. *l.*2.*c* 8. *ex.* 7. quia hæc Victoria cladi ſimilior erat. LUCANUS *l.*1.*§.*12. de bello Cæſaris & Pompeji:

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

3. Quia hoſti publico commoditas optima rei gerendæ tribuitur, diſtractâ nimirum Republ. vel ad alia attentâ. Nam ut TAC. dicit *de moribus Germanorum cap* 33.§.3. Nihil fortuna majus in bello præſtare poteſt, quàm hoſtium diſcordiam. Scilicet diſcordia maximum eſt, quod hoſtibus imprecari poſſis.

Diximus §. 4. triplicia hæc bella eſſe, & 1. quidem, quando Magiſtratus in Magiſtratum inſurgunt, quod fit ex ambitione, quam Nobilium hominum furtum animi nonnemo dixit. Prævenitur verò hoc malum, ſi illi, ex quibus metus eſt, non tantum habeant virium, quantum ambitionis; Imprudenter ergo Tiberius, quod Sejano homini ambitioſo curam prætoriani militis & ſimul vim Imperii commiſerit, apud TACIT. 4.*A c.*1.2.*ſeqq.* Prudenter contra idem Tiberius ex Germania Germanicum revocavit, qui non erat quidem ambitioſus, Tiberio tamen ex ſuſpicione, quæ licita Imperantibus, talis videbatur, apud TACIT. *l.*2.*A.c.*5. Quia erat ibi robur Legionum, & fovebatur ille maxima apud militem gratia, miſſusque eſt ad componendas Orientis provincias, ut motibus componendis occupatus ipſe nihil moveret. Si autem exortum ſit jam bel-

lum,

lum, præſtat in unius partis poteſtatem deſinere imperium. Quemadmodum Reſpubl. Romana diſcordiis civilibus feſſa in gremio Auguſti requievit. TAC. *l.* 1. *A. c.* 1.

Alteram ſpeciem bellorum civilium eſſe diximus § 9 quæ ex inæqualitate oriuntur inter populum, quæ eſt vel ex diverſitate ſacrorum & religionis, de qua peculiari jam capite egimus, vel ex extrema quorundam penuria. Quod ut prævenirent Cæſares Romani, videntes aſſuetam ad ſeditiones plebem, populum congiariis, militem donativis demulcebant, eorumque allevabant pauperiem. Quod obſervandum in his præcipuè, ubi illuſtris ſanguinis quidam lapſi in egeſtatem. Benè ergò Auguſtus & Tiberius, quod tales ſemper publica ſublevarunt beneficentia. Iidem ſemper de annona ſolliciti erant, ne inopia ſcil. rerum neceſſariarum plebs premeretur. Oritur quoque hæc inæqualitas ex diverſis in res aut perſonas ſtudiis, quæ tollitur, ſi magiſtratus deligant, quos aut quot pro Republ. velint. Ideò prudenter diſſimulata Auguſti mors, donec Tiberii potentia firmaretur, TAC. *l.* 1. *An. cap.* 5. *f.* & ſenatus in partes diſtractus, ſi enim antea patefacta fuiſſet, patefacta quoque via ad judicia populi, & deinde factiones fuiſſent. Ideò etiam Agrippina Claudii mortem celavit, donec Nero conſtituit imperium, intromiſitque comœdos in cubiculum,

quaſi

quaſi vivo adhuc & ſuperſtite Claudio. SVETON. *Claud. c.45* Nihil itaque quod certum eſſe debet, incertis motibus & ſtudiis populi permittendum eſt. Unde melius eſt, ſemper certum hæredem in regno relinquere, in quo peccatum ab Alexandro M. & proinde ejus imperium poſt mortem adeò laceratum.

Monuimus § 16 ſi ad bella civilia deventum, ad ea ſopienda vim à Magiſtratu intentari potiùs quàm inferri oportere. Miles itaque magis promtus hac occaſione haberi debet, quàm militis uſus. Ideò Romani Cæſares prætorianos milites habebant, non uſi quidem eis adverſus cives, ſed ad metum iis injiciendum. Atque id omni Magiſtratui eſt agendum Duabus enim partibus irritatis, tertia debet eſſe, quæ eas componat, quæ in civilibus bellis eſt Magiſtratuum, qui ut poſſint eſſe conciliatores, nulli ſe parti adjicere debent, quo pacto citius pereunt ipſæ ſeditiones. Ut enim corpore debilitato per morbum lumbi corpus ſuſtinere non poſſunt, ita ſeditiones pereunt, ſi non fulciantur Magiſtratus autoritate.

Diximus § 17. ne populus in Magiſtratus inſurgat, duas virtutes ipſis eſſe colendas, quarum 1. Clementia eſt, quà gratum redditur ſubjectis imperium, quod alias inviſum eſt. 2. eſt Æſtimatio perſonæ & auctoritatis ſuæ, quæ conjungenda, & conjuncta fuiſſe in Germani-

co

to ait TAC. *An. 2. c. 72.* Cùm magnitudinem & gravitatem retineret, invidiam & arrogantiam effugeret. Id qua ratione fieri poſſit oſtendit idem, ubi de Agricola dixit, ubi officio ſatisfactum nulla amplius poteſtatis perſona, *in vitâ ejus c. 9.*

Diximus §. 18. ſi ob facta & conſulta, quæ ſalutaria in publicum, ingrata tamen plebi, plebs in Magiſtratum inſurgat, remedium eſſe in concordiâ Magiſtratuũ, conſtantiâ, & prudentiâ. Si enim ſint concordes Magiſtratus, non habebit ſeditio caput. Conſtantia in eo eſt, ne quod conſultum & factum ſemel eſt, mutetur, aliàs autoritas populo ad contemtum exponitur. Peſſimè itaque ſeſe geſſerunt Magiſtratus illi, qui tempore Gracchanarum & Agrariarum ſeditionum Romæ fuêre. Non erant concordes, quia hi populo, cæteri patribus adhærebant: non conſtantes etiam, quia ſæpè latæ leges ab iis prioribus adverſæ, & proinde motus hic usque ad Cæſarum tempora duravit. Optimum ergò adverſus motus remedium eſt, non moveri. Conſtantia autem hæc debet eſſe: 1. in rebus; ne quicquam mutetur ob ſeditionem, in rebus, quæ jam conſtitutæ. 2. Conſtantia perſonæ, qua oſtenditur, Magiſtratum non metuere ſeditionis vim; quę quantum valeat adverſus motus, Germanicus apud TAC. 1. *An. c.* 42. oſtendit. D. Julius, inquit, ſeditionem exercitus uno verbo com-

poſuit, Quirites vocando, qui ſacramentum ejus detrectabant. D. Auguſtus vultu & aſpectu Actiacas legiones exterruit. Quantum verò imperii viribus noceat, nòn eſſe conſtantem, reſpectu perſonæ ſuæ, docet TAC. *Hiſt.1.c.9.* ſuperior exercitus legatum Hordeonium Flaccum ſpernebat ſenectâ ac debilitate pedum invalidum, ſine conſtantia, ſine autoritate: ne quieto quidem milite regimen, adeò furentes infirmitate regentis ultrò etiam accendebantur.

Prudentiæ magiſtratuum has dedimus leges. 1. Dividendi loco ſeditioſi, aut ſeditionem cœptantes. Ut enim hoſtium vis minor eſt, ſi diſtrahatur, ita ſeditionum quoque vigor & potentia labitur, ubi non communia quaſi caſtra omnibus ſunt. Huc facit, ne privata conventicula quibus permittantur, vel ſi quæ habeantur, aliquem è ſummo Magiſtratu eis intereſſe conſultum eſt. Ideò Romæ ſpectaculis & ludis, in quibus magna populi frequentia erat, prætor vel conſul præſidebat. 2. Extrui arces & inſideri debent, ut metu earum ſubditi in officio contineantur. Tales erant apud Romanos Coloniæ in provinciis. Hiſpani etiam initio bellorum Belgicorum diffidentes civium fidei arces paſſim extruxêre, inter quas celebratisſima eſt illa Antwerpienſis. Occupari itaque à Magiſtratu debent illa, quibus occupatis à populo major vis ſeditioni accederet. 3. Sub poteſtate publicâ ſint civium

arma

Digitized by Google

arma, quo facto, qui vel maximè nocere volunt, nocendi non habent poteſtatem. 4. Initia ſeditionis & auctores opprimantur, vel ſi non expediat Reipubl. autores puniri, tantùm ſpecie honoris ablegentur, & à reliquo ſeditionum corpore ſeparentur. Et in hoc ipſo iis honores imponendi, qui non magnam vim & opportunitatem ad nocendum habeant. Sic Piſoni apud SVETON. *in Julio c.* 9. extra ordinem ultrò Hiſpania provincia datur. 5. In ardore ſeditionis abſtinendum à pœnis. Ut enim medici in ipſo morbi paroxyſmo non propinant medicamenta, ne mala augeant, ita idem in ſeditionibus & eorum remediis attendendum. Ut enim arbor reciſa iterum & pluribus locis repullulat, ita ſeditio ſeveritate pœnarum augetur; quæ ſimilitudo SENECAE eſt. Rectè itaque CASSIODORUS ait: ubi pœna in ſeditione paucis imponitur, ibi paucorum odio ſublato cœterorum omnium acrius excitatur. Ut ergo potentioribus non facilè bellum inferri debet, ita nec Magiſtratus ſubditis ſeditioſis pœnam infligere, dum adhuc in ſeditione ſunt, qui longè potentiores ſunt, quàm Magiſtratus, cujus potentia eſt in obſequio populi. 6. Seditio inter ſeditioſos eſt excitanda. Periculoſiſſimæ illæ ſeditiones, in quibus omnium eſt idem velle & nolle, in quibus omnia ordine fiunt, TAC. 1. *An. c.* 32. §. 7. de motu Germanicarum Legionum: id militares,

N 2 inquit,

CAPUT XV.

De Arcanis in Genere, de Arcanis Rerumpubl. de Arcanis Dominationis, de Simulacris Imperii, denique de Arcanis conſiliorum.

§. 1.

QUæ hactenus de conſtitutione in ſpecie & conſervatione Rerumpubl. dicta ſunt, nemo facilè exequi ſine arcanis poteſt; itaque poſtulat ordinis ratio, ut ad ea explicanda accedamus.

§. 2. Arcana non ſunt niſi intima & recondita inſtituta & conſilia, quibus utilitatis publicæ cauſa aut immotum ſemper ſervatur, quod ſemel inſtitutum eſt adverſum eos, qui id convellere & mutare Rempubl. contendunt: aut major ſpecies ac vis imperantibus conciliatur adverſus eos, qui contemnerent eorum autoritatem: aut finguntur perſonæ, quæ non ſunt, aut res quæ non futuræ, aut eſſe quod non eſt, aut fu-

turum non eſt, ut id vel is ſit aut fiat, quod nec eſſe, aut fieri debet, adverſus eos. qui aliàs detrectarent obſequium. In qua definitione omne eſt, quicquid eſt arcanorum.

§. 3. Finis eorum eſt quadruplex, proinde quadruplicia etiam arcana 1. Arcana ſunt, ut æterna ſit Respubl. & ejus forma, quæ arcana Rerump. appellamus. 2. Arcana ſunt, ut ſecuri ſint adverſum aliorum inſidias, & majores ſint pro autoritate illi, qui imperant, quæ arcana Dominationis appellamus. 3. Arcana ſunt, per quæ imperare in Rep. videntur ii, qui non imperant, quò etiam ita omnibus ſit ſatisfactum, aliis vi, aliis ſpecie imperii relictis, ita ſimulacra Imperiorum vocamus. 4. Arcana ſunt, per quæ ſpecie aliqua facilè promtum obſequium imperantis conciliatur. Hæc arcana conſiliorum diximus.

§. 4. Tota porrò Arcanorum ratio in Conſtantia & Simulatione verſatur. Conſtantia potiſſimum locum habet

habet in primis illis Rerumpub.arcanis, Simulatio verò in tribus ſequentibus ſpeciebus. Quæ omnis ſimulatio juſta eſt & neceſſaria, cum boni publici cauſa uſurpetur.

§. 5. Verſatur verò illa in præferenda omnium, quæ fiunt & conſuluntur, reddendaque ratione; quippe ratio omnis imperii reddi debet, ne ignorata ratione iniqvum imperium obſequentibus eſſe videatur.

§. 6. Cæterùm quia duplicis generis publica negotia, duplex ratio in Rebuspubl. neceſſariò conſtitui debet: Vera aut Ficta. Vel enim res & actiones, quas moliuntur, gratas futuras ſubditis confidunt magiſtratus, tunc veræ poſſunt in vulgus proferri rationes, vel metuunt res, quas cupiunt effectas, & ideò earum rationes, quanquam juſtas, ingratas populo futuras & inacceptas, tunc larvæ loco fictæ rationes uſurpari debent.

§. 7. Fictæ autem rationes ſunt

quaſi quædam ſimulacra, quæ pares videntur promovendis rebus, etiamſi non ſint pares, quæ denique cauſæ rerum, quanquam non ſunt, creduntur, in quibus omnia civilis prudentiæ verſantur momenta.

§. 8. Cujus prudentiæ uſus efficit arcana, quæ arcana ſunt reſpectu utriusque rationis, reſpectu veræ, quia tegitur & occultatur; reſpectu falſæ & fictæ, quia non intelligitur; imò etiam ficta pro verâ à populo exiſtimatur.

§. 9. Quæ arcana idcircò arcana non ſunt, niſi ſemper ſint tecta, nam ſecundò aut tertiò & ſemper eorum uſus & vis eſt, fructus non eſt, ſi primò aut ſemel patefacta.

§. 10. Non autem una eſt eorum tegendorum ratio. Teguntur optimè 1. Si animi ſubditorum, cùm rationis non ſint capaces, aut adverſi rationi, loco rationis opinione i. e. ſpecie rationis occupentur. 2. Si, ubi verbis aliquid agendum, & ex verbis aliquid metuitur,

tur, vel ſperatur, verba oratione intorta involvantur. 3. Si quicquid ad finem arcanorum obtinendum facit, fictæ rationi ita ad amusſim reſpondeat, ut ne larva pateſcat. 4. Arcana etiam eorum uſum aliquando differendo prudenter occultantur. Non tamen nimis affectata ſimulatio eſſe debet, namque illa faciliùs intelligitur ſemper.

§. 11. Omnium autem arcanorum anima eſt fides, ſine qua flagitia ſunt, non arcana, ac proinde rebus etiam juſtis tantùm debent applicari, quæ de arcanorum natura & conſtitutione, quantum ſatis, dicta ſunt.

§. 12. In genere de arcanis dictum eſt, quæ ſpeciatim, & primò Rerumpubl. Arcana nunc ſunt conſideranda.

§. 13. Arcana Rerumpubl. non ſunt niſi abſtruſæ & Imperantibus tantùm cognitæ artes, per quas à jure imperii atque adeò ipſa uſurpatione Dominationis cœteri prohibentur.

Unde ſequitur jura imperii ſola veluti ſubjecta eſſe & argumenta, circa quæ arcana hæc verſantur.

§. 14. Differunt enim, quod notandum, jura imperii ab imperii arcanis: jus enim Imperii eſt, quod illis vel illi competit tantùm, qui primas in Republ. tenent. Arcana autem imperii ſunt modi, per quos fit, ne quis jura illa invadat, imò ut pro diverſa ratione jura illa cedant in majus Reipubl. emolumentum.

§. 15. Dicuntur autem arcana hæc duplici reſpectu. 1 Reſpectu originis, quia in prima conſtitutione imperiorum & Rerump. clàm populo fuit, cur ea jura ſibi vindicarent Magiſtratus, clàm etiam fuit, quantum ipſe ſibi ille populus relicturus fuiſſet licentiæ & liberatis, ſi ea jura partim ſaltem ſibi integra ſervaſſet.

§. 16. Reſpectu uſus arcana ſunt, quando eorum tuendorum conſilia & rationes, & ſi quæ in eorum uſu exorta

vitia

vitia, ſedulò teguntur, ne abuſu aut alia ratione animatus populus ad ea reducenda iterum ſibi ſe convertat.

§. 17. Porrò de omni jure imperii, omnibusque ejus ſpeciebus hac occaſione agere non eſt hujus inſtituti, generatim tamen id dixiſſe ſufficit.

§. 18. Juris publici ſeu imperiorum nomine ac titulo vindicaſſe ſibi Magiſtratus, quicquid benè vel malè à privatis adminiſtratum, magnum bonum vel malum in Rempubl. inferre poterat. Sunt tamen undecim ejus capita, quæ ſatis erit indicaſſe: Legem aliis dare, non accipere; legibus ſolutum eſſe; jus creandi Magiſtratus; mittendi Legatos & recipiendi; Belli & Pacis; vitæ & necis; Rerum ſacrarum; Extremæ provocationis; cudendæ monetæ; Nundinarum; Vectigalium & Tributorum, quibus pro Republ. ſemper, ſed tamen pro diverſa ratione aliter atque aliter conſtituunt Rerumpubl. arcana & eorum utendorum ſtatus & modos.

§. 19. Porrò certa quædam capita ſunt, ad quæ horum arcanorum uſûs referri poteſt, quorum 1. eſt, jura imperii, ubi uſurpanda ſunt, nunquam vacua relinqui oportere, ne, qui Reipubl. inſidiantur, ea invadant prætextu neceſſitatis. 2. Nunquam Magiſtratûs juribus iſtis imperii ullo etiam leviſſimo pacto, cum odio & damno ſubditorum abuti debere. 3. Si fortè in eorum uſu, imbecillitatis humanæ perpetua ferè lege, peccatum ſit, vitia ea imprimis diſſimulanda eſſe, & callida interpretatione maximè interpolanda. 4. De juribus imperiorum inter obtinentes imperium non facilè diſceptari oportere, & ſi diſceptetur, diſſenſionem in vulgus expandi & exporrigi non debere, ne unanimi conſenſu in iis occupandis, propter quæ inter Magiſtratus diſceptatur, vulgus utatur. 5. Jura imperiorum cum iis nunquam communicanda eſſe, qui imperium non habent; quippe cum jura imperii individi-

dividui ſint imperii comites, cum jure imperii imperium quoque ipſum tranſcribitur.

§. 20. Arcana Rerumpubl. ſeqvuntur, atque iis affinia ſunt arcana Dominationis; nec enim imperia ſine Magiſtratibus, nec Magiſtratus ſine imperiis ſatis ſalvi eſſe poſſunt: Itaque cum Magiſtratibus & per eos Reipubl. plurimi ſemper inſidientur, Magiſtratuum cauſa arcana Dominationis reperta ſunt.

§. 21. Eſt autem Dominatio ſumma vis & prima imperandi.

§. 22. Arcana Dominationis ſunt occultæ quædam & abſtruſæ rationes, ad ſecuritatem ſupremorum Magiſtratuum pertinentes, adverſus eos, qui ſive cupidine ac amore imperandi, ſive odio imperantium in eos clàm invehuntur. In omnibus autẽ imperiis maximè tamen in novis & recenter conſtitutis ob fluxam adhuc imperantium autoritatem eorum uſus eſt. Et diverſa

diverſa ſunt quidem pro diverſo ſtatu Rerumpubl. alia enim arcana Regis, alia populi, alia optimatum ſunt, de quibus ſuo loco agemus.

§. 23. Generatim autem ſciendum, arcana Dominationis in iis, quæ fieri debent à Magiſtratu, & quæ ab eo facta jam ſunt, potisſimùm occupari, ſi enim quanta æquitas conſilii, tanta ſit ejus conſtantia & ſi quanta conſilii conſtantia, tanta etiam ſit exactionis, plurimùm id quidem facit ad autoritatem imperantium & ſecuritatem.

§. 24. Si quid ea conſtantia factum jam ſit, ob diverſa aliorum judicia, ob metum, ob diſcrimina non moveri vel primum horum arcanorum eſt caput.

§. 25. Alibi occupare à quibus invadendum imperium metuunt, primum eorum negotium & abditum eſſe debet, qui, ut par eſt, ſoli imperio volunt occupari.

§. 26. Cavendum quoque vel imprimis à partium ſtudiis inter eos, qui

qui ſocietatis operis idem ſupremum imperium inter ſe partiuntur; ea quippe ratione fit, ut nulla aliorum diſſenſione conſenſus publicæ autoritatis impeti poſſit aut expugnari.

§. 27. Nomina, Titulos, Inſignia, cæteraque externa publicarum dignitatum ad arcana Dominationis revocamus, quæ nec unquam cum aliis communicari, & continuò quavis in fortuna debent obſervari.

§. 28. Nec minus huc faciunt interna quædam, qualia ſunt opiniones de ſanctitate, de inviolabilitate (ut ita dicam) Magiſtratuum, in animis ſubditorum excitatæ, quæ tunc optimè ſervantur, maximique uſus ſunt, ſi etiam minima adverſus hæc commiſſa pro maximis delictis reputentur.

§. 29. Suæ porrò ſententiæ collegas, ſuique conſilii, & ſi annuus ſit Magiſtratus ſupremus, ſucceſſores ejusdem animi aſciſcere, aut aſciſcendos curare ad arcana Dominationis facit.

§. 30.

§. 30. Porrò ſimulacra ſunt imperii occultæ & reſpectu illorum, quibus obtruduntur inanes artes, per quas in Republ. ſiſtendæ omnis violentæ ambitionis & quietis procurandæ cauſa, & ut omnium haberi ratio videatur, inanibus quibusdam permiſſis, qui non imperant, quaſi imperare videntur.

§. 31. Enimverò ille Reipubl ſtatus ad temporis & rerum diuturnitatem maxime eſt comparatus, quem ſalvum & incolumem cupiunt omnia ejus membra, omnes ejus partes; nec ſalvum cupiunt, niſi ſecum quoque curas & res imperii intelligant communicari. Quia autem re ipſa non debent communicari, ut tamen intelligant, ſe habere quod non habent, ſimulacris eſt opus, quorum non una ratio, quia non una Rerumpubl. eſt forma, non unus ſtatus Generaliter tamen notandum agendumque, ut aut inania tantùm, aut ea tantùm, quæ ſupremo imperio obnoxia, quia inferiora

ra ſunt aliis, qui proconſtitutione Reipubl. primas ſupremi imperii partes habere nec poſſunt, nec debent, aliquatenus concedantur.

§. 32. Reſtant poſtremò Conſiliorum arcana, ſuntque hæc callidi & ſpeciem favoris habentes prætextus, quibus utuntur Magiſtratus in iis jubendis, exigendis, permittendis, negandis, quæ ut pro Republ. neceſſaria imprimis ac ſalutaria ſunt, ita ob ignorantiam ſeu rationis ſeu utilitatis publicæ; ſeu ob privatum ſingulorum commodum abnuerent, detrectarentque ſubditi, niſi hoc velut prætextuum velo ad obſequium vocarentur.

§. 33. Quia autem ſunt, ut ille loquitur, mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus, nunquam Magiſtratibus, ſi cauti ſint, deeſſe poterunt Rerumpubl, arcana & ſimulacra, quorum infinitam & uberrimam meſſem, qui volet, adeat locupletiſſimum Auctorem TACITUM, ex quo multa huc poſ-

poſſunt referri. Omnia enim ſingulatim excerpere non eſt noſtri inſtituti, generatim arcanorum naturam ita explicuiſſe ſumus contenti.

EXPLANATIO.

DEfinivimus aut deſcripſimus §. 2. arcana, ex quâ definitione apparet, verum eſſe id, quod PLATO de Republ. dicit, omnem Rempubl. habere ſpeciem aliquam, ſive eſſe inſtar ſcenæ & Comœdiæ: ut enim in Comœdia repræſentantur res, quæ nunquam fuêre, & perſonę tales finguntur, quæ nunquam extiterunt; ita in Republ. quoad res & perſonas, omnia alia in ſpecie oſtenduntur, alia re ipſa fiunt. Conditione naſcendi imperantes pares ſubditis erant, itaq; opus fuit ſpecie, quâ fulti majores cœteris crederentur. Hinc tot apud omnes gentes inſtituta & ſolennia, quibus per inſignia & Species Majeſtatis, imperantium adjuta autoritas. Arcana verò in Republ. extremæ ſunt ac ſummæ neceſſitatis. Si enim videas populum & ejus ambitionem, mobilis imprimis eſt, imò plurimi ex eo turbido ſunt ingenio, qnod volunt mutari ſæpiùs Rempubl. Debet ergo extrema quædam ratio haberi, per quam æterna Reſpubl. conſervetur. Quæ ratio ea eſt, quam nos arcanum appellamus.

De

Digitized by Google

De qua ut majorem opinionem, quàm revera in ſe eſt, populus concipiat, arcana eſſe debet. Plures etiam affectant Magiſtratus & imperia, & ideò præſentes gubernatores exponunt ſuorum invidiæ, qui etiam his arcanis eludendi. Speciem hujus rei exhibuêre primi Cæſares Romani, qui æternum & arcanum hoc conjungebant. Videbant mobiles plebis animos, & tot ſeditionibus ad motus aſſuefactos; ideò certam ſibi & ab aliis diverſam Majeſtatem arrogavêre, ne ſi obſervaſſent formam veterum Magiſtratuum, ob exemplum ſuperiorum Magiſtratuum, qui ſæpè depoſiti, ipſi quoque deponerentur, & ita ſemper fluctuare & mutari Reſpubl. neceſſe haberet. Quia tamen grave id populo ab initio futurum videbatur, arcanum adjecêre, iisdem Magiſtratuum vocabulis relictis, ut TAC. *An.* 1. *cap.* 3 §. 9. annotavit. Non mirum autem debet videri, quod Reſp. ſua arcana habere debet, cum omnes ferè ætates & res ſuas ſpecies, ſuos fucos habeant. Sic pictis crepundiis pueri decipiuntur. Medici ubi aliquid viſu vel guſtu ægro non acceptum, condiunt & colorant. Sacerdotes apud antiquos per has easdem artes, quicquid cupiebant, perſuadebant. Imitatio quoque horum arcanorum ſunt in bello ſtratagemata, & in civili jure doli boni. Itemque philoſophica ſophiſmata, ubi aliud dicitur, aliud intelligitur. Privati quoque habent arcana ſua, ita ut majores

eorum

eorum opes videantur, ſæpè eas diſſimulant, quia majora putantur illa, quorum in vulgus non eſt notitia. Variis autem nominibus hæc arcana ſolent appellari. PLATO ea vocat Machinas, quia illis repugnantes animi expugnantur: item blandimenta, quod illis ingrata populo commendentur: Artes, ex eo, quod occultare cautè & accuratè exequi quoque eas prudenter oporteat. Hinc CICERO Magiſtratus vocat Artifices, pulcram perſonam, qua teguntur, quæ pateſcere nolumus.

Diximus § 3 arcana quadruplicia eſſe, rerumpubl. dominationis, ſimulacra imperiorum & arcana conſiliorum. CLAPMARIUS noſtrâ ætate edidit librum nunquam ſatis laudatum de imperiorum arcanis, quem ut aliàs libenter ſequimur, ita hic meritò ab eo diſſidemus. Ille enim trium tantùm generum arcana conſtituit, Reip. Dominationis & ſimulacra imperii, ſed malè: nam arcana conſiliorum ad nullam harum ſpeciem revocari poſſunt; nec enim faciunt ad formam Reipubl. nec ad vim Imperantium, nec denique ad hoc, ut cum regunt Principes, videatur plebs aut optimates, vel cum regunt optimates, videatur plebs regnare.

Diximus §. 4. *ſeqq.* arcanorum rationem eſſe in ſimulatione & conſtantiâ. Simulationemque juſtam & neceſſariam eſſe in rep. Aliam autem hìc, ne quis erret, quàm Philoſo-

phi

phi intelligimus ſimulationem, illa enim eſt, qua aliquid falſum fit & dicitur: hæc verò, quâ verum fit & diſſimulatur. Illa grave vitium. De hâc illud dictum, benè illos imperare, qui conſilia tegunt, atque hæc æquisſima eſt: ſi enim populum conſideremus, ſæpè vera ratione abuteretur, vel adverſum eam iret, ſi propalàm exhiberetur, ſive ignorantia rerum, ſive dedignatione parendi, ſeu ſuſpicione ex hoc vel illo conſilio majora illo proventura. Majus itaque & prudentius hac in parte conſilium eſſe debet, ut occultetur coram plebe ratio. At verò quia obſequium obtineri ſine obſequii ratione vix poteſt, & obſequio non obtento nihil proficiunt Magiſtratus, ratio ſaltem ficta debet præferri. Omnium itaque ratio vera eſſe debet, ſed non omnium aperta. Nec injuria inde ulla fit plebi. Ut enim injuriam furioſo non facit, ſi quis gladium ipſi eripiat, itaque nec plebi, ſi negetur ipſi ratio, quâ in malum ſuum abuti poteſt. Ut etiam in genere quidam cibi ſalubres, inſalubres tamen ſunt febricitanti. Ita in omnes res ratio eſſe debet, ſed non omnibus aperta; omnium verò ratio reddi debet, quia juſti imperii eſt requiſitum. At dicat quis cum Terentio apud Tac. *An. 6. cap. 8 §. 6.* Abditos Principis ſenſus iniquirere anceps eſſe & illicitum. Præterea, ut idem Tac. *l. 1 A cap. 6 §. ult.* dicit, corrumpi vim imperii, ubi in ſingula quærere licet.

eet. R. Facere hæc loca pro nobis, loquuntur enim de veris rationibus, quæ ſi explicatæ fuerint, corrumpitur imperium, ut quod illis fulciatur, quibus tamen adverſus eſt plerumque populus.

Diximus § 9. arcana ſemper tecta eſſe oportere. Ut enim cibus ille non nutrit, quem quis aſſumtum evomit, ita nec arcana patefacta cuiquam prodeſſe poſſunt. Hinc Tac. penitus abditos ſenſus ea vocat, *l. 1. An. cap. 11. §. 5.* dicitque idem de Tiberio, caviſſe eum, ne aliqua voce, aliquo affectu perrumperetur, *l. 3. An. c. 15. §. 4.* licet tamen arcana ejus nonnunquam expiſcati fuerint. Ita poſt mortem Germanici de eo dictum à Domitio Celere Tac. *l. 2. An. cap. 77* § 4. refert: Periiſſe Germanicum nulli jactantiùs mœrent, quàm qui maximè lætantur.

Porrò §. 10. oſtendimus, quomodo optimè arcana tegi poſſint, nempe primus modus eſt, ingenerata animis ſubditorum opinio, quâ perſuadetur ratio eſſe, quæ non eſt, vel futura eſſe, quæ nunquam futura ſunt. Opinio verò à ratione eò diſtat, quod opinio rationi ineſt, non verò ratio opinioni. Hic ergò opinio locum habet, quia habere ratio non poteſt. Ad hanc autem opinionem conciliandam maxima & excellens deſideratur publica Eloquentia. Majoris enim laboris eſt & ingenii, perſuadere opinionem, quàm rationem, quæ ſeipſam cui-

que

que perſuadet. 2. Verba oratione intortâ involvantur. Nimirum cum verba facienda, priusquam certi eſſe de eventu conſiliorum poſſumus, ut poſtea ex certo jam eventu certa noſtra appareant conſilia. Certa etiam eſt loquendi obſervanda ratio. Quæ ars à ſacerdotibus in reddendis oraculis uſurpata, & ideò carminibus potisſimùm reddebantur, quod in his magis quàm in proſa involuta ſit loquendi ratio. Atque hac in parte æquivocatio nonnunquam laudanda. Sic Abraham Saram ſuam dicit ſororem. Jeſuitæ quoque moderno tempore eâ plerúmque uti ſolent, quod tamen in iis culpandum, quia ad diffidia & ſubverſiones Rerumpubl. utuntur. Bonæ autem artes malæ fiunt, ubi ad mala applicantur. 3. Debent omnia ſibi ex amuſſim reſpondere. Qui enim quædam in publicum arcana effert, omnes ejus actiones in ſuſpicionem adducuntur, quod nonnunquam Tiberio accidiſſe, teſtis eſt TAC. exempla ſunt *l. 1. A. c. 12. c 74. &c.* 4 Differendus eſt arcanorum uſus, cùm per dilationem nihil viribus arcanorum decedit. Ita Servator noſter cum reſtituiſſet viſum cœco, voluit id diſſimulari, quia plurima adhuc ipſi agenda erant, antequam majori invidia Pontificum per hæc miracula concitata tolleretur; Non nimis tamen affectata ſint arcana. Ut enim moderata mendacia nonnunquam pro veris acceptantur, nimia verò

pro

pro mendaciis ſtatim ab initio excipiuntur; ita vulgaria arcana rationis, nimia verò falſitatis ſpeciem habent. Peccavit itaque Tiberius, quod ultra modum deploravit Germanicum, quia hoc pacto auxit opinionem vulgo jam conceptam, cum ejus juſſu ſublatum eſſe, vid. ſupra cit. loc. ex *l.* 2. *A. c.* 77. Bonis tandem rebus arcana ſunt applicanda. Malè itaque Cæſares per hæc Magiſtratuum & Reip. autoritatem occuparunt.

Definitis arcanis Rerump. §. 13. Diximus ſubjectum & argumentum eſſe jus imperii. Si magiſtratus ſupremos conſideremus, duo ipſis imprimis curanda 1. ut imperent ſoli, ad quam rem faciunt arcana Rerump. 2. ut in imperio maximi inter cœteros appareant, quò faciunt arcana Dominationis. Rerump. enim arcana in non communicanda Majeſtâte verſantur, per eamque excogitantur modi, quibus ea, quæ natura ſua ſingulis & omnibus patent, ſolis Magiſtratibus aſſeruntur. Quæ arcana ut objectum & argumentum habent jus publicum, ita eo ipſo apertè ab eo diſtinguuntur. Ut enim omnium rerum eſt praxis & eſt Theoria, ita hic etiam jura imperii, non eadem verò arcana & praxis eorum. Aliter itaque amovendi v. g. ab armis populi quieti, aliter belli ac turbarum avidi. Sic Romani ex Græcia cultum literarum & humanitatis magnâ operâ ſibi attulêre; contrario modo Turcæ omnem

hunc

hunc fugiunt cultum & deſtruunt, idque ex proprio ſuæ Reipubl. arcano, quia, cum ſtudiis quilibet ad libertatem exſtimuletur, intereſt Reipubl. ne beneficium libertatis à ſubditis intelligatur, vel quia per eadem ſtudia deliramenta Mahumetis, quæ ſunt quædam illius imperii arcana, patefierent, & contemnerentur. Dabo propius ad rem exemplum. Creatio Magiſtratus ubique eſt juris imperii; ne verò in quinquennium crearentur, quod apud Romanos prohibitum eſſet, id Reipubl. arcanum fuit. Hinc ubi de hoc agitur, ait TAC. Tiberium intellexiſſe, tentari arcanum imperii, longâ enim Dominatione faciliùs abuti contra ejus poterant potentiam. *l. 2. A. c. 36.*

Diximus §. 15. arcana hæc dici, cùm reſpectu originis, tùm reſpectu uſus. Reſpectu originis: Cùm enim quidam præ aliis præſtantes ad jura humanitatis alios convocarent, reliquerunt ſibi quædam jura, quibus ad coërcendam convocatam multitudinem uterentur, quæ tamen vel relicta ipſis vel tanta eſſe populus ignorabat: facilè poterant hi congregati imperium abnuere. Quo tamen eos contineri utilitatis publicæ interfuit, & proinde Magiſtratus præſidium aliquod habere & ſibi relinquere debebat: e. g. jus armorum ignorabat populus tanti eſſe, ut reſiſtere id habenti non poſſent, & proinde facilè id Magi-

ſtratui conceſſit. Reſpectu uſus quoque ſunt hæc arcana v. g. ſi pro jure imperii militem conſer batPrinceps in ſpeciem adverſus hoſtes, revera autem adverſus ſubditos, quos timet defecturos. Sic apud Cæſares Romanos miles Prætorianus propter ſecuritatem eorum, revera ut populus metueret, & ſic à motu contineretur. Eo arcanorum uſu uſus eſt Sejanus, dum perſuadet Tiberio, ut omnes prætoriani milites unis iiſdemque caſtris continerentur, quæſito in ſpeciem argumento, quod ſic quietiùs victuri eſſent, revera quod ſciebat, eos majoris potentiæ eſſe, ubi conjuncti fuerint. *l.* 4. *A*, Tac. *c.* 2.

Diximus §. 18. de jure publico nos hic ex profeſſo tractare nolle, licet ſint pauci, qui de eo rectè tractarint, inter quos inſignis eſt liber juris publici *Pandecta Petri Ærodii Galli:* generatim tamen diximus, juris publici nomine ac titulo Magiſtratus ea ſibi vendicaſſe, quæ benè vel malè à ſubditis adminiſtrata magnum bonum vel malum in Rempubl. inferre potuiſſent. Nempe ſic eſt ſtatuendum, ante Magiſtratus inſtitutos, omnia arbitrio privatorum fuiſſe permiſſa, poſt inſtitutos autem ea iis ademta, quæ quodam modo ad publicum ſe habebant. Ita, ſi quis aurum & argentum ante Magiſtratus habebat, ipſe pretium ſibi ſtatuebat; at quia ex hoc falſi ſæpè contractus, & ex iis turbæ ortæ, Magiſtratus jus monetæ ſibi

ſibi vendicavit. Ante Magiſtratus quilibet læſus poterat privato conſilio ſe defendere, & poſt bello ulciſci,at quia ex hoc frequentia bellorum nata,pars generis humani turbabatur, magiſtratus jus bellorum proprium ſibi fecêre. Sic & de cæteris publici juris capitibus, quæ undecim diximus, judicandum.

Recenſuimus § 19. quædam capita, quibus arcana rerumpubl. continentur &, quidem 1. *Nunquam vacua jura relinqui imperii oportere.* Ut n. in privatis rebus quæ vacua ſunt, ea dominos non habent, fiuntque occupantis; ita in Republ. quicquid à Magiſtratu relinquitur, ab aliis occupatur. Sic Cæſares Romani, cum Principes & Magiſtratus variis diſſenſionibus jactati relinquerent Remp. & jura imperii; ipſi illa invaſêre, & inter alia beneficia occaſionis etiam hoc habuêre. 2. Nunquam abutendum his juribus cum odio & damno ſubditorum. Quomadmodum enim indignus beneficio cenſetur, qui eſt ingratus, ita indigni quoque imperantes juribus imperiorum, quæ populi ſunt beneficia, niſi beneficium convertant in eorum utilitatem, à quibus accepêre. Jura etenim imperii volente populo cum ſint Magiſtratibus imputata, beneficia populi meritò vocari poſſunt, qui eorum abuſum ferre non ſolet. Hinc Respubl. Rom. converſa ex regiâ in optimatum ferè ſtatum, cum Reges abuti hoc beneficio cœpiſſent. 3. Si

in uſu arcanorum aliquid peccatum, vitia ea tegantur. Nihil n. tàm rectè in Republ. inſtitutum eſt, quin imbecillitati obnoxium ſit. Levisſima autem errata Magiſtratuum maximè populus attollit, odio imperii & imperantium. Ut ergo hoc odium præveniatur, debent malefacta diſſimulari, vel callida interpretatione grata reddi. Cauſa enim reddi debet, cur à jure deſcitum, quæ ita inſtituenda, ut potiùs videatur Magiſtratus in Reipubl. uſum, quàm ſuum id egiſſe. 4. de juribus imperii inter obtinentes imperium diſceptari non debet. Ubi enim de aliqua re diſceptatur, ut de jure imperii, ibi dubitatio eſt; ubi dubitatio, ibi aliquid incerti, ubi aliquid incerti, ibi aſſertores & affectatores imperii certum aliquod pro ſe decernunt. Rectè ergò gaviſus eſt Tiberius, quod Senatus inter filios ejus & jura diſceptaret, ut ait Tac. *An. 2. c 51.* Diſſenſio inter Principes Senatus fuit, an vetera ſua jura deberent uſurpare, an verò gloriæ & gratiæ filiorum Imperatoris eſſet concedendum. 5. Jura imperii cum illis, qui non habent imperium, non ſunt communicanda Quanti n. quisque fit, tanti quoque ſe facit. Si ergo cui tranſcribantur jura imperii, accipit etiam imperium. Injuriam igitur Pontius Pilatus Imperio Romano fecit, dum de Chriſto Domino noſtro Judæis dixit: Vos ſecundum leges veſtras eum judicate. Judæa n. tum redacta erat in formam provinciæ à Ro-

à Romanis, ab illis judicia rerum exſpectare debebat, præcipuè in hoc diſcrimine Chriſto intentato, quod fuit Majeſtatis. Hoc autem præcipuè agendum, ut diverſo in ſtatu Reipubl. jura imperii cum reliquis non communicentur. Ita Reges Optimatibus aut populi & contra non debent ea communicare, & ſi ea communicent, inde præcipua cauſa mutationum Rerumpubl. eſſe ſolet.

Diximus § 20. Magiſtratus ſine Republ. & Rempubl. ſine Magiſtratibus ſalvis ſalva eſſe non poſſe; caput nimirum rerum ſunt Magiſtratus, quo vacillante vacillat Reſpubl. nec unquam propiùs Reſpubl. læditur, quàm per Magiſtratus. Quam affinitatem Magiſtratus cum Republ. intellexit Imperator ille, qui dixit, ſe non niſi morte à Reipubl. complexu revulſum iri. Intellexit quoque Galba, qui jugulum percuſſoribus protendit, dicens; *agerent ac ferirent, ſi ita è Republ. videretur*, *ap.* TAC. *l.1. H.c.*41. §.3.

Diximus §. 23 arcana Dominationis in iis, quæ fieri debent à Magiſtratibus, & quæ jam facta ſunt, occupari; & quidem quoad ea, quæ fieri debent, hoc requiritur 1. Conſilii æquitas, an ea quæ fiunt, bonum in publicum futura. 2. Conſtantia conſilii. 3. Conſtantia executionis. Videndum itaq; primò, Quid velis, an illud cum bono publico, deinde quid poſſis, poſtremoque ubi utrumque ſe benè habet, conſtan-

tia ubique in executione præferenda, cujus firmandæ cauſa arcana Dominationis ſunt inventa. Conſidera Imperatores, Galbam, Othonem, Vitellium, quos meritò AMBROSIUS bimeſtres Imperatores vocat, ob brevitatem imperii, quæ exinde, quod conſtantia in eorum conſiliis exequendis abfuit. Quanta enim conſtantia fuit Galbæ in porrigendo capite ferienti, tantum idem ipſe inconſtans fuit in impedienda illa ſeditione, quâ tandem miſerè periit. Sic & in Antiquiori Republ. Romanâ, dum ſenatores hærerent in conſiliis & nutarēt, Cæſar invaſit imperium; adeò ut fermè verum hoc loco ſit, quod Britanni, ap. TAC *in Agric. c. 15.* dicunt: Se jam quod difficillimum ſit, deliberare; Porrò in ejuſmodi conſiliis periculoſius eſſe deprehendi, quàm audere.

Quoad verò facta, §. 24. diximus, ſi quid ex conſtantia jam factum, ob diverſa aliorum judicia, metum, diſcrimina, Magiſtratus moveri non debere. TAC. *l. 4. A. c. 36.* tradit: Accuſatores leves & non magni ingenii artibus ſuis ſæpè eſſe circumventos, at verò diſtrictos & atroces ſemper tutos egiſſe; ideò quia illi agebant quidem aliquid, ſed tueri id non poterant conſtanter, atque ita ſi non probaſſent, in eas pœnas incidebant, quas paſſuri rei fuiſſent, ſi objecta probarentur. Atroces autem ex ipſius rei magnitudine depromebant probationes, & ſic probatis quæ dixerant

rant, in exitium reos dabant. Magiſtratibus eodem quoque modo, quæ ſemel facta, pertinaci conſtantia tuenda, vel ſi graviſſimus ingruat metus: Contemtus enim metus reſpectu Magiſtratus eſt depulſio mali quod metuitur.

Diximus §. 27. nomina, titulos, inſignia non communicanda, ſed ſemper retinenda. Minima nempe etiam in Republ. ſunt obſervanda, inter quæ etiam ſunt Tituli & nomina, quæ communicata transferre poſſunt & trahere ſecum dominium. Odioſa tamen nomina prætermittenda, ſi eadem vis in gratioſo nomine eſſe poteſt. Ita rectè Cæſares Romani Principis & Imperatoris, non Regis nomina aſſumſêre, ap. TAC. *l. 1. A. c. 1.* & *9.* Inſignia quoque eadem cura habenda, quæ ARRIANUS, *Diſſ. 1.* *ad Epictet.* Externas pupas vocavit, quibus oculi plebis ſolent faſcinari. Inſignia autem quædam ſunt poteſtatis, ut ſceptra, quædam ſeveritatis & juſtitiæ, ut faſces, ſecures, quædam etiam, in quibus etiam revera vis eſt, ut ſatellites. Titulorum quoque ratio eſt habenda; ut in civili jure multum habet, qui titulum habet, ex quo dominium acquirere poteſt, ita in Republ. quoque qui titulum habet, ſemper jus in illam Rempubl. prætendit. Hinc eſt quod Reges, licet amiſſis Regnis, non facilè tamen titulos omittere ſoleant.

Diximus §. 28. ad arcana referri oporte-

re interna quadam, ut ſunt complura, quæ fundamentum habent in opinione. Opinio autem alia eſt in ſcientiis, quæ falſum facit, ut ſi quis ſolem putat à Terra ſuperari magnitudine, quia ita ipſi videatur; alia in Ethica, quæ facit malum, ut ſi quis prodigus cum ſit, putet ſe liberalem; alia denique in Republ. quam hic ſimulacrum Imperii vocamus. Ejusmodi autem opiniones ſemper inter omnes gentes excitatæ, & inde eſt, quod pro Diis vivi habiti ſunt Magiſtratus, vel poſt mortem inter Deos relati aut conſecrati. Hæ autem opiniones optimè conſervantur, ſi vel minima adverſum eos commiſſa tanquam graviſſima puniantur; ſæpè enim ex minimis facto initio, maximarum rerum ſubvertuntur argumenta. Ideò Tiberius ægerrimè tulit, vel minima adverſum ſe vel Auguſtum committi. Unde Majeſtatis poſtulatus, qui ſtatuā Auguſti cum hortis vendiderat, quamvis tunc, ut inter initia, evaſit. Tac. *l.*1. *A. cap.* 73. Vid. Eund *l.*3.*A.c.* 36. Opiniones verò tales excitantur potisſimùm ex magnitudine rerum geſtarum in Magiſtratu; ſic ſervus ad interficiendum Marium miſſus, fugit, eo conſpecto, Majeſtate viri dicens ſe abſterritum. Val. Max. *l.*2. *c.* 10. §. 6.

Diximus §. 29. ſuæ ſententiæ collegas vel ſucceſſores aſciſcendos. Quæ Regula ſi obſervetur, duplex ex ea redundat utilitas 1. Perſo-

næ

næ in Magiſtratibus non mutari videbuntur, 2. qui hæc agit, imperat, etiamſi deſierit imperare. Atque hoc eſt, quod TAC Auguſtum pluribus munimentis dominationis dicit inſiſtere voluiſſe, dum Germanicum à Tiberio adoptandum curavit *l 1. A. cap* 3 §. 7.

Et hæc etiam de horum arcanorum naturâ, quantum ſatis: ſequuntur, quæ ſimulacra imperii diximus appellari.

Definitis §. 30. ſimulacris imperii diximus §. 31. ea conſtitui vel in inanibus vel in rebus. In inanibus, cum omnia ſe habere credunt illi, qui nihil niſi pompam rerum habent. Sic Tiberius reliquit poteſtatem ſenatoribus ſuffragia ferendi, quorum tamen revera nulla vis erat, nam ipſe Princeps in ſenatu præſens aderat. Aut ergo ante Principem erant dicturi ſenatores, & ſic metuebant, ne diſſentirent, aut poſt eum, & ſic aſſentiendi necesſitas imponebatur illis, quod rectè *Piſo* apud TAC. *l. 1. A. c. 74.* §. 6 animadvertit. In rebus quoque hæc ſimulacra conſtituta; nempe cum aliis res odioſas, aut in quibus parùm imperii concedimus. Ita à Tiberio relictæ plerûnque Prætoribus res nihili, & quas ille pro arbitrio ſuo invertere poterat, aut res odioſæ, quales ſunt diſſenſionum inter Proceres compoſitiones, quas ipſe componere nolebat, non ignarus, eas imprimis in rem eſſe ſuam. Nullæ enim artes in Republ. his ſimulacris ſunt fre-

quentiores, quæ veterem fabulam de Tantalo referre videntur. Ut hic aquas in aquis, & poma fugientia captat; ita per hæc ſimulacra inanibus imperiis circumfunduntur, qui nihil veri imperii habent. Sunt ergo hæc arcana quaſi umbra imperii, quæ ut plerunque corpore major eſſe ſolet; ita hæc ſimulacra plùs præ ſe imperii ferunt, quàm revera habent.

Definivimus §. penult. Arcana conſiliorum. Nimir. in Republ. ita fieri ſolet, ut conſilia & actiones Magiſtratuum ſubditis ingrata eſſe ſoleant, 1. propter ignorantiam veritatis, 2. propter ignorantiam publicæ utilitatis, 3. propter falsò perſuaſam iis majorem privatam utilitatem. Semper enim, ut Tac. ait, res privatæ publicis offecêre, & officient. Color itaque aliquis omnibus actionibus injici & ignorantiæ plebis ſcientia Magiſtratuum opponi debet. Exemplum horum arcanorum proponit Tac. *An.* 13. *c.* 31. Vectigal quoque, inquit, quintæ & viceſimæ venalium mancipiorum remiſſum, ſpecie magis quàm uſu (ita enim legendum, non vi) quia cum venditor pendere juberetur, in partem pretii emtoribus accreſcebat. Nimirum videbatur aliquid remisſum emtorum gratiâ, cum revera nihil eſſet conceſſum, nam venditor tantò cariùs mancipia vendebat.

CA-

CAPUT XVI.

De mutationibus ac everſionibus Rerumpublicarum, ac præcipuis cauſis.

§. I.

REbuspublicis conſtitutis ita, & domi, foriſque confirmatis, neque æternitatem quandam liceat polliceri. Reſtat igitur, ut libro primo imponat finem finis & exitus, qui ferè omnium imperiorum eſſe conſueverit. Equidem rerum omnium humanarum, æterna quadam lege, quæcunque optimâ licet ratione inſtituta, & confirmata, tandem aut mutantur, aut evertuntur, quod perinde in Rebuspublicis locum habet, quarum quædam aut mutationes aut everſiones ſunt.

§. 2. Mutationes Rerumpublicarum illas appellamus, cum vetus earum ſtatus, & forma, in ſtatum alium, formamque aliam convertitur. Everſiones illas vocamus, quibus fit, ut Reſpublica aliorum ſubjiciatur dominationi.

§.3. *Cauſæ mutationum* ſunt **vel in** Magiſtratibus, vel in ingeniis ſub**ditorũ**, *In Magiſtratibus*, cum illi vete**re Rei**publicæ forma tanquam pro aut**orita**te ſuâ minus faciente ita abutun**tur, ut** tandem planè novam, magis**que pro** autoritate ſua facientem ample**ctan**tur. *In ingeniis ſubditorum* cauſa **mu**tationis eſt, cum illi, pro innata ſibi ju**di**ciorum varietate, veterum per**tæſi,** nova, nõ tàm quia meliora, quà**m quia** nova, amplectuntur. Mutationes **ex** his cauſis natæ, efficiunt, ut præſentes Imperiorum formæ in proximas **&** cognatas commutentur. Ariſtocratia in Monarchiam, Democratia in **Ariſto**cratiam, & hæc denuò in id **Imperii,** quod populi appellamus.

§. 4 *Cauſæ everſionum*, diverſæ ſunt, quibus fit, ut aut alterius ſubeatur **do**minatio, aut ſummo dominationis **no**ſtræ juri plurimùm decedat (I.) Verò eſt abſtruſa quædam ratio providentiæ divinæ, ex cujus arbitrio & beneplacito

ſæpè

ſæpè incognitâ nobis ratione. aliis erepta Imperia in alios transferuntur, atque ſic fatales periodos, ſive circuitus Imperiorum PLATO appellavit. Eſt (II.) diſſolutio quædam partium, & diſſenſus animorum, quo aut inter ſe factionibus committuntur ſubditi, & membra Reipublicæ, aut ſubditi & Magiſtratus à ſe invicem divelluntur, quam partium diſſolutionem totius corporis diſſolutio ſequi ferè conſuevit. Quod & ſignificavit idem PLATO, mutatis numeris, mutatâque muſica, neceſſariò etiam Rempublicam everti, Muſicæ & numerorum nomine conſenſu publico intellecto, quam harmoniam alibi appellavit. Accedit & (III.) Vaſtitas Imperiorum. quæ, cum ambitio Imperantium terminos non habet, & quotidiè latiùs proferuntur, ſenſim imminui & everti tandem neceſſe eſt. Nam ſicut, qui ſemper progreditur, nunquam firmus conſiſtit: ita Principes & populi, qui ad occupanda quævis conſilia convertunt, nihil immotum, nihil æter-

num, pro Republica poſſunt polliceri, adeò ut hîc, vel imprimis ambitioſis votis ponenda ſit meta, ne Imperium pariter ac fortunam fatigemus. Sed & (IV.)inter cauſas mutationum meritò cenſuerim,ſupremum faſtigium publicæ felicitatis. Ad quod, ubi evecta ſunt Imperia, corruptos ſuorum mores, & per eos novercantem tandem & ſævientem fortunam experiuntur, pleriq; enim acceptæ fortunæ magnitudine abutuntur Quin verò & huc (V.) faciunt, leves & modicæ quarundam in Republica partium ſubinde inſtitutæ mutationes, ex quibus mutationes integrarum formarum, & ex his everſiones Imperiorum naſcuntur. Atque iſta veluti principia ſunt, ad quæ reliquæ omnes cauſæ particulares, quibus everti aut mutari Reſpublicas vidimus, nullo negotio poſſumus revocare.

EXPLANATIO.

Diximus §. 1. ut omnium rerum, ita rerumpubl. tandem eſſe mutationem & everſi-

verſionem. Quæ de everſionibus Rerump. tractatio imprimis utilis eſt & neceſſaria tàm propter præceptum, quia ſæpè hæ mutationes poſſunt præveniri, ubi cauſas earum didicimus; quàm exemplum, ut quilibet rerum humanarum inſtabilitatis moneri poſſit. Omnia n. lege naturæ etiam optimè conſtituta convertuntur. Cujus rei abſtruſam rationem reddidit PLATO, ubi bonum virtutis & bonum hominis contendit, dicitq; bonum hominis eſſe id, quod laudatur inter homines, bonum autem virtutis, per quod, qualis in ſe eſt, apparet virtus, cujus reſpectu bonum hominis malum videtur; atque inde apparet, quod licet aliquid optimè nobis in Rep. conſtitutum videatur, reſpectu tamen ſupremarum cauſarum corrigendum fit, ut illis probetur. Reſp. autem vel integram everſionem patiuntur, ut imperium Græcor. poſtquam ſub Turcas recidit; vel mutationem & particularem everſionem, quemadmodum Reſp. Rom. ſub poſterioribus Imperatoribus, quo tempore, ut quidam Poëta ait, vix vetus in veteri Roma relicta fuit.

Egimus §. 4. de cauſis Everſionum Rerump. quarum I. diximus eſſe abſtruſam quandam neceſſitatem providentiæ Divinæ, quam agnoſcere oportet, cùm ſæpe contra humanæ rationis dictamen Reſp. convertantur. Quis enim crediidiſſet Remp. Romanã, quæ omnes ſubditos habebat, vix hoſtem invenire poterat, in tantum

tum decrementum caſuram? Dicunt quidam ob vitia Magiſtratuum id accidiſſe, quod quidem verum eſt, ſed illis vitiis iidem obnoxii, qui eam occupârunt. Adjuncta igitur providentia Divina, quæ vel inde apparet, quod promota religione Chriſtiana Imperium Romanum deficiebat, fortaſſe quod Ethnicæ Religionis deliramenta, quæ tamen inter fundamenta illius Regiminis, ſubverſa fuiſſent. Quod ipſum metuiſſe Romanos, apparet vel ex Herode, qui adeò mortem Filii Dei concupiit. Intellexit hanc cauſam TACITUS dum ſæpiùs dicit ira Deûm in imperium Romanum; *l. 4. A. 1. §. 4. l. 16. A. c. 16. § 3.* & alio loco: non eſſe Diis curæ ſecuritatem noſtram, eſſe ultionem *l. 1. Hiſt. c. 3.* & VELLEJUS PATERCULUS ait *l. 2. c 57. & 118.* Dii, quorum fortunam mutare conſtituunt, conſilia corrumpunt. Apertè id quoq; DEUS de ſe ap. *Eſaiam* Prophetam *c. 43.* teſtatur. Memoratu hic dignum, quod in *Annal. Gallorum* refertur, nimir. cùm Galli Anglos expellerent ex Gallia, quidam ridendi cauſa quæſivit, quando iterum in Galliam reverſuri eſſent: tum Anglor. quidam reſpondiſſe fertur, tunc, cùm peccata veſtra noſtris majora futura. Probat id quoq; abſolutam in transferendis imperiis Dei poteſtatem, quod ex Septentrionalium gentium hiſtoriis conſtat. Nimirum quotieſcunque beneficia naturæ, quæ ſingulis hominibus illa pro-

pule-

tulerat, ſua facere principes, aut onera illis imponere voluiſſent, toties hæc ipſa in alium translata ſunt locum, quod de halecibus & oſtreis imprimis proditur.

2. Altera eſt diſſolutio quædam partium, quam totius ſolutio ſequi conſuevit. Atque id eſt, quod PLATO dixit, diſſolutis numeris & muſica Remp. diſſolvi, quæ ratio ejus dicendi ut abſtruſa, ita optima; Numeris ſane ejus nihil abſtruſius, ita ut jam veterum ævo numeri Platonis pro difficillima re proverbio fuerint uſurpati. Per quos numeros ego exiſtimo eum intellexiſſe, aut vera annorum ſpatia, aut Harmoniam animorum inter Magiſtratus & ſubditos, ſi vera ſpatia, certum eſt, quemadmodum corpora humana, ita imperia quoque, certis & ſtatis temporibus converti & ſubverti. Quales ſunt in hominibus Septenarius & duplicatus ſeptenarius, & reliqui Climacterici, quos mactatores veterum Virorum quidam dixit. Si concordiam inter Magiſtratus & ſubditos intellexerit, ut diſtractis ab invicem numeris ſumma minuitur, vel nulla redditur; ita diſſolutis Reip. partium ſtudiis Remp. ſolvi aut turbari ſaltem neceſſe eſt. Et quemadmodum ruptis aliquot chordis concentus Muſicus conſiſtere non poteſt; ita nec Reſp. illis ruptis, ex quibus conſtat; unde dictum, mutatâ muſica mutari Rempubl. niſi ad id PLATO reſpexit,

ſpexit, quod mutata muſica animi mutentur. Si v.g. primò quis gravi tono delectetur, pòſt v. laſcivo & levi, apparet eum mutatum eſſe: A mutatione v. animorũ & ingeniorũ ad futuram Reipubl. mutationem optima eſt argumentatio. Sic n. veteres ex minimis rebus de Rerump. everſionibus auguria ſumebant.

3. Tertia everſionis cauſa eſt nimia vaſtitas imperiorum; Faciliùs nimirũ humanæ manus rapiunt, quàm retinent. Quam in rem vid ap. CURT. *l.7.6.8.* egregiam Scythar. ad Alexandrum Orationem. Præterea, qui ubiq; eſt, nusquam eſt, quod facit contra illos, qui augendũ ſemper imperium docent. Sæpe n. accidit, ut qui omnia cupit, amittat ſæpiùs & illa, quæ habet. Pulcrè hanc in rem Scriptor quidam Italus, ut quò majus, inquit, foramen fit, eò plus ligno decedit, ita imperium, quò majus fit, eò minus redditur. Et iterum: ut funambuli latiorem plantam pedis habent, quàm viam, ideò facilè cadunt: ita Reſp. quæ modum excedunt, nec ſibi ipſis adæquatæ, facilimè è ſummo ruunt. Benè itaq; *Auguſtg l.1, A.* TAC. *c.11.§.8* ſupremo Teſtamento addiderat conſilium coercendi intra terminos imperii.

Aſſignavimus 4. loco & aliam cauſam, ſupremum videlicet felicitatis faſtigium, ad quod ubi evecta imperia, novercantem experiuntur fortunam. Suprema ſcil. felicitas aliquando cauſa eſt infelicitatis. Eſt n. circulus qui-

quidam rerum humanarum, quæ perpetuò mutantur in pejus aut melius. At v. quod in ſumma eſt felicitate, illi nihil ampliùs ad beatum ſtatum deeſt. Si mutari ergo debent, in pejus tantùm mutari poſſunt, idque eis evenit, quod illis, qui ad verticem montis pervenêre, qui ſi progredi velint, deſcendere debent.

5. Inſtituuntur quandoq; leves & modicæ rerum minimarum in Rep. mutationes, quas omnium totalem mutationem excipere tandem & ſubſequi ſeculorum omnium & multarum gentium experientia compertum eſt: adeò ut periculoſæ ſint in Republ. ſubinde rerum malarum in bonas converſiones, dum ex ejusmodi mutatione majora ſæpè mala oriuntur, quàm diſpelluntur. Quæ cauſa eſt ut ARIST. civilis ſapientiæ Dictator maxima ingenia ad regendam Rempubl. noluerit admoveri. Nam illi facilè vident, in quo peccetur, id autem in quo peccatur, volunt mutatum, mutationes verò leviſſimæ ad diſſolutionem Reipubl. ſunt comparatæ, adeò ut minima etiam cum ratione boni conjuncta mutatio tàm ſit damnoſa, ut præſentis Reipubl. ſtatus conſervandi cauſa ſæpè meliora ſint mala, quibus aſſuevimus, quàm bona quibus non aſſuevimus. Utile itaque præceptum eſt, nihil facilè in Republ. eſſe mutandum, quia omne publicum exemplum eſt fœcundum, & ſi quid in una re factum, in cæteris

ris exemplo agitur. Quod præceptum petitum ex præceptis Medicorum: HIPPOCRATES enim dicit, ſi corpora ægra malis & inſanis cibis aſſuefacta ſint, licet ex eo malum augeat, relinquenda ea potiùs eſſe in uſitatorum malorum uſu, quàm inuſitatis bonis & remediis oneranda.

LIBRI PRIMI FINIS.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De diverſis Rerumpublicarum formis, de Theocratia, ſeu Republica Hebræorum.

§. I.

POſcit jam rerum ordo, ut diverſas Rerumpublicarum formas inſpiciamus. Nam gentes, aut ſinguli Principes, aut pauci, aut populus, regunt. Inde *Monarchia*, in qua ſinguli: *Ariſtocratia*, in qua pauci: *Democratia*, in qua omnes præſunt.

§. 2. Quæ quidem omnis diverſitas formarum nata eſt ex diverſitate ingeniorum, quæ alia atque alia, diverſas inter gentes inveniuntur. Aliæ enim plus, aliæ minus libertatis ſub Imperantium dominatione retinendum ſibi putaverunt. In *Monarchia* minus libertatis eſt, quia unius: In

Ari-

Digitized by Google

Ariſtocratia plus libertatis eſt, quia plurium arbitrio omnia reguntur: In *Democratia* maximè omnium libertas eſt, dum in ea cuivis licet, ad conſervandam promovendamque libertatem, ſtudia ſua, ac curas conferre.

§. 3. *Monarchia & Ariſtocratia* omnium antiquiſſimæ & primæ fuiſſe meritò videntur. *Democratiam* verò ſeriùs progreſſu ſeculorum natam lubet judicare. Hanc enim primò vix alicujus gentis fuiſſe, ſed amore libertatis, aliis iſtis formis, alibi quaſi ſuccesſiſſe, ex eo veriſſimum mihi videtur, quod credibile non ſit, cum in conſtitutione Imperiorum primâ, ſumma quadam prudentia & autoritate eſſet opus hominum excellentiſſimorum, populum, aut eos, qui utique pares inter ſe erant, & idcircò minoris autoritatis, idoneam Imperii vim, inter Imperii inexpertes exſerere potuiſſe.

§. 4. Quæ autem regendi ratio & forma optima ſit, non tàm anxiè, ut fie-

ri

ri ſolet, perſerutandum putamus. Utique enim, ut generatim dicam, quod ſentio, ea optima cenſenda, quæ ad ingenia ſuorum & commoda maximè eſt comparata. Neque enim omnibus in tantâ morum, locorum, temporum diverſitate omnia conveniunt.

§. 5. Atque ita quidem gentium ſapientes tradiderunt, Græci præſertim, qui rationes inventarum legum & primas origines publicarum ſocietatum ſibi deberi gloriantur. Interim verò illi ignoravêre aliam quandam, & antiquitate temporum, & ſanctitate legum, primam Imperii formam extitiſſe, quam cum Joſepho Θεοκρατίαν appellamus. Eſt autem quaſi Imperium aut Reſpublica Dei. Atque hâc uſus eſt populus Hebræus.

§. 6. Quanquam enim ductores primò ſuos, Rectoresque Moſen, & Joſuam, divinos viros, dein Judices, tandem Reges habuerit, non tamen Monarchiam aut Ariſtocratiam in ea gente

licet

licet appellare. Nam in omnes illos & Rectores & Judices fuit Imperium Dei, qui, ut ubique eſt, & cœleſti majeſtate omnia implet, ita Hebræis ſingulari qnodam modo ſemper aſſedit, qui, ut regit omnia & ſuſtentat, ita inuſitata in aliis gentibus ratione tenuit Rempublicam Hebræorum. Ex hujus enim præſcripto Magiſtratus conſtituti, & conditæ leges, ex hujus oraculis publica conſilia ſunt petita, in hujus ſinu ſita erant arcana hujus Imperii, denique tot admirandis modis copiæ & vires ejus Reipublicæ verſabantur.

§. 7. Adeò ut inter divini, ejusque ſingularis limites mandati conſtricta fuerit omnis illa Hebræorum Imperantium poteſtas, nec novarum, ut alibi, legumlatores erant Hebræi Magiſtratus, ſed earum, quas cælitùs acceperant, cuſtodes. Hujus Reipublicæ ſpecimen alibi haud unquam exiſtit, & in Judæis in formam provinciæ redactis ſub Romanis, & ſub Tito Cæſare penitùs ever-

Digitized by Google

everſis ac ejectis, tandem omninò defecit.

EXPLANATIO.

Diximus §. 1. tres eſſe formas rerumpubl. eamque formarum diverſitatem natam partim ex diverſitate ingeniorum in ſubditis §. 2. quæ diverſitas apparet vel inde, quod Ebræi ex Judicibus Reges petivêre, petito argumento, quod vicinæ gentes Regibus parerent, & ſic ſanè orientales nationes regio imperio gubernatæ, unde *Civilis* apud TAC. vocat ſuetum Regibus orientem *l. 4. H. c. 17.* §. 7. 2. à diverſis occupationibus imperiorum. Occuparunt enim vel unus vel plures, etſi potentes adeò eſſent, ut occupatum retinerent, imperium ad poſteros transmiſêre.

Diximus §. 3. Monarchiam & Ariſtocratiam eſſe antiquisſimas. Democratiam autem poſt eas inſtitutam. Monarchia ſanè eſt antiquisſima. Ex capitibus enim ingentium familiarum prima regna exorta, quæ capita Monarchici imperii erant. Unde ARIST. confert Monarchiam cum imperio Patris in filios. Poſtea autem cum familiæ ſingulæ non ſufficerent ſibi ipſis, plures in unum convenêre, & ſic plura quoque capita familiarum convenerunt, unde exorta Ariſtocratia. Cùm autem ab his capitibus reliqui premerentur, vindicarunt ſe in libertatem, vel ſublatis, vel mortuis

P capi-

capitibus, cum omnes ſe pares exiſtimarent, & Democraticum tandem conſtituere imperium.

Diximus §. 4 optimam eam formam eſſe, quæ optimè ad ſuorum ingenia accommodata eſt & comparata. Præferunt quidam reliquis Monarchiam, quod tamen contra ipſius Dei faciunt ſententiam, qui cùm Regem Hebræi ſibi dari poſtularent, juſſit Samuelem incommoda Regii imperii illis proponere, 1. SAM. 8. *v. 11.* & notat MAIMONIDES loco pœnæ Ebræis primum Regem Saulum adeò malum datum. Quin imò in eodem ſtatu aliquando eſt omnium quaſi formarum colluvies & ſpecies, per quam fit, ut aliquid Principis, aliquid optimatum, aliquid populi inter eosdem eſſe videatur, quas *Reſp. mixtas* Politici ſolent appellare. Ego, ut plerasque Reſp confuſi plerumque eſſe imperii ſcio, ita ab eo ordine, qui autoritate præ cæteris excellit ſtatibus, deſumendam imperiorum denominationem judico. Sunt enim quædam confuſa imperia, qualia nunc pleraque, quæ optima ſunt, quamdiu abeſt partium odium & ſimultates. Si enim durabilis ſtatus ille ſit, qui ab omnibus amatur partibus; & amari non poſſit, niſi iisdem ad partem imperii admiſſis, optima cenſenda ejusmodi mixta imperia, in quibus nulla pars negligitur. Cavendum tamen, ne ſimultates inter partes oriantur. Exitium enim Reip, ſtruitur, ubi inter

ter habentes partes Majeſtatis diſcordiæ oriuntur. *Mixti* tamen *imperii* nomen mihi non placet, quia nihil tam mixtum eſt, in quo non aliquid excellat, à quo totum denominandum cenſeo.

Definivimus poſtea §. 5. & 6. Theocratiam & diximus ſolum populum Hebræorum eâ uſum. Græci quidem ſibi ſolis inventa pulcrarum rerum deberi volebant, præſertim inſtitutionum Rerump. Unde TAC. dicit: Solonis & Lycurgi leges antiquitùs jam æſtimatas, *l.* 3. *A. c.* 26. §. 4. ſed fuit ante hæc Hebræorum Reſp. antiquior & longè diverſa reſpectu Autoris, quia à Deo immediatè conſtituta; reſpectu legum, quæ & ſanctiores & à DEO, non in comitiis latæ. Reſpectu loci, quia Deus peculiarem indidit loco Majeſtatem: Hinc arx Dei Hieroſolyma dicitur; Hinc aliæ terræ Judæis profanæ & ſine Deo creditæ, unde *Pſal.* 137. ℣. 4. dicit DAVID: Quomodo cantabimus canticum Jehovæ in terrâ alienigenarum. Hinc & Judæi populus Jehovæ appellantur, non tantùm propter promisſionem fœderis & vitæ æternæ, ſed etiam propter regimen, quod ſibi ſoli DEUS ſuper populum illum vendicabat. Huc faciunt Urim & Thumim, columna nubis & ignis, & arca fœderis. Hanc porrò diverſitatem Judæorum à cœteris gentibus notat TAC. *Hiſtor.* 5. Profana illis omnia, inquit, quæ apud nos ſacra. Rurſum conceſſa apud illos

quæ nobis inceſta *c.* 4. Licet multa ſint eo loco falsò à TAC. dicta; unde TERTULLIANUS dixit: Eum loquaciſſimum mendaciorum ſcriptorem, quod immeritò quidam ad omnia Taciti trahunt, ſed ipſi Judæi ex parte in cauſa hujus rei ſunt. Contemnebant n. cæteras gentes,& omnia ſua coram illis occultabant. Unde JUVENAL. ait *Sat.* 14. *v.*102.

Tradit & arcano quodcunque volumine Moſes.

Hinc illa inter gentes rerum Hebraicarum inſcitia.

Diximus §. ult. defeciſſe tandem hanc Hebræorum remp. quod ante multos annos à Jacobo Patriarcha prædictum eſt, *Gen.* 49. *v.* 10. interituram nimirum, poſtquam Meſſias natus fuiſſet. Natum autem eſſe,vel ex eo apparet, quod naſci debuerit in Bethlehem: at verò Bethlehemi ne veſtigia quidem extare ipſe Maimonides Rabbi teſtatur. Itaq; etiam Judæa in Provinciam Romanorum redacta, quod apparet 1. ex deſcriptione Judææ facta ſub Auguſto 2. teſtatur TAC. *l.* 5. *H. c.* 12. §. 3. multa pecunia Judæos obtinuiſſe à Romanis poteſtatem muniendi Hieroſolymam. Ex quo apertum eſt,eam eodem jure cum cœteris municipiis fuiſſe, quorum muros erigere aut corrigere ſine Principis mandato & Privilegio non licebat *l.* 9. §. 4. *de rerum diviſ. & Qualit.* Nec potuêre unquam Judæi, imò ne quidem conati

ſunt

ſunt ſuam reſtituere Remp. magno iræ Dei indicio, cum reliquæ gentes deſtructa ſua imperia miſſis coloniis, rebellionibus, viribus junctis cum privatis, reſtaurare ſæpè conatæ ſint.

CAPUT II.

De Monarchia, de Principatu ac Dominatu, de Electione, atque ſucceſſione.

§. I.

MOnarchia Reſpublica eſt, in qua uni alicui & ſoli ſuprema & præcipua Imperii cura eſt demandata, cui ex eo Regis aut Principis eſt cognomentum. Eſtq; illa & antiquisſima, & facillima, & ſi rectè habeatur, tutisſima imperandi ratio. *Antiquisſima*, quia primi omnium gentium Magiſtratus Reges extitêre. Nam ad continendam in obſequio multitudinem, autoritate ſumma opus erat, quæ in uno, quàm pluribus validior eſt, & magis ſpectatur. *Facillima*, quia minimæ & nullæ diſſenſiones, ubi ab uno Imperium exercetur,

quæ in plurimorum Imperio graviores & plures ſolent excitari. Unius quippe & ſemper ſimili ſibi ingenio, faciliùs, quàm diverſis plurium ingeniis ſubditi accommodantur. *Tutiſſima* denique eſt, quia pravæ ſpes aliorum ac deſtinationes in occupandis Imperiis, ubi uniꝰ, vel unius domus imperium eſt, meliùs præciduntur. Nam ubi inter plures diſtributus eſt honos Imperii, & plures adminiſtrandi Imperii ſunt capaces, ut in Ariſtocratia & Democratia, è pluribus perſæpè illud affectatur.

§.2. Cæterum non eadem omnis Monarchici Imperii vis eſt aut ratio, nã aut Principatus eſt, aut Dominatus. Principatum vocamus, ubi ita uni permiſſum eſt Imperium, ut pluribus pro libertate repertis inſtitutis ac legibus adſtringatur, adeò ut Principatus & libertas ſub malis Principibus diſſociabiles. (TAC. Agr. c. 3.) hic optimè conjungantur. Dominatũ vocamus, ita uni permiſſam, aut ab uno occupatam imperandi rationem

onem, ut pro libidine omnia posſit adminiſtrare; adeò ut unius arbitrio libertas ſubditorum ſic conſtringatur.

§. 3. Principatus forma ferè eſt, ubi conſenſu & electione populi ad ſummam rerum Principes ſunt vocati. Dominatus ferè eſt, ubi Imperia facta ſunt occupantium, & inter eas gentes, quæ vi ac terrore ad obſequium ſunt compulſæ, quem tamen, cũ in atrocisſimam tyrannidem deflecteret, pleræque gentes exuerunt: ita quidem, ut hodiè Dominatus, ſi Turcas, Moſchos, & alios paucos eximas, alibi vix ſit inveniri. Dominatus enim plerisque inviſus eſt, & gratà eſt cordato populo ea adminiſtrandi forma, quam Principatum appellamus. Principes enim omnia ſubditorum Imperio posſident, non Dominio. Dominus autem non Imperio tantùm, ſed etiã Dominio posſidere ſe exiſtimat, non fortunas ſaltem, ſed vitas etiam ac ſanguiné ſubditorum, adeò ut ſub Principe obſequium cum libertate.

Digitized by Google

ſub domino obſequium cum ſervitute ſit conjunctum.

§. 4. Porrò eliguntur Principes,aut ſuccedunt. *Electio* in ſuffragio Procerum aut populi verſatur:*Succesſio* autem eſt, quando quis jure naſcendi eum excipit in imperio, ex quo natus eſt, aut quem ſanguinis propinquitate proximè contingit.

§. 5. Quæ verò major ac laudabilior ſit, ſuccesſio, an electio, inter dubia rationum momenta multis diſceptatur, & pro utraque gravisſima quidem ſunt argumenta. Nam in Electione plus disſidii eſt, ſed & plus libertatis. In ſuccesſione verò nihil quidem disſidii,ſed & nihil libertatis. Prætereà judicia,ut ſic dixerim, naturæ, ut aliquando recta,ita ſæpe cęca ſunt,dum ex optimis Principibus aliquando pesſimi naſcuntur: Judicia hominum certa magis ſunt,ſed & hæc ſæpè fallunt ac falluntur,dum haud rarò illi eliguntur, qui Imperio jam impoſiti, indigni Imperio

perio & impares deprehenduntur. Pro utraque igitur, ut compendio dicam, & contra utramque militat ratio, itaque in hac aut illa ſervandum eſſe patrium inſtitutum arbitror.

§. *6.* Benè verò electus eſt Princeps, qui, niſi electus, naſci debuiſſet: Benè natus eſt, qui, niſi natus eſſet, eligi debuiſſet.

§. 7. Cùm verò nunquam vacuum eſſe debeat Imperii nomen, aut caput, ne fiat occupantium, aut adhuc ſuperſtite, aut ſtatim defuncto Principe, eligi ſucceſſor debet ea in Republica, in quâ electionis jure hæc omnia tranſiguntur.

§. 8. Ad illa tollenda disſidia, & malè feriatorum hominum ac ambitioſorum machinationes, plurimùm facit, vota electionis intra eandem familiam continere, ſi in eâ ſemper digni Imperio inveniantur. Sicuti enim periculoſi tranſitus rerum, nec minus diſcriminis habent mutationes

familiarum, ex quibus Principes eliguntur.

§. 9. Sed omni interim modo providendum eſt, ne ex eo diſcrimen oboriatur libertatis. Ex eadem enim ſemper familia electi ac domo, aſſiduo Imperii uſu, jure ſucceſſionis tandem deberi ſibi putant, quod tantùm electionis jure conſequuntur.

§. 10. Ubi verò jus ſucceſſionis habet locum, nec proximi ſanguine ſuperſunt, qui ſuccedant, defectus ille naturæ teſtamenti factione, ſcripto hærede, aut etiam adoptione, ſicut inter veteres Romanos receptum erat, poteſt ſuppleri. Eſt enim adoptio imitatio naturæ, quo, aliis in liberos pro liberis aſſumtis, vitium orbitatis ſuperamus.

§. 11. Hujus aut teſtamenti factionis, aut adoptionis, & certa & tempeſtiva cura facit, ut qui in præſens rerum potiuntur, quietius Imperium ad poſteros tranſmittant. Tempeſtiva cura eſt, cùm

cùm humanæ fragilitatem vitæ, & feſtinatos cogitantes fore fati caſus, de hærede & ſucceſſore cõtinuò tàm certi ſumus, quàm incerti ſumus diutiùs nos victuros. Certa cura hîc eſt, qua ita, ac tam ritè, ac apertis adeò verbis deſcribimus hæredem, ut de hærede inſtituto, poſt noſtrum exceſſum, nullæ agitari turbæ poſſint, ac diſſenſiones.

§. 12. Ne autem facilè deeſſent principalis ſanguinis poſteri & ſucceſſores (tranſitus enim iſti cum metu ſemper aliquo ſunt conjuncti) quædam olim gentes, & noſtrorum temporum nonnullæ, jure ſuscesſionis ſequiorem etiam fœminarum ſexum ad ſceptra admisêre. Quanquam enim populorum omnium, ab omni retrò ætate, judicio, fœminæ, ob inopiam judicii, ob imbecillitatem & ignaviam ſexus, non â publicarum modò, ſed etiam civili jure, è privatarum quarundam rerum adminiſtratione meritò excludantur, quietis ta-

men & ſecuritatis publicæ intereſſe populis viſum eſt quibusdam, ut maſculo ſexu deficiente, ad intercipiendas aliorum ſpes, & ſpe maſculæ prolis ſuſcipiendæ, & ne facilè Principatus in alias familias, inter plurimas poſtpoſitorum turbas migrarent, imperia ad fœminas quoque devolverentur.

EXPLANATIO.

DEfinivimus hujus cap. §. 1. Monarchiam, quæ nihil aliud eſt, quam Regia imperandi ratio. Sciendum autem, varias Regum ſpecies eſſe, quarum fit mentio apud Antiquos. Quædam enim non tàm totius Reipubl. curam, quam bellorum tantùm adminiſtrationem ſibi habebant commiſſam. Tales erant Lacedæmoniorum Reges, qui omnem ſuam authoritatem in bello tantùm exercebant, quod prudenter & pro libertate inſtitutum. Alia enim belli, alia pacis eſt conditio. Nam in pace diuturnis & multis conſiliis, aut conſtitutis jam legibus de rebus poteſt diſponi; in bello autem ſubinde inopinata quædam exoriuntur, quæ præſenti Imperatoris authoritate decidi debent. Eadem ferè ratio fuit Dictatoris, qui nullas leges, dum in caſtris erat, agnoſcebat. Quidam etiam Reges fuêre, quibus barbaræ ple-

plerunque gentes parebant, qui nullis legibus adſtricti omnia pro arbitrio diſponebant, qualis etiam eſt hodiè Imperator Turcarum. Differunt interim tales reges à Tyrannis. Tyranni enim imperant contra leges: at ejusmodi imperia admittunt leges. Tyranni etiam invitis imperant; hi Reges vero volentibus, ex quo reſpectu Ariſtoteles ejusmodi Reges dixit eſſe ſecuros. Quidam etiam Reges fuêre, qui patrimonio tantùm ſuo & peculio imperarunt, quales plerique in Græcia ſub Trojanorum tempora. Quidam denique Reges fuerunt, & nunc ſunt, qui conſenſu populi electi vel jure ſucceſſionis imperium adepti certis legibus adſtrictam habent poteſtatem. Horum initio non lata fuêre imperia, ſed ſucceſſu temporis illa dilatavêre parvis aliis regulis ſubactis, & Regiis nominibus Marchionatus, Comitatus nomine cumulatis.

Diximus § 2. non eandem eſſe omnis imperii rationem, & diſtinximus inter Principatum & Dominatum. Dominatus olim ferè extitêre, dum imperia vi occupantes Reſpub. conſtituerent, cui nullam ſibi ponebant legem: mox ex iis facti ſunt principatus, dum abutentibus imperio, qui occupaverant, ſubditi exuerent obſequium. Sunt tamen & nunc quædam gentes, in quas Dominatus exercetur, ut Turcæ, Moſchi, Perſæ, quæ ita ſunt à natura comparatæ, ut modeſtè Dominatum ferant

Digitized by Google

& ita tanta eſt principum illorum potentia, ut ſubditi reſiſtere aut vindicare ſe in libertatem non velint aut poſſint.

Peſſimum autem in Dominatu eſt, juxta §.3. quod Princeps non tantùm imperio, ſed & dominio omnia poſſideat quod manifeſtum eſt in Hiſpanis, qui in Belgio omnibus in rebus arbitrio ſuo tanquam abſolutam in eas gentes haberent poteſtatem, utebantur; Hinc agros & fundos omnes ſuos faciebant, & in ſimilitudinem emphyteuticorum locabant. Eodem modo Romani egerunt in Provinciis, inde agri provinciae militibus tributi, inde illi non fixum rerum ſuarum dominiũ, ſed poſſesſionem tantùm habere dicuntur. Atque inde imprimis inviſus ſemper fuit Dominatus. Domitianus maximum exinde odium contraxit, quod ſe Dominum & Deum vocari curavit, quanquam poſtea adulatione optimis quoque Principibus iidem tituli tributi. Quàm verò inviſus Romanis fuerit Dominatus, apparet ex eo, quod Reges toleraverint, quàm diu tanquam Principes ſe gerebant: at ubi Dominatum invexit Tarquinius ſuperbus, confeſtim Regium imperium mutaverunt.

Diximus §.7 ubi Electio obtinet, ſuperſtite adhuc altero, aut ſtatim à morte eſſe peragendam Quod intelligunt Galli, qui ſemper duos Reges habent, ſuperſtitem & defunctum, qui non priùs terræ mandatur, quàm alter

alter moriatur, ne aliquo ſumma Majeſtas tempore vacet. Quanquam enim cadaveris nomen vacuum ſit, conferre tamen aliquid ob venerationem Regii nominis ad refrænandam aliorum ambitionem poteſt.

Intra eandem familiam Electionem optimè contineri diximus §. 8. quod tamen in utramque partem diſceptatur: nam ſæpè mutari familiam facit pro libertate, facit enim, ne nimium una familia inclareſcat, & cœteris aditum ad principatum præcludat. Hujus inſtituti ſunt Veneti, qui non ſemper ex eadem familia Duces ſumere ſolent; imò pôſt mille & trecentos annos vix duos aut tres ex eadem familia Duces hanc Rempubl habuiſſe comperias. Contra verò ſi in eadem familia perſeveretur, facilius princeps & ſine diſcrimine eligitur, quod inſtitutum potius Hollandis probatur, & nobis, ſi modo proſpiciatur, ne inde periculum incumbat libertati.

Si familiæ deficiant, adoptione poſſe ſuppleri diximus §. 10. quod obſervavit Auguſtus & pleriqueCæſares, cujus prima cura fuit, ut pluribus munimentis inſiſteret, ap. TAC. *l. A. c. 7. §. 3.* Malè contra Alexander M. qui cùm nullum relinqueret hæredem, nullum etiam adoptavit. Prudentisſimè verò Eliſabetha Angliæ Regina, quæ cùm ſine prole decederet, & videret, ob controverſa ſucceſſionis jura, regna An-

Angliæ & Scotiæ eſſe committenda, Jacobum VI. Scotiæ Regem in hæredem adoptavit.

Diximus §.ult. quasdam gentes jure ſucceſſionis ad imperium fœminas admiſiſſe. Ap. Britannos veteres id uſitatum fuiſſe teſtatur TAC. *in Agr. c.16* Voadicâ generis Regii fœminâ duce (neque enim ſexum in imperiis diſcernunt) ſumsêre bellum. Quod inter Britannos hac quoque tempeſtate obtinet, idque ob ſecuritatem publicam. Cum enim ſubinde ſolæ fœminæ remanerent è familiis, familiæ eſſent mutandæ, quod ſine motibus vix peragitur. Sic in Luſitanorum regno, deficiente familiâ, tot turbæ excitatæ, donec Hiſpanus regnum ſub ſe redigeret. Galli tamen ex legis Salicæ conſtitutione imperium ad colum devolvi non debere ajunt.

CAPUT III.

De Monarchici ſtatus arcanis, ſive interioribus conſiliis.

§. I.

QUemadmodum diverſis gentibus diverſæ placent ſpecies Rerumpublicarum, ita diverſis ſpeciebus diverſa ſunt arcana. Sunt autem non niſi interiora conſilia ad præſentis ſtatus Reipublicæ conſervationem, ad præ-

venien-

Digitized by Google

veniendas, profligandasque mutationes, quæ ex mobilitate populi, ambitioſorumque conatibus facilè naſcuntur, propriè comparata.

§. 2. Horum in Monarchia tantò major eſt ratio, & accuratior habenda, quantò majus eſt illud imperium, ideoque populo inviſius, & eandem magnitudinem affectantium immodicis deſideriis magis expoſitum, itaque, ut cum TACITO hic *Annal.4.cap.33.*§.2.loquar: Quemadmodum plebe valida, vel cùm patres pollerent, noſcenda eſt vulgi natura, & quibus modis temperanter habeatur, ſenatusque & optimatum ingenia qui perdidicerunt, callidi temporũ creduntur: ſic ubi non niſi unus imperitat, hæc conquiri tradiq; debent.

§. 3. Ab Arnoldo Clapmario, egregio ſanè autore pleraque eorum expoſita ſunt, vulgato *de arcanis* opere, ſed interim haud pauca & neceſſaria viſus eſt præteriiſſe, quæ nos non in

Digitized by Google

in comparationem curæ & ingenii, ſed explendi hujus argumenti cauſa, compendio, ut cætera hactenus, perſtringemus.

1. In id incumbendum eſt Principi, *ut juſto, eoque à populo aut Proceribus confirmato titulo teneat Principatum,* quo nemo inter ſubditos, aut exteros ſit, qui majore aut juſtiore titulo vim rerum invadere poſſit, aut ſibi arrogare. Eſt autem eo titulo, & publico conſenſu imprimis opus in tranſitu rerum & familiarum, nimirum ubi diverſa antea Reipublicæ forma, in Monarchiam mutatur, aut movetur loco, qui hactenus geſſit Principatum, aut denique regnatrix domus convertitur. Sic enim fit, ut irriti reddantur aliorum conatus, & æquisſimas populus judicet, & probandas omnes, ex juſto adeò titulo profectas, Principis in adminiſtrando Imperio leges & actiones.

2. Neque minus laboret, *ut more majorum*, quantum quidem licebit,

Digitized by Google

bit, iisdem omnibus, quibus priorum Principum, ſolemnibus ac ritibus *inauguratio peragatur*, quò non juſtus tantùm titulus ſit accepti Imperii, ſed etiam modus. Nam meliorum omnium gentium judicio, hoc quoque pertinet ad legitimas rationes indipiſcendi Principatus, & hac ratione judicium ſuum populus ac proceres quaſi obſignāt, & cum in ſolemnibus aliquid religionis ſit, ſanctior redditur Principis perſona, & aliquid horum neglectum nonnullis Principibus, ut illegitimis, nonnunquam legimus objectum.

3. Sub accurata cuſtodia habeat, *ut ibi occupet, ubi non poſſunt nocere, eos, quos ex certo judicio metuit*, hoc aut iſto titulo inducto, ad invadendum Imperium aliquid auſuros. Sic enim futurum eſt, ut nocere non poſſint, etiamſi velint. Ante omnia autem id curandū, ne ad exteros aut vicinos Principes transgreſſi, horumq; vi ſuſtentati, foris accipiant, quibus impugnent Principatum.

4. Ita

4. Ita faſtigio impoſitus, & adverſum ſui imprimis ſanguinis rivales confirmatus, *acta priorum Principum quæcunque licet, juſſa & decreta ſeverè ac ſanctè tueatur*, neque facilè ex iis aliquid convellat. Tanti enim quisque Principum ſit, quanti ipſe eos facit, quibus ſuccedit.

5. *Quibus obſervandis legibus ſe obſtrinxit, ſi religiosè obſervet*, maximè ſe & Principatum eſt confirmaturus. Aliàs enim, quantum juratis à ſe legibus detrahet, tantum, pro obſequio, odii, ubi occaſio tulerit, exercendi, ſubditi ſuperaddituri ſunt.

6. Summâ, ubi juſtè id licet, *pœnæ ſeveritate eos omnes proſequatur, qui Majeſtatem in præcedenti Principe*, cujus jam implet locum, *læſiſſe deprehendentur*, quicquid enim tale non punit, aliis itidem, velut licitũ, in ſe permittit.

7. *Nullum pœnæ aut contemtûs* aut minùs æſtimatæ Majeſtatis *exemplum ipſe ſtatuat in eum, qui eandem*

gerit

Digitized by Google

gerit perſonam, paremque in ſuos auctoritatem alibi accepit. Tanti enim ſit inter ſuos Princeps & alios, quanti poteſtate ſimiles ſibi aliarum gentium Principes facit.

8. *Haud facilè aut cum iis fœdus ineat*, aut iis auxilio ſit populis, *qui Principes ſuos Imperio exuêre.* Quàm enim ſubditis inviſi ſunt Principes, tàm facilè adverſum ſuos ſequentur exemplum à ſuis Principibus probatæ promotæque defectionis.

9. Fixum & immotum eidem ſit, *non facilè omittere ſedem imperii*, ſeu caput rerum, hoc eſt urbem eam, ſive ditionem, unde in omnia regimen eſt. (TAC. *l. 1. A. c. 47. & 3. A. c. 47.*) Abſentiâ enim Principis, & vacua Imperii ſede, conjurati ad invadendum imperium ferè abutuntur.

10. *Neque longè, neque in remotis terrarum oris arma ſua peregrinari patiatur.* Ab his enim defectus & nudatus, domi ſe tueri non poteſt, contra eorum

eorum inſidias, qui ambiunt Principatum.

11. Idcircò & intra *terminos coërceat Imperium*, neque alia aut plura appetat, quàm quæ commodè poſſit continere, qui enim ubique cupit dominari, neque ob ſparſas, diſtractasque res ubique par eſſe poteſt continendæ dominationi, ſe proſtituit, & Principatum, ut impar & infirmus.

12. *Certas condat*, aut conſenſu publico condendas aut confirmandas *leges* curet, quibus definiatur certus locus, certusque ſolemnis modus, in quo, & quo ſolo Principes posſint inaugurari, iſtiusque ipſe loci, ut &, ſi quæ ſint ſolemnium ornamentorum, præcipuam curam habeat. Ita enim fiet, ut alibi aut alio modo à conjuratis ſalutato Principi aliquid deſit eorum, quæ ad legitimi Principis inaugarationem ex inſtitituto ac lege neceſſariò requiruntur.

13. *Regale corpus, regalemque aulam, idonea cuſtodia militari diligenter*

ter muniat, eorumque cuſtodum amorem in ſe, conſtantiam ac fidem, quavis ratione, promereri ac conſervare contendat. Quanquam enim maximum, ut loquitur PLINIUS *Panegyr. c. 49. §. 3.* munimentum Principis ſit, munimento non egere, eaque arx ſit inacceſſa Principalis ſecuritatis, interim non ſatis tuta Majeſtas, ſine viribus, contra inſidias maleferiatorū; præſertim ubi armis quæſitus eſt principatus.

14. *Hæredem & ſucceſſorem certum deſignet, neq;* interim ſe vivo *hæredis* faciat apud alios, aut *fieri patiatur mentionem*, imprimis ſi à liberis deſtitutus, ipſe in alios transferre neceſſe habeat Principatum. *Solem enim occidentem deſerunt plerique, & in orientem convertuntur.* Sed & qui cognoſcunt hæredes ſe deſignatos, à propria ſeu aliena ambitione impulſi, malunt plerumq; Imperiū habere, quàm expectare.

15. *Liberos, & proximos ſibi ſanguine, eosq; fideliſſimos*, ſuæ proximis, id eſt,

eſt, *maximis dignitatibus imponat*, ſic enim & tutior erit fide ac dignitate ſuorum, & ſuo ſanguini vi præcipua rerum permiſſa, plurimis inſiſtet munimentis.

16. Si à quorundam nimis eminentibus & plus quàm civilia promittentibus virtutibus, fama & gratia inter milites, aut inter cives domi ſibi metuat, *militares* eorum *dignitates togatis, & togatas militaribus commutet*. Hac enim ratione nimia in eos populi, aut militum ſtudia, adverſus principem, iis non facilè ſunt profutura.

17. *Nemo præter Principem rei præclarè geſtæ gloriam in ſe trahat*, caveatque imprimis, ne quis laudationibus privatis & publicis ſupra Principem celebretur, quamvis optimè meritus. Namque ejus præcipuè gloria eſſe debet, ex recto aliorum miniſterio, cujus ſunt auſpicia. Sunt autem Principis ſolius, & aliter ſi fiat, quantum in alios convertitur, tantum obſequio, timori

&

& venerationi ſubditorum in Principem decedit.

§. 18. *Quæſitisſimos publicos honores*, ſupplicationes, & vota publica pro incolumitate, quæque alia ejus generis ſunt; *haud unquam cum aliis, quantumvis ſumma virtute viris, patiatur communicari.* Quàm enim Majeſtatem ſupra cæteros extollit, tàm honorum & publicorum judiciorum quædam debent eſſe inſignia, quibus in ſolum Principem collatis, quivis intelligat eum ſupra eminentiſſimos quoque eminere.

§. 19. *Præmia decernere, militum* ſtipendia augere, & civium commoda, publicam liberalitatem exercere, dignitates conferre, *& alia iſtiusmodi, quæ gratiæ ſunt, & quibus gratia militum ac civium captatur, ſoli vendicet ſibi ac ſervet.* Præcipua quippe vis Principis eſt in amore ſubditorum, itaque ſolius Principis eſt, in manu habere ſua ejus promovendi inſtrumenta.

20. *Earum ditionum, ex quibus vis*

dependet, ac ſalus totius Imperii, *præfecturis potius imponat eos, qui privatim minoris potentiæ, quam qui majoris ſunt.* Magnitudo enim fortunæ privatæ, aucta magnitudine publicæ dignitatis, ſi quis malè uti velit, in præſentiſſimum diſcrimen adducit Principem & Principatum.

21. *Anxiè imprimis ad eos attendat, quorum privatæ opes & potentia* præſertim multis cognatorum & affinitatum munimentis innixæ, *privatum*, ut TACIT. *l.14 A.c.52. §. 2. & l.2. H.c.5. §. 2.* loquitur, *modum ſunt egreſſæ*, non quò eos deprimat, & quæ ipſorum ſunt, eripiat ipſis, vel accidat, (quod non Principum eſt, ſed Tyrannorum, & recta conſilia ſtabiliendæ dominationis, non flagitia inculcamus hîc) ſed ut cautè negotiis occaſiones, quibus ſi malè forſan velint, non tamen poſſint in Principem inſurgere, aut aſſurgere ad Principatum. Hactenus enim, id eſt, intra hos prudentiæ limites ſuſpectum

eſſe

eſſe Principi id omne debet, quod privata potentia publicè aliquando poſſit nocere.

22. *Obviam comitatem, promtos aditus*, patentes ſemper aures civium querelis, & ejusmodi alia, quæ humanitatis ſunt, *imprimis neceſſarias Principis virtutes atque artes arbitretur.* Quanquam enim omnium Magiſtratuum illa eſſe debeant, in unius tamen quàm plurium Imperio majori cum diſcrimine negliguntur. Ubi enim plures præſunt, nec æquè difficilis omnes ſunt ingenii, unius atque alterius inhumanitatem alterius facilitate licet ſupplere. Ubi verò uni tantùm ſumma rerum eſt mandata, ab unius iſtius aſperitate recurrere non licet ſubditis, niſi ad ejusdem odium & cupidinem ultionis ac mutationis. Sed & tantò plus ſubditi permittunt Principis Majeſtati, quantò in ea experiuntur plus eſſe humanitatis.

23. *Neminem unum*, cujuscunque

conditionis ſit, *ita attollat &*
per eum ſolum aulæ & Princip
tia cæteros omnes potiri patiat
lis enim, manente penes Prir
nomine, vim Imperii habet,
Principem colitur, & ſic facilè
pi inſidiatur.

24. Cùm, ut apud TAC.
c. 69. Tiberius loquitur, Princ
poſſit ſuâ ſcientiâ cuncta cor
ſapienti hominum conſilio ita
ut *ſuam demum ſententiam p*
rum auditam promat, atq; quid
beat, cum multis tractet, quid
ἐturus ſit, cum paucis, quibuscun
rit, aut ſecum conſtituat. Illud
non obſervetur, non tàm conſil
rüntur Principi, quàm adulati
hoc, ſecretum non manebit, q
cut plurima talia ſunt, ſciri hau
niſi cùm eſt peractum.

25. *Inter prima autem*
primasque deliberationes, *ea ſi*
bus ſemetipſum idonea induat

tate. Pernicioſi enim ordinis res eſt, ſi negocia Imperii curare aggrediatur Princeps nutantis adhuc autoritatis, & nondum ſatis ipſe confirmatus, adeò ut huc retulerim illud prudentiſſimi ſenatoris, qui ad novum Principem de componendis religionis disſidiis agitantem reſcribit: de ſceptro primùm, mox de templo ſolicitum eſſe Principem oportere.

26. Interim *nulla unquam conſilia amplectatur, quæ totius, aut pleræque multitudinis judicio ingrata ſint ac adverſa.* Cùm enim, quanquam unus & ſolus Princeps major omnibus ſubditis eſſe debeat, nec major eſſe poſſit, ni omnium aut plerorumque amore fruatur, manifeſtum eſt, unum illum nullum eſſe & invalidum, ſi omnium aut plerorumque odio ſit expoſitus, & ſi multitudinem ſuam cæperint numerare.

27. *Neque unquam ea contumacia ſe opponat deſideriis ſubditorum, ut ipſi*

arma corripere, & ipſe cum armatis tandem tranſigere habeat neceſſe. Plebs enim armata cum Principe imperium partitur, & qui cum armata tranſigit, non tàm imperat, quàm paret, & cogitur, quo uno maximè proſtituitur vis Majeſtatis.

28. *Nihil eorum exequi differat, quod ad jus ſuum ſpectare*, quæque ſubditi, non eſſe differenda, *arbitrantur.* Ejusmodi enim dilata, velut vacua à Proceribus aut populo occupantur, & ſemel occupata, non facilè ad vim Principis ſunt reditura.

29. Cum autem non poſſit non uti miniſterio alieno, iis legatis, *actoribus, & rerum ſuarum procuratoribus, vicariisque utatur, qui in ſubditorum bona & ſanguinem injurii non ſunt;* removeat ſubditis inviſos: injuriæ enim miniſtrorum Principis ægriùs tolerantur, quàm Principis, ideoque per iſtas magis, quàm per ſuas ipſe exponitur odio ſubditorum.

30. Quo

30. Quò firmum magis ſit imperium, otium plebi negandum eſt per oblatas domi aut foris occupationes, quæ ſi deſint, in delitioſo quodam negotio otia debent occupari: quovis enim modo occupata plebs aut non vult, dum deliciæ offeruntur, aut non poteſt, dum alibi aliis diſtinetur, de mutando imperio cogitare.

§. 4. Atque ita generatim & breviter iſthæc ferè omnia conſilia interiora, additis eorundem rationibus, nobis expoſita ſunt, quibus obſervatis aut neglectis, Principes Principatusque aut florere, aut intercidere, omnis ævi experimenta loquuntur.

EXPLANATIO.

Diximus, diverſis rerumpubl. formis diverſa eſſe arcana, & inter hæc præcipua eſſe Monarchiæ; Huc alluſit CICERO, dum in Officiis pro triplicis reipubl. formæ ratione triplicem prudentiam eſſe obſervandam aſſerit, Monarchiæ tamen arcana pauci veterum perſecuti ſunt, imò vix quisquam præter AMMIANUM & TACITUM: Nos verò ea ad hæc XXX. capita reduximus, quorum quædam illuſtrabimus.

1. *Juſtus titulus excogitandus occupati imperii, ut populus & primores in id conſenſiſſe videantur.* Hoc intellexit Tiberius, de quo TAC. *Annal.*1. c. 7. §.7 ait: Dabat & famæ, ut vocatus electusque à Rep. potiùs, quam per uxorium ambitum aut ſenili adoptione irrepſiſſe videretur. Quemadmodum n. hac in parte ſatisfactum erat Tiberio, quia poſſidebat jam imperium, ita Tiberius nondum ſatisfecerat populo, qui ad ſe jus conferendi principatus trahebat. Conſiderandum autem h. loc. quod quæ per vim in principio conſtituuntur, ea non perpetua ſunt, & ſemper ingrata. Quam in rem imprimis facit, impetrare à populo ſingularem legem, qualis à Romanis ſub Veſpaſiano lata. Cùm enim præcedentes Imperatores id urſerint, ut ſemper plura ac plura ſenatus ac populus eis concederet, ſub Veſpaſiano tandem meta huic ambitioni poſita, & lex hæc Regia lata, cujus contenta adhuc refert Romæ Tabula vetus in Lateranenſi Baſilica, quæ extat apud FRANCISCUM DE ALBERTINIS *l.* 2. *d. admir. Vet. Romæ.* & à *me* citatur *in editione Suetonii.* Atque ejusmodi leges firmandi imperii cauſa contra leges quoque impetrari ſolent. Ita Sylla impetravit, ut lege Valeria Dictatura ei in tempus indefinitum tribueretur *Appian. l.* 1. *Bell. civil. p.* 411. Imò ſæpè Principes cùm viderent progreſſu temporis de jure diſputari, finxerunt multa, quæ non fuerunt.

Sic

Sic Pontifices Romani fingunt Donationem Conſtantini, ut ſaltem fucatus titulus ſit, quo poſſint amplitudinem Patrimonii S. Petri,& imperii ſui in Principes defendere. Huc pertinet etiam,ſi ſpecie & prætextu excuſantis optimo tandem conſililio accipiatur, ſæpè delatum imperium. Nam id quidem triplicem ſecum trahit utilitatem. Hac enim recuſatione inter diverſas & ſæpè excuſſas offerentium imperium deliberationes præcipuorū, in quos exercendum imperium, animi in principes & ſententiæ agnoſcuntur. Præterea hoc pacto magis accenditur plebs ad rem, quam intendit, efficiendam,& non efficiendam tantùm, ſed etiam augendam, ſummo cum illius præſidio & commodo,cui imperium defertur.Denique magis omnes illi Principi obſtringuntur, cui velut invito, vel ut SVETON. *in Tib. c.25.* ait,ad imperium coacto ſummam imperii commiſêre. Hæc ars Auguſti fuit, qui ut TAC. *l. 1. A. c.* 3. §.3. ait,ſpecie recuſantis imperium & conſulatum filiis flagrantisſimè concupivit. Tiberii quoq;, quem causâ introſpiciendorum Procerum animorum induxiſſe dubitationem idem dicit TAC.*lib* 1. *A.c.*7. §. 8. Et hæc res imprimis ad æquitatis imperii excitandam opinionem facit. Jure etiam civili malus illi & iniquus tutor cenſetur, qui ſeipſum ingerit,& cautum eſt, ne tales ad tutelam admittantur, imò, ſi hujus rei gratià pecuniam dederint,

Q 5 puni-

puniantur *l.* 9. *D. de tutel. & Curat.* Ideo Tiberius dicit,ſe in partem curarum ab Auguſto vocatum, experiundo didiciſſe,quàm arduum, quàm ſubjectum fortunæ regendi omnia onus, apud Tac. *l.* 1. *A. c.* 11. §. 1. ut ſic videretur non ob utilitatem ſuam, ſed publicam imperium ſuſcepiſſe. Non tamen nimia eſſe debet hæc excuſatio,ne tandem populus revera id agi exiſtimans aliò vota deflectat.

4. Hoc præceptum Tiberius obſervavit, cui inter prima conſilia fuit ſequi perpetuò Auguſtum. Atque hoc tanti ſemper æſtimatum eſt, ut aliquando Optimi Principes ſervaverint, quæ Tyranni ante eos conſtituerant.

6. Peccatum eſt ab illis Cæſaribus, quorum Hiſtoriam deſcribit Herodianus, qui inſtigatos Prætorianos ad ſubvertendum Imperatores non puniverunt, & proinde eodem modo cæteris Imperium ceſſerunt. Quam in rem eſt locus ille Tac. *Hiſt. l.* 1. *c.* 40. §. *ult.* ubi de cæde Galbæ loquitur: *nec illos* (milites) *Capitolii adſpectus, & imminentium templorũ religio, & priores, & futuri Principes terruêre, quò minus auderent ſcelus, cujus ultor eſt, quisquis ſucceſſit.*

7. Ex hoc meritò reprehenditur Eliſabetha, quod Mariam Scotiæ Reginam interfici curaverit.

10. Catilinariæ quidem conjurationis communis cauſa traditur egeſtas & deſperatio, ſed & aliam expresſit Florus *l.* 4. *c.* 1. §. 1. quod nempe

Digitized by Google

pe extremis finibus mundi peregrinarentur arma Romana.

12. Ex hoc 12. cap. damnat TAC. Galbam electum eſſe in Hiſpania: eſſe, ait, vulgatum tum imperii arcanum, poſſe principem alibi quàm Romæ fieri *l.1.Hiſt.c.4.*

13. Verum eſt quod LIVIUS ait, *l.2. cap.55.* parùm tutam eſſe ſine viribus Majeſtatem, unde Mecœnas apud DIONEM *l.52.* ſuadet Auguſto, ut corporis habeat cuſtodes. Cæſar certè mortem ſibi acceleravit, eò quod nimis citò copias, præcipuè Prætorianorum dimiſiſſet.

14. Inter fundamenta ſanè Principatus id habendum eſt, efficere, ut unus in Republ. agnoſcatur Princeps, quod fit, ubi ſpes reliquorum præciduntur. Præterea, qui ſciunt ſe ſucceſſores futuros, inſidiantur præſentium Principum vitæ & fortunæ. Prudenter itaque Eliſabetha Angliæ Regina decreto cavit, ne quis privatim aut publicè de ejus hærede loqueretur, dicens: non deberi ſibi ante mortem condi ſepulcrum. Vid. ejus literæ ad Scotorum reginam ap. CAMBDEN. *p.* 1. *Hiſt. in ann. 1567. p. 58.* Et ſanè quid de aliis ſuſpicandum eſt, cum à filiis quoq; parentes propter imperium metuunt ſibi. In Turcica quippe Tyrannide filii tàm diu ceu in carcere, vel remotis à Byzantio oris detinētur, donec parens Imperator moriatur. Peccavit autem contra hoc præceptum Galba, ſub quo cum duo eſſent, qui ad Impe-

rium adſpirabant Piſo & Otto, Galba partes legit, & elegit Piſonem, non attritis prius Ottonis viribus. Prudentiùs verò direxit conſilia Tiberius, ſub quo etiam duo erant Druſus & Germanicus, quorum alter populo, alter ipſi gratus erat. Suſtinuit ergo judicium, & neutrum legit, TAC. *l. 3. A. c. 56. §. 4.* Si enim prætuliſſet Germanicum, injuriam feciſſet ſuo judicio, ſi Druſum, judicio populi.

15. Equidem in mandandis dignitatibus & magiſtratibus magna principalis fortunæ poſita ſunt momenta. Itaque inter arcana eſt, ut ad Principem ſpectet Magiſtratum creare. Horum enim beneficio non tantùm multos ſibi poteſt demereri, ſed & ad ſecuritatem ejus facit, ſi aliis ſub ſe poſitis dignitatibus imponat illos, quos rebus ſuis expedire arbitrabitur. Ubi magnus uſus eſt hujus XV. præcepti. Sic ſub Veſpaſiano Titus præfecturam Prætorii egit apud SVETON. *in Tit. c. 6.* Cura cæteroquin Magiſtratuum, quatenus illi ex utilitate principis mandantur, in his conſiſtit.

1. *Ne nimis diu magnæ dignitates continuentur, neque iis pro ſe quiſpiam utatur.* Obſervatum hoc ab Auguſto. Tiberiani inſtituti fuit, continuare imperia, cujus rei rationem reddit TAC. *An. 1. ſub fin.* dicitque, id eum vel tædio novæ curæ, vel invidiâ, ne plures fruerentur, feciſſe. Quærunt multi, cur id obſervaverit Tiberius, alia Auguſti plerumque ſequi

ſequi ſolitus. Reſpondet hic quidam, duo tantùm genera hominum in Rep. Romana fuiſſe, alios qui libertati, alios qui Principibus favebant, Tiberium ergo hos tantùm præfeciſſe, & proinde nullus ab aliis metus. Sed facilè potuit falli Tiberius ex externo aliquo de ſinceritate affectus in Principes judicando. Fatendum ergò erráſſe hîc Tiberium, quod & inde probatur, quia ommnes, quas TAC. affert, rationes, in vitio fundatæ ſunt.

2. *Ut qui ſuo eas ſpacio geſſêre, aliquandiu interquieſcant, quo indomitus & majoris imperii avidus Spiritus comprimatur.* Hanc in rem eſt lex Auguſti: Cum enim antea receptum eſſet, ut conſul depoſito conſulatu ſtatim in Provinciam proficiſceretur, Auguſtus quinquennio poſt depoſitum conſulatum eam adire juſſit.

3. *Ut Patriciis omnibus ac merentibus in hoc genere ſatisfiat.* Magnifica autem, & quandoque nova Magiſtratuum vocabula modicæ tamen potentiæ fingantur ac deferantur, quò ne quis, qui deberi ſibi aliquid merito ſuo putat, poſtpoſitus, ad conſilia quæ Principi adverſa eſſent, delabatur.

4. *Ut denique qui magnis dignitatibus præponuntur, tales ſint, ut pares illis ſint, non majores, ne accepta occaſione ad ea ferantur, quæ cum decremento Majeſtatis Principis ſunt conjuncta.* Ex hoc quantum ſit commodum, TAC, *6. An, c. 39.* in

39. in Sabino oſtendit: fine anni Poppæus Sabinus conceſſit vita, modicus originis, principum amicitia conſulatum & triumphale decus adeptus, maximiſque provinciis per quinque & viginti annos impoſitus; nullam ob eximiam artem, ſed quod par negotiis, neque ſupra erat. Ad quod arcanum facit, quod ſub poſterioribus Imperatoribus præfecti Prætorio ex JCtis electi ſint, cùm antea ex militibus eligerentur: quia hæc ut maximi momenti dignitas, ita etiam militaria ingenia longè togatis perículoſiora, & proinde boni ingenii judiciique moderati hominem prætorianorum regimen requirebat.

17. Monitum XVII. ex eo confirmatur, quod pro ſecuritate & Majeſtate Principis eſt, ut credatur ibi eſſe, ubi non eſt, ut agere aliquid, licet non agat. Præterea ut jure civili ſervus omnia acquirit Domino, ita hi quoque adminiſtri rerum omnia ad Principem conferre debent, quod prudenter ab Agricola obſervatum, qui res à ſe geſtas omnes Domitiano adſcripſit, apud TAC. in *Vitâ c.33.* Et inferiore loco conſtitutus Duci ſuo Ceriali *cap.8.* Germanicus quoque cum tropæum ſtrueret ſuperbo titulo: Debellatis inter Rhenum Albimque nationibus exercitum Tiberii Cæſaris monimenta Marti ac Jovi & Auguſto ſacrâſſe. TAC. *l.2. An. c.22.* De ſe nihil addidit

Digitized by Google

dit, metu invidiæ, an ratus, conſcientiam facti ſatis eſſe. Imo hoc arcanum tanti momenti à Principibus æſtimatum, ut quidam eorum falſos triumphos & confictos duxerint ad gloriæ famam ſibi conciliandam, quod feciſſe Domitianum Tac. *in Agric. c. 39* teſtatur. Imò quidam etiam auctum gloriam ſuam ivêre per clades, quæ acceptæ erant, diſſimulatas.

19. Quid poſſint largitiones, oſtendit exemplo ſuo Auguſtus, qui congiario & annonâ plebem, donativis militem pellexit, apud Tac. *l. 1. An. c. 2.* Imò quantis periculis expoſiti fuerint minus largi Imperatores, oſtendit Galba, qui voce illâ: legi à ſe militem, non emi, exitium ſibi procuravit, Tac. *l. 1. H. c. 5.* Quid etiam conciones valeant, oſtendūt turbulentæ Tribunorum, quæ toties Rempubl. turbârunt. Et Piſo ap. Tac. *An. 3. c. 9.* accuſatur, quod in agmine atque itinere crebrò ſeſe militibus oſtentaviſſet. Inde Julianus Imperator cavit, ne quis præter ſe publica concione milites alloqueretur.

20. *Præfecturas Provinciarum & arcium cautè diſtribuat Princeps.* Hujus rei accuratam curam habuit Auguſtus, qui ut Tac. *Ann. 2. c. 59.* loquitur: inter alia dominationis arcana vetitis, niſi permiſſu, ingredi Senatoribus & Equitibus Romanis illuſtribus ſepoſuit Ægyptum, ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam clauſtraque terræ ac maris, quamvis levi præſidio, adverſus ingentes exercitus inſediſſet.

ſediſſet. Nam Ægyptus provincia fuit annonaria. Annonæ autem beneficio plebs maximè devinciri poterat. Et ſi fortè quandoque minus ſolito Nilus inundaſſet, ſtatim motus in urbe oriebatur. Itaque Princeps illud ſolus tenere debet, quo omnibus & ipſi opus ſit. Atque huc etiam pertinet hoc, ut Jus ſtruendi arces, & muniendi civitates, tanquam præſidia rerum, ſoli Princeps ſibi ſervet. Sunt enim ut aliarum rerum, ita præcipuè præſidia Dominationis, cujus vis in eum transfertur, cui jus hoc indulgetur. Antiqua adeò eſt ejus rei ratio, ut mœnia ſancta jam inde ab initio fuerint. Unde meritò occiſus Remus, qui tranſiliendo mœnia contemnere videbatur majeſtatem. Ex hoc jure inſtitutum, ne provinciales ſine conſenſu Principis excitare vel erigere muros auderent. Et inter arcana imperii habitum & uſitatum, muros civitatum, ex quibus metus, dejicere, quod Galba in Hiſpania & Galliâ fecit. Imò magnificæ quoq; quædam privatorum ædes dejectæ, ut Valerii in Velia, de quo Livius vid. *l. 2, c. 7.*

Ex 21. præcepto imprimis attendendum ad homines ſupra privatum modum potentiæ evectos. Natura enim humana ita comparata eſt, ut quisque velit id, quod poſſit. Cùm ergo potentes multa agere contra Principem poſſint, ejus eſt cavere, ne etiam agere velint, quod faciet, ſi impediat omnes agendi occaſiones. Eodem autem fine non facile uti Principes

aut

Digitized by Google

aut admittere in ſuis agendis debent illos, quorum civilia nimis ſunt ingenia. Civilia enim ad popularitatem deflectunt, & quò majus popularitatis ſtudium eſt ſub Principe, eò minor eſt exiſtimatio Majeſtatis.

Civiles autem illos rectè dicimus, qui non tàm Majeſtatem Principis apud populum promovere, quàm populum demereri laborant. Hoc genus hominum malo Principum receptũ eſſe ait TACITUS, & proinde eos ut Civiles reſpectu populi, ita feraces reſpectu Principum vocat in exemplo Galli Aſinii *l.1.A.c.12.* Idem de Druſo & Germanico ait: Diſplicere regnantibus civilia filiorum ingenia *l.2.A.c.82.§.3.* Cavendum etiam, ne quis talium omnia ad pompam ſummæ curæ & meditamenti ſibi uſurpet. Hoc enim qui agit, ſenſim irrepit in Principis Majeſtatem. Namq; aliquid peculiare ipſorum Principum eſſe debet, quo à privatis diſcernantur, & quo molitiones privatorum, quæ ſupra privatum modum ſunt, dignoſcere queant. Ubi enim omnia omnibꝰ licent, omnes omnia volunt occupare, & continuò ampliùs ſerpunt. Itaq; Nero Torquatum Silanum mori adegit, qui ſuper Juniæ familiæ claritudinem (ut TAC. 15.*l.An.c.35.* ait) D. Auguſtum atavum ferabat, juſſique accuſatores objicere, eum nobiles habere, quos ab epiſtolis & libellis & rationibus appellet, nomina ſummæ curæ & meditamenta.

22. Co-

29. Comitatem in principe quando deſideramus, eo cum moderamine id dictum volumus ut ne nimium popularis exiſtens veluti contemtus inter ſuos proſtituatur. Nam hæc ipſa civilitas, prout ingenium gentis eſt, attemperanda venit. Facit huc non tantùm illud, quod dicitur, è longinquo majorem eſſe famam Majeſtatis & reverentiam; ſed & diverſitatem hanc notat TACITUS *Ann. l. 2. c. 2.* ubi de Vonone Romæ educato ait: Promti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia, & quia ipſorum majoribus aliena, perinde odium pravis ac honeſtis.

30. Quod ultimum caput verisſimus eſt ille verſiculus: *Otium Reges ſimul & beatas perdidit urbes.* Perdidit otium Reges, quia plebs non occupata alibi, circa idipſum eſt, quomodo revocet libertatem. Occupari itaque vel bello debet, unde Romani ſæpè bellum minus neceſſarium quæſivêre vel attulêre, aut ſi bella deſint, delitiæ plebi obtrudendæ, quod ab Auguſto probè factum, qui ferè continuò plebem in Theatris ſpectaculis continuit.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IV.

De vitio Monarchici ſtatus, id eſt, Tyrannide: De artibus, quibus ad tyrannidem callidè graſſantur, & eam tandem crudeliter exercent Principes: Quomodò item ſub tyrannis, & adverſum eos quisq; ſe gerat.

§. 1.

CUm mutationibus omnia ſint obnoxia, etiam Monarchia, quanquam omnium formarũ diutisſimè ſubſiſtat, ſubinde etiam inverti conſuevit.

§. 2. Evertuntur autem principatûs, vel per amicos, miniſtros & conſortes regni, quorum ſæpè ea eſt ambitio, ut cum ipſo principe contendant; aut tàm crudele miniſterium, ut invidiâ ac odio propter eorum facta principes exponantur, principumque imperia: vel per ſuccesſionem, dum iniquitate & quaſi quodam naturæ abortu ſæpè impares & contemptisſimi principes naſcuntur, unde illius etiam

etiam imperii contemtus; Vel per electionem, dum diverſis partium ſtudiis ſæpè imperio præponuntur, quos principes omnes non agnoſcunt, unde minus obſequii, ac ideò vix imperium: Vel denique per affectationem & uſurpationem nimiæ dominationis, unde in principes odium ac principatum.

§. 3. Cum enim ad Imperium unius raró conferat Princeps animum, qui aut infinitam frenet poteſtatem, aut eas pro libertate repertas leges obſervet, in quas juravit, Monarchicus ſtatus in vitium facilè excedit, quod Tyrannidem appellamus.

§. 4. Eſt autem Tyrannis tale unius Imperium, in quo oppreſſa libertate, legumque ac Magiſtratuum cæterorum omnium violata autoritate, cum ſubditorum pernicie, ad unius Imperantis Imperium omnia conferuntur. Adeò ut Tyranni ſint, qui emicant uſurpata magis undique poteſtate, quàm neceſſaria videtur.

§. 5.

§. 5. Sunt verò aliæ artes, quibus clàm & prudenter libertatem invadunt, aliæ, quibus palàm crudeliter Tyranni graſſantur. Et hinc tyranni duorum generum, ſi experimenta omnium temporum & nationum conſideramus. Quidam utuntur tyrannide, & eam totam & palàm oſtentant; Quidam eâdem utuntur, ſed ejus artes & conſilia tegunt. Sunt verò ſingulis peculiaria ac diverſa conſilia, ac regundi rationes, quas operæ pretium erit examinare. Poſſunt autem iſtorum ad ſequentia 13. capita ferè referri.

§. 6. (I.) Munia Magiſtratuum & legum, uti Tac. *l. 1. A.c.2.* loquitur, paulatim invadunt. *Munia Magiſtratuum:* dum præcipua & vim rerum ſibi vendicant, inanibus ac cum odio conjunctis Magiſtratibus relictis, & præſertim ſuffragiorum ipſis adimunt libertatem. & in eorum, qui exceſsêre, locum ſubſtituunt pronos augendæ Principis dominationi. *Munia legum* : dum titulo eas ferme

mè perferunt, interim pro ſe eas interpretando, vim earum convellunt: paulatim verò, quia intervallis ac ſpiramẽtis temporũ eſſe opus judicant, ad ea penitus exercenda, quæ palàm exercendæ iniquisſimæ dominationi, quam intendunt, poſſint opponi, quæ ſi uno ictu perſequi inſtituerint, in ipſo initio à florentibus, ac totam liberttem adhuc ſpirantibus civibus ipſi opprimerentur.

§. 7. (II) Etiam ubi inter initia fortè palàm aliquid auſi ſunt, contra leges & ſuperiores Magiſtratus, ex adverſo grati non nihil, quo earundem legum, eorundemque Magiſtratuum jus atolli iterum magis videtur, quàm attollitur, ſubinde interponunt, quo conceptum propter priora auſa odium exuatur ac minuatur.

§ 8. (III.) Superiores Magiſtratus, quibus ſcilicet præcipua mandata eſt libertatis cauſa, diſſenſionibus ac ſimultatibus inter ſe quavis arte committunt, quò minùs unanimibus ſuffragiis validum

lidum aliquid adverſus nimia affectantem Principem decernatur.

§. 9. (IV.) Sæpè etiam potiùs putant ea, quæ adverſa ſunt libertati, blanditiis, precibus, perſuaſionibus, denique prætextu publicæ utilitatis obtinere, quàm vi uſurpare. Ita enim in inſtituto ſuo, quod eſt iniquisſimum, in autoritatem eorum, qui tueri debent libertatem, promoventur maximè & confirmantur.

§. 10. (V.) Ita ſenſim aucti ac proinde facti audentiores, præſtantes, magni erectique viros animi è medio tollunt, aut ſaltem de faſtigio dejiciunt rerum ſuarum ac dignitatum, eorum enim magnanimitatem ad depellendæ tyrannidis juſſum, ne cœteri accendantur & impellantur, formidant.

§. 11. (VI.) Non facilè procerum patiuntur aut civium conventus, liberaliaq; ſtudia, & bonas artes quàm maximè cupiunt exulare. Nam vocatis in unum civibus aut Procerібus, omnium

mnium judicio ac votis fieri poſſent contra tyrannidem decreta, & per liberalia ſtudia, cogitatione libertatis ac æſtimatione animi omnium facillimè imbuuntur.

§ 12. (VII.) Dant vel imprimis id quoque operam, ne inter ſe, quantum fieri poteſt, noti, familiares, & invicem ſibi fidentes ſint cives, & ne amicitias magnas ac cognationes per matrimonia aut aliam ejusmodi rationem inter ſeſe contrahant, ex eo enim multorum quaſi unius familiæ ac animi conſpirationes metuunt.

§. 13. (VIII.) Neque minus id agunt, ut ab exploratoribus ac delatoribus obſeſſæ paſſim, insesſæque ſint civitates, Eorum enim metu diſtricti ſubditi, de tyrannorum artibus vix quicquam inter ſe queruntur. Unde minor animorum adverſus tyrannum motus; Sed & hac ratione initia prima & levisſima conjurationum ſtatim tyrannis queunt innoteſcere.

§. 14.

§. 14. (IX.) Quàm maximè, ut diſſideant inter ſe ſubditi, laborant. Hi enim ſecum commiſſi, pro revocanda libertate, non facilè cum Tyrannis committuntur.

§. 15. (X.) Quavis etiam ſtudent ratione ad incitas redigere ſuos, & extremam paupertatem, per vectigalia, per immiſſa deliberato animo infortunia, per ſublata aut turbata commercia, per bella non neceſſaria, vel temerè irritata; opibus enim ſubditi non inſtructi, non facilè tyrannos aggrediuntur, & quia tueri ſe non poſſunt, quævis patiuntur.

§. 16. (XI) Servis & libertis, hoc eſt, ut generatim, & ex uſu omnis Reipublicæ dicam, omnibus tenuioribus, & infra aliorum potentiam depreſſæ fortunæ hominibus, & maximam indulgent licentiam, & maximam ſæpè offerunt dignitatem. Nam ſic fit, ut eorum promptiſſima opera pro ſe utantur, utque major diſſenſionibus oc-

R caſio

caſio ſit, dum ægrè ferunt potentes ad tantam fortunam evehi tenuiores, ſed & ſic fit, ut dignitatibus pauperes impoſiti ac abjecti, ob privatam primò tenuitatem, dein ob defectum potentium amicorum, dignitatibus adverſum tyrannum non abutantur.

§. 17. (XII.) Peregrinis magis & exteris delectantur, quàm civibus & domeſticis, cives quippe hoſtes credunt, ut quibus nocuêre, metuit enim quisque eum, quem læſit. Peregrini autem, ut non læſi, ita ob accepta beneficia tyrannis obnoxii redduntur.

§. 18. (XIII.) Cavent ſibi etiam à domeſticorum familiaritate, eorumq; fide, quibus utuntur. Sicut enim, ut ille loquitur, æquum regnum per inimicos, ita tyrannis diſſolvitur per amicos. Nemini enim illorum fidere debet, qui fidem nemini ſervat, quoties lubet, & utile videtur. Hinc etiam non delectantur conſuetudine gravium, liberorum ac honeſtorum virorum

rorum

rorum. Illi enim diſſolvere exiſtimantur illorum imperium, cum contrarias artes artibus tyrannorum profiteantur. Subinde tamẽ iis utuntur, quò cum adulatoribus & peſſimorum conſiliis commisſi, majores excitent diſſenſiones, & quia aliquando ſine tyrannorum periculo eorum eſt uſus. Ideoq; ut quæ jam dicta ſunt, & alia, quæ huc referri poſſunt, breviter complectamur, Tria potiſſimùm tyranni moliuntur. 1. ut minuant ſubditorum animos, ne audeant inſurgere. 2. ut impotentes eos ac imbecilles reddant, ne posſint inſurgere. 3. ut diſſentientes pariter non velint inſurgere Arist. *l. 5. Polit. c. 11.* Quæ tyrannorũ artes non ut quis ſequatur, ſed ut quis internoſcere tyrannum à principe poſſit, atq; cavere, proponuntur.

§. 19. Diri Tyranni reapſe ſunt, & tamen tales non videntur: quique mitiùs Tyrannidem exercent, ſua etiam diverſa conſilia habent: namque ab iis & ſpecies & fuci rebus imponun-

 tur;

tur, quo fit, ut eò periculoſius eorum ſit imperium, quia tectum imperii flagitium, & ſpecioſis nominibus incruſtatum, vix poteſt deprehendi. Fraus enim ut loquitur TAC. l. 4 H. c. 24. §. 2, & dolus in obſcuro ſunt, & ideò difficulter iſta omnia poſſunt evitari.

§. 20. Cœterùm ad 12. capita iſta omnia poſſunt revocari. (I.) Ejuſmodi Tyranni bonorũ Principum perſonam oſtentant & voluntatem: eo tamen animo, ut ſi imperatis adverſentur ſubditi, nolentibus tanquam volentibus velint imperare, quo ne contumacia ac dedignatione ſubditorum amittant in omnibus conatibus Tyrannidis vim ac poteſtatem, adeoque qui palàm Tyranni ſunt, imponunt ſubditis, quod ſubditi nolunt. Qui autem tecti priusquam imponant, cogunt eos velle, quæ aliàs nollent.

§. 21. (II.) Rerum communium curam habere videntur, ad ſua interim commoda tantùm attenti. Nec effun-

dunt

dunt pecunias publicas in ea, quibus popularium ingenia offenduntur. Quo fit, ut ignorent ſubditi, ſua poſtpoſita cauſâ, agi alienam, & dum juvari videntur, ſe exhauriri.

ſ. 22. (III.) Accepti & expenſi rerumque omnium reddunt rationem tanquam obnoxii adhuc populo, cùm ſupra ejus extollant ſeſe evehantque libertatem; quò fit, ut non ex arbitrio, ſed rationis præſcripto: non ut Tyranni, ſed ut legitimi Imperatores tenere imperium videantur.

ſ. 23 (IV.) Tributa & exactiones ita imponunt, ut providendi gratia congerere & convaſare, ut non Domini publicæ pecuniæ, ſed quaſi Quæſtores & cuſtodes credantur, quo fit, ut ſubditi libenter contribuant, tanquam in præſidium ſuum, cùm conferatur præſidio iniquæ dominationis.

ſ. 24. (V.) Ipſi eorumque domeſtici cavent ſibi à contumeliis & omnibus illis rebus, quibus nec prodeſſe ſibi

poſſunt, & animi tantùm popularium irritantur. Ita enim æqui in publicum credantur, qui in neminem privatim, aut ſingulatim ſunt iniqui.

§ 25 (VI.) Vitam omnem ex honeſtæ diſciplinæ præſcripto ſobriè & continenter agunt, nec in corporis ſordidas voluptates prolabuntur, quo fit, ut privatæ Virtutis ac vitæ exempla obtineant opinionem virtutis vitæque publicæ benè inſtitutæ.

§. 26. (VII.) Religionem & Deorum cultum ardore ſummo, ſumma contentione proſequuntur, pietatis quaſi in cæteris exemplar, quo in Deorum cultum propenſi, ſecundum Divinitatis exemplũ, & leges imperii ſui rationem componere & adornare videantur.

§. 27. (VIII.) Præſtantes & excitati animi viros, quibusvis humanitatis & honorum officiis afficiunt, quo fit, ut ſub Principe, non Domino eſſe videantur, & ut optimorũ conſiliis uti credantur. Et quidem explorant ea ſubinde in

in ſpeciem, ſed rarò aut nunquam ſequuntur.

§. 28 (IX.) Cavent ſibi diligenter ab iis injuriis, quæ vitæ cujusquam, aut honoribus inferuntur. Eo enim pacto maximam odii omnis declinant cauſam, cum illi exoſisſimi ſoleant eſſe, qui in vitam aliorum ac dignitates graſſantur.

§. 29. (X.) Id quoque dant operæ, ne quenquam ad nimis magna provehant, quo præveniunt pericula ambitionis & conſpirationum.

§. 30. (XI.) Adverſum eos potisſimùm proſpiciunt ſibi, qui ſe aut ſuos injuriis affectos opinantur, quippe ita fit, ut præcipiant illis ultionis & vindictæ occaſionem,

§. 31. (XII.) Cum civitas ferè omnis ex duûm generum hominibus, divitibus & egenis conflata, curant ſeriò, ne alii alios injuriis proſequantur, eorum tamen, qui potentiores ſunt, fidem favoremque maximè ſibi conciliare nituntur:

tur: quo fit, ut cum utrosque videantur tueri, apud utrosque proſpera ſua famâ utantur; Sed & hoc fit, ut potentiorum auxilio orituris forſan aliorum conatibus ſemper obſiſtere poſſint & obſtare.

§. 32. Ita quidem peſſimi principes ſuos circumveniunt, ſed & à ſuis circumveniri ſolent, Tyrannide nonnunquam per aliorum ambitionem affectata quod, ut plurimũ per illos fieri conſuevit, qui magnis dignitatibus imponuntur, quorum ambitionem prævenire & cohibere pro ſecuritate principatus & adverſum invaſiones licet, vel conceſsis annuis tantùm imperiis, vel continuis, ſed diverſis. Nam ſi annua, priusquam Principem exuunt, ipſi exuuntur: & ubi continua ſed diverſa ſunt, adminiſtratione principalis fortunæ inter plures tributa ſpes & vires ſingulorum ad affectandam Tyrannidem minores redduntur.

§. 33. Ubi tamen inter providas Prin-

Digitized by Google

Principum curas improba quorundam erumpunt vota, inſtar omnium habere debet, & pro conceſſo Jure Dominationis, in crimine affectatæ Tyrannidis incipere ab executione. Tali quippe occaſione periculoſius, multorum judiciorum & accuſationum ambitu uti, quàm vi Dominationis & lege ſtatim cœteris poſtpoſitis improviſa cæde, alioque pacto intercipere peſſimorum conatus, quemadmodum & ipſis Tyrannidis affectatoribus periculoſius ſemper judicatur deliberare, quàm audere.

ſ. 34. Sed & aliud malum eſt, quod obſidet ferè Dominantium Principatus: ſæpè enim quia jura Principum non intelligunt, aut quia oderunt ea ſubditi, aut quia minima Principum commiſſa pro maximis interpretantur, ſæpe Tyrannos credunt, qui nondum ſunt, adverſum quod odium Principatus duplici remedio opus eſt. 1. Si quosdam è ſubditis Princeps, qui in

populum grati & accepti ſuarum faciat reddatque partium, quorum opera & apud populum gratia utatur ad eximendam eam opinionem, quæ in ſubditorum animis de Principis Tyrannide falsò excitata eſt. Illis enim vulgus, tanquam qui ſint ſuarum partium, facilè credit. 2. Temporum meminiſſe Princeps & occaſionum etiam, atque ſubinde aliquid remittere de ſumma poteſtate debet, ſi in eam obſequium & reverentia mobilitate ſubditorum ceperit nutare.

§. 35. Sed munia ſubditorum jam expendenda ſunt per partes, neq; ſuſq; deque æſtimari debet, quomodo ſub tyrannis & adverſus eos quisq; ſe gerat.

§. 36. Igitur adverſus triplicem illum, quem jam §. 18 retulimus, tyrannorum ſcopum, triplici etiam conſilio ac remedio opus eſt.

§. 37. (I.) Conſtantia quadam animi immota, ut ejus magnitudine cives prima initia tyrannidis, aut non-

dum

dum nata, jam planè ac penitus queant diſturbare.

§. 38. (II.) Indiſſolubili quodam vinculo, ac infracto animorum conſenſu, quo connexi inter ſe cives conatibus quibusvis Tyrannorum avertendis pares reddantur.

§. 39. (III,) Moderato uſu virium atque opum ſuarum, quibus integris & ſufficientibus, declinare cives poſſint ingruentem tempeſtatem.

§. 40. Sed nec facilè, qui mali ſunt Principes, pro tyrannis haberi, nec facilè ejicii debent, & modeſtia, ac multiplici nec nocitura tamen patientia, omnia alia tentanda ſunt, priusquam Principes & obſequium exuimus. Summum enim imperium, & aliquid, quod ſupra privatorum eſt æquitatem, Deus illis tuendæ Reip. cauâ dedit.

§. 41. Quæ quidem qualis modeſtia ſit, *Lib. IV. c. 20. v. 3.* Annal. in perſona Lepidi acutiſſimè TACITUS exponit: Hunc ego (inquit) Lepidum,

„ gravem & ſapientem virum te
„ ribus illis (nempe Tiberianis)
„ comperio. Nam pleraque à
„ adulationibus aliorum in meliu
„ xit: neque tamen temperamenti
„ bat, cùm æquabili autoritate &
„ tia apud Tiberium viguerit.
„ dubitare cogor, fato & ſorte naſ
„ di, ut cætera, ita Principum i
„ natio in hos, offenſio in illos: a
„ aliquid in noſtris conſiliis, licea
„ inter abruptam contumaciam &
„ forme obſequium pergere iter a
„ tione ac periculis vacuum.

§. 42. Quid verò illud in noſtris c
„ ſiliis ſit, IDEM *c. 42. v. 7.* in vita Agri
„ læ, ſub peſſimo Principe Domiti
„ viventis, ſic expreſſit. Sciant, qui
„ moris eſt, illicita mirari, poſſe eti
„ ſub malis Principibus magnos vi
„ eſſe, obſequiumq; ac modeſtiam
„ induſtria ac vigor adſit, eò laudis
„ cedere, quo pleriq; per abruptũ, ſed
„ nullum Reipublicæ uſum, ambitio
„ morte inclaruêre. §. 4

§. 43. Patientiam verò quod ſpectat, ſequendus Marcelli iſtius modus, qui apud Tacit. 4. *Hiſtor. c. 58. 3.* ſe meminiſſe dicit temporum, qui- " bus natus ſit, quam civitatis formam " Patres avique inſtituerint, ulteriora " mirari, præſentia ſequi, bonos Impe- " ratores voto expetere, qualeſcun- " que tolerare.

§. 44. Namque ferenda ſunt Regum ingenia, neque uſui ſunt crebræ mutationes, ut eſt ap. eund. Tacit. *Ann. XII. 11. 3.*

§. 45. Ubi tamen ad ſummum iniquitatis gradum evecta eſt tyrannis Principum, & modeſtiâ, patientiâ & ſupplicationibus nihil eſt profectum, tollere Principes, aut eos ejicere, eorumque Imperium exuere omnino licitum eſſe exiſtimamus.

§. 46. Interim æſtimatio iſta ſummæ iniquitatis, non in vanâ, & levia mala pro graviſſimis habente opinione, ſed in rerum ſummo pondere, &

graviſſimarum rerum momentis debet fundari.

§ 47. Cum enim rerum omnium maxima ſit, non agnoſcere Principem divinitùs datum & conſtitutum, cui ſanctiſſimâ religione jurisjurandi ſum obſtrictus, maxima hic tantùm habere locum, non debet dubitari.

§. 48. Igitur, ut id compendio dicam, ad exuendum Tyranni imperium deveniendum eſt, ubi ſub eo deventum eſt ad extrema libertatis. Neque enim tantiſper patientiam impendere expediat, donec deventum eſt ad extrema ſervitutis.

§. 49. Quippe ubi in extremo diſcrimine libertas verſatur, multis jam modis fracta & acciſa, juſta ac gravis ſatis cauſa ejiciendi Principis ſubditis offertur, cum par ratio ſit vitæ & libertatis, vitam autem utique tueri naturæ & gentium omnium legibus indultum eſt.

§. 50. At verò ubi ad extrema ventum

tum eſt ſervitutis,ut ut adverſus Principes gravior adhuc ſit timor ;& melior cauſa ſubditorum; deſunt tamen & exhauſtæ ſunt vires, per quas ſubditi in libertatem ſe poſſint vindicare.

§.51. Extremum enim in libertate dicimus, cùm per Principis iniquitatem ea facere & obtinere ſubditis non licet, quæ, ſi ſalvi manere velint, ſanctasque conſervare fortunas, facere debent ac obtinere.

§. 52 Extrema autem in ſervitute definimus, cum adeò disjectæ & attritæ ſunt opes ac fortunæ ſubditorum, ut potiùs jam ſuperſint vota, quàm inſtrumenta neceſſaria revocandæ libertatis.

§. 53. Itaque fixum hîc & immotum eſto, irrita & eluſa patientiâ Tyrannorum libidini non exponenda eſſe ea bona, quibus opus eſt ad repoſcendam libertatem.

§.54. Cæterùm antoritate publica, ac imprimis illius ordinis, qui Princi-

pis

pis proximè contingit autoritatem, ea Principum vel Imperii propter tyrannidem mutatio inſtituenda eſt.

§. 55. Neque enim temerè privatorum & publicorum negotiorum non ſatis gnaris judicium de Principibus eſt permittendum.

§. 56. Quare eorum ſententiam ut iniquam & ſubvertendis Rebuspublicis repertam proſcribimus, damnamus, qui privati cujusdam plebeiq; hominis furori occæcato, licito velut ſpolio, Principum vitam exponunt & ſecuritatem.

§. 27. Neque etiam ob alterius Principis autoritatem & mandatum exuere ſubditi aut poſſunt, aut debent obſequium ei debitum, qui alium ſupra ac juxta ſe parem in imperio non agnoſcit.

§. 58 Quare proſcribimus ac damnamus Pontifices Romanos, qui excommunicandos (ut loquuntur) Reges, & ſubditos à juramento fidelitatis pro libitu ſolvendos ſuſceperunt:

Pro-

Proſcribimus quoque obſequia, quibus ſubditi ejuſmodi proſcriptionum iniquiſſima fulmina adverſus Principes exſequuntur. Subvertunt enim iſta & turbant jus dominationis.

§. 59. Denique Tyranno ejecto, vel eadem Imperii forma retinetur, vel nova excitatur, quarum rationum ultimam omnium cautisſimam eſſe exiſtimamus.

§. 60. Nec enim mala tantùm exſcindenda ſunt, ſed malorum metus; nec abeſſe metus poteſt, quamdiu eædem ſuperſunt malorum occaſiones.

§. 61. Igitur cum peſſimo Principe, ſi fieri poteſt, amovendus quoque Principatus.

§. 62. Sin autem contrà formam Imperii non mutare expediret, ob peculiares diverſarum gentium mores & rationes, mutanda ſaltem familia eſt, ex qua nati & electi hactenus Principes fuerunt.

§. 63. Sin verò & illud publica pax

pax & ſecuritas non permitteret, ea cautione ejusdem familiæ alteri deferendus eſt Principatus, ut Principi minimum in poſterum autoritatis, ſubditis plus ſolito libertatis relinquatur.

§. 64. Nam potentiâ ejus imminutâ arctioribusque circumſcripta legibus, & præcipuis adſerendæ libertatis inſtrumentis populo aut ſenatui permiſſis, ſi fortè peſſimus eſſe velit, nequicqnam tentabit opprimere libertatem.

§. 65. Tandem inſtar omnium eſt & ſemper obſervandum, immotam & æternam conſtantiam eſſe oportere, qua tueri liceat res eas omnes & leges, quæ in ejusmodi principum & imperii mutatione decretæ ſunt & conſtitutæ. Qui enim ex mutatione perſonæ aut Imperii publicæ ſequitur rerum ſtatus, profectò vel ob Exemplum tantũ nutaret admodum, & continuis eſſet obnoxius mutationibus, niſi aliquid perpetuum & religione

omni-

Digitized by Google

omnium & fide ſanctiſſimâ approbatum & poſterorum ſuffragiis neceſſariò approbandum, pro præſenti & tali ſemper futuro Reipubl. ſtatu decernatur.

EXPLANATIO.

DIximus §. 1. inverti regna, *per amicos & conſortes imperii*. Ut enim pauci ſunt Reges, ita plures longè regni capaces, ut ait ARIST. & ideò cum eis, qui magni ſunt generis, ambitio ſit innata, & præterea ſe videant regni capaces, facilimè inſurgunt, ut ſi non poſſint regnum adipiſci, ſaltem mutent præſentem ſtatum in eum, in quo plures ſunt capaces imperii. Ut enim Ariſtocratia in Regnum mutatur, ubi optimates inter ſe diſſentiunt, & unus eſt potentior; ita Monarchia in Ariſtocratiam tranſit, ubi plures ſunt capaces imperii & æqualis potentiæ. Dein *per crudelem adminiſtrationem* ſervorum, & adminiſtrantium. Quo pacto ſeſe Helvetii in libertatem vindicarunt. Batavique non priùs ab Hiſpano defecerunt, quàm ille crudelibus miniſtris uti in illos cœpit. Unde obſervandum Axioma: Adminiſtris rerum attendendum eſſe imprimis, cum eorum actiones pro Principum actionibus reputentur. Tertiò per *Succeſſionem imparium* & ideò contemtorum. Nihil autem adverſum

ſum magis eſt Majeſtati, quàm contemtus. Contemtus enim alicujus imperii novum aliud facit amari.

§. 5. Et ſeqq. recenſuimus eorum arcana tyrannorum, qui tyrannidem palàm oſtentant. Ex his V §.10. eſt, *quod viros magnos tollunt*. Intereſt enim Tyrannor. ut ne ſint juſtarū conſpirationum duces & autores. Metuunt autem ſibi ab illis, qui cum bono ingenio & prudenti, & magno ſint, & intelligere, quantum Reip. ab ipſis noceatur, & ulciſci id ipſum poſſunt.

VI § 11 *Civium & procerum conventus, bonasq; artes non patiuntur*. Sic Domitianus omnem bonam artem in exilium egit, quia in ſe nullam habuit. Tacit. Agric. *c. 2.* §. 2. Turcæ quoque nullum liberalium artium cultum admittunt. Moſchi quoque ſimiliter, quorum imperium parum à Tyrannide diſtat.

VII. §. 12. *Familiaritates civium & conjunctiones prohibent impediuntq;*. Ubi enim familiares inter ſe ſunt, facilè inter ſe ac tutò poſſunt de omnibus conſilia communicare, quod non fit, ubi ſunt alieni. Nam metuitur proditio, ubi non ſatis explorata fides. Matrimoniis quoq; contractæ cognationes multùm Tyrannis nocere poſſunt Tac. de *Agric*. dicit, *c. 6. §. 1.* quod duxerit Domitiam Decidianam, quod matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuit. Robur autem in magnis viris odiſſe Tyranni ſolent. Atque ob hoc matrimonio-

moniorum robur in Anglia eſt inſtitutum, ne, qui ſunt majoris nobilitatis, poſſint uxorem ducere abſque conſenſu Regis. Et in Rep. Romana nonnunquam id obtinuiſſe, ſuſpicio ex loco TACITI *l. 2. A. c. 37. §. 6.* ubi Hortalus dicit, ſe juſſu D. Auguſti uxorem duxiſſe.

VIII. §. 13. *Accuſatores & exploratores ubiq; habent.* Crudeliſſimi nimirum Principes, quia ubique metuunt, pro prudentia habent, ut ubique ſint præſentes. Quod quia impoſſibile eſt, talibus utuntur miniſtris, qui omnia eis referant, qui ſunt exploratores. Quia accuſare infra Majeſtatem, & conjunctum cum invidia Tyrannorum eſſet, accuſatores quoque fovere imprimis ſolent. Quibus artibus ſimilis Hiſpanica inquiſitio, quæ quamvis propter religionem ſolùm inventa ſit, ſæpè tamen eâ opes vel maximè Catholicorum corripiuntur. Optimè Trajanus cum his egit, qui teſte PLINIO *in Panegyr. c. 34.* accuſatores navibus impoſitos mari ſine gubernaculo & remis commiſit.

IX. §. 14. *Diſcordias inter cives excitant & fovent.* Quin & inter Aulicos proprios ſæpè eaſdem procurant. His enim diſſenſionibus fit, ut nihil occultum inter illos maneat, & ne ſit mutua diſſimulatio, ut loquitur TAC. in *Agricola c. 6. §. 3.*

X. §. 15. *Curant ut quàm pauperrimos reddant cives,* & hoc fit duabus de cauſis. 1. Ne potentes

tentes opum freti adminiculo poſſint inſurgere & nocere Tyranno 2 Ut depreſſos, ſi ita videatur, juvent, & ſic fama clementiæ utantur, ſimulq; obſtrictos ſibi & obligatos reddant. Imò infortunia nonnunquam conſultò immittere ſolent, ut occaſionem habeāt benefaciendi, & id intendiſſe Neronem, cum urbem juſſiſſet incendi, exiſtimo. Vix enim credibile eſt, quod Hiſtorici teſtantur, eum ob ſpectaculum & delectationem oculorum id fieri curâſſe.

XII. § 17. *Peregrinis magis quàm civibus fidunt.* Hæc cauſa eſt, cur tot Provinciales, tot exteri à Cæſaribus in civitatem & curiam adſciti. Domitianus quoque Criſpinum Vernam Ægyptium ad maximos honores promovit. Ars hæc etiam Hiſpanor. eſt, qui peregrinos (reſpectu locorum, in quos mittuntur,) rebus imponunt, ne cives impoſiti cum indigenis in præjudicium eorum conſentiant.

XIII. §. 18. *à Domeſticis ſibi cavent.* Ejus rei ratio eſt, quod nemini fidere velit ille, qui nemini fidem ſervat. Quale enim jus quis in alium ſtatuit, tale in ſe ſtatuiſſe videtur. *Gravibus tamen & honeſtis viris quandoq; utuntur.* Quo conſilio retinuit Tiberius Piſonem hominem liberum, qui ob accuſationes & adulationes urbe excedere volebat. Tac. *l. 2 A c. 34.* Utuntur enim iis, ubi ſine periculo Tyranni eorum eſt uſus. Sic ſub Domitiano Agricola ad maxima provectus, quia in illis exequendis animi

nimi

nimi magni viro opus erat, & obſervabat Domitianus, illum non eſſe contumacis animi, quanquam non eſſet libertatis expers. Vid. Tac *in ejus vitâ paſſim.*

Diximus §. 19. eos *qui tyranni ſunt, & tales videri nolunt, diverſa à prioribus habere arcana.* Ut enim aliud eſt eſſe, aliud videri; ita aliter agendum illis, qui ſunt, & videri nolunt, quæ diverſitas in Tarquinio Superbo, Julio, Auguſto, Tiberio Cæſaribus apparet. Ita enim de Cæſarum imperio eſt judicandum, ut reſpectu oppreſſæ populi libertatis Tyrannis ſit exiſtimandum, quanquam reſpectu neceſſitatis, ad quam tum temporis Reſp. Romana procerum diſſenſione erat devoluta, ut in unius gremio quieſcere deberet, pro bono ſit habendum imperio.

Diximus §. 20 *arcana tectorum tyrannorum peculiaria eſſe.* Inter quæ I. quod *bonorum principum oſtentant perſonam.* Boni ſc. Principes id agunt, ut imperent volentibus, quod ſi obtinere non poſſint, non tàm cogunt, quàm regunt ſuorum voluntates. Aperti autem Tyranni cogunt ad imperata vi; occulti ergo artibus quibusdam occultis cogunt, ut velint pòſt id, quod antea nolebant, nec velle debebant. Sic Auguſtus & Tiberius multa petivêre à ſenatu, quæ ſibi ipſis vi dominationis præſtare potuiſſent, quia nolebāt quaſi invitis imperare, nihilominus interim metus erat injectus Patrib9, & plu-

& plurimi in ſenatu adulatores, ut non eſſet integrum illis recuſare, aut Imperatori neceſſum, metuere repulſam. Exemplum inſigne eſt ap. TAC *l. 3 A. c. 29.*

II. §. 21. Dictum eſt, *quod ſimulent rerum communium curam.* Uſitatum id Tiberio, qui ſæpius dicit, multa ſe pericula pro Rep. ſuſtinere, cum tamen non Reip cauſa, ſed ſui commodi uſus ſit hoc civium odio. Nempe ut TRAJANUS BOCCALINUS *Italus* ait, latum eſt Reip velum, & proinde pluribus in prætextu ſervire poteſt. Ita ſæpè pro commodis ſubditorum bella ſuſcipere ſe Principes affirmant, cùm tamen revera eorum cauſas quærant, ideò ut ſuam dominationem promoveant, & exhauriant ſubditorum fortunas.

III. §. 22. *Accepti & expenſi rationem reddunt.* Bonorum Principum eſt, calculum cum imperio ponere, PLIN. *Paneg c. 20. f.* & id mali, qui boni videri volunt, agunt, benè quidem, niſi id ad malum applicarent finem. Reddunt rationem facti, ſed quod maximum; non reddunt rationem conſilii, quo tamen optimè fallunt, quia tegunt animum, qui poſtea ſerò ſpectatur.

IV. §. 23. *Tributa ſpecioſis titulis imponunt, & publicæ præcipuè utilitatis.* Aperti nimirum omnium Dominos ſe profitentur; fucati autem Tyranni titulos quærunt, cùm revera nullus ſit, præter eorum commodum.

V. § 24.

V. §. 24. *Ipſi eorumq; domeſtici cavent ſibi à contumeliis, quibus populus irritatur.* Aperti Tyranni quidvis palam agunt, etiam nihil ſibi profuturum, oſtentandæ tantùm Dominationis cauſa, quod etiam ſæpè illis nocuit. Sic Lucretiæ ſtuprum ſubvertit Tarquinium. Fucati verò nihil mali inferunt, niſi quod ad promovendum imperium faciat. Mala ergo & bona omnia, quæ agunt, cum utilitate ſuâ contendunt, indeque eſt, quod optima ſæpè edicta ſint talium Tyrannorum.

VI. §. 25. *Vitam omnem ſobriè & continenter agunt.* Vita enim privata ad commendationem publicæ facit. Sic à domo ſua Agricola exorſus, ap. TAC. in *vita c. 19.* Julius quoque & Auguſtus vitæ continentisſimæ fuerunt. Unde illud dictum Catonis: Solum Cæſarem ad evertendam Remp. ſobrium accesſiſſe, apud SVETON. in *vitâ c. 35.* Et proinde durabilius quoque eorum imperium, quàm lurconum eorum Galbæ, Othonis & Vitellii, forte quia tales invadendi ſui meliorem præbebant occaſionem.

VII. §. 26. *Religionem & Deorum cultum ſummo ardore proſequuntur.* Exinde Cæſares Pontifices quoque appellari voluêre. Nihil enim eſt, quod indigniùs populus ferat, quàm violari Deorum Majeſtatem. Sic Dionyſio plurimùm id obfuit, quod veſtimenta Deorum ſolemnia diripuiſſet. ÆLIAN. *lib. 1. V. H. c. 20.* CIC. *l. 3. de nat. Deor. n.* 84. 85.

Digitized by Google

IIX. §. 27. *Præſtantes viros omnibus humanitatis & honorum officiis proſequuntur.* Sic in multis aulis viri integerrimi ſunt, ut conſilietur tantum fama aulæ, & ut vel in ſpeciem tantum conſiliis adhibeantur. Sic in bellis Cæſaris & Pompeji Pompejus ſecum habebat Catonem, unde etiam major gratia in populo partium ejus. Fuiſſe autem cum ipſo Catonem, apparet ex verſu LUCANI *l. 1. v. 128.* Victrix cauſa Diis placuit, ſed victa Catoni.

IX. §. 28. *Vitam alicujus aut honorem per injuriam non facilè lædunt.* Si autem in vitam alicujus ſit animadvertendum, potiùs per alium id agunt: & ſi in honores, id agunt, ut prioribus detracti aliis imponantur, quibus ita abuti non poſſunt.

X. §. 29. *Neminem ad nimis magna provehunt.* Palam Tyranni in nihilum redigere & magnos viros ſolent; Fucati non item, ſed tàm exigua iis permittunt, ut iis abuti non poſſint.

XI. §. 30. *Læſos maximè cavent.* Semper enim metuendus, quem ſemel læſeris.

XII. §. 31. *Curant, ne divites egenos injuriis proſequantur.* Aliter aperti, qui diſſenſiones excitant, inter ſuos imprimis: occultì v. eas præoccupant, per eas enim alteram una pars lædit, utriq; autem parti præſidio non poſſunt eſſe, at ſi præveniant diſſenſiones, putantur utrique parti ſubveniſſe.

Diximus §. 32. Tyrannos viciſſim à ſuis circum-

cumveniri. Nimirum ut Tyrannide ſubditi, ita ambitioni Principes ſunt obnoxii, quæ potiſſimùm ab illis metuenda, qui magna acceperunt beneficia. Cujus remedium diximus, ſi annua ac diviſa ſint minorum Magiſtratuum imperia. Ideò Alexander Ægyptum in plures diviſit præfecturas, ne omnia obtinens par ipſi redderetur. ARRIA. *l.3.c.1.*§.21. Sic duo Coſs. ap. Rom. annuumq; imperium. Cujus rei fructus expreſſit Catulus Senator ap. Plutarch. dum dixit: aliquando unum Conſulem malum, vix duos, niſi Syllanis temporibus fuiſſe.

Dixeramus ſuprà §.18. *Adverſum triplex, quod à tyrannis intenditur, malum, triplici opus eſſe remedio.* Quantum enim malum eſt, tantum remedium eſſe debet. Mala itaque quæ à Tyrannis metuũtur, *præveniri* debent aut *averti. Præveniuntur*, ſi occaſionem illorum ſumma conſtantia ſubditi præcidant. Sanè Populus Romanus ſi ea conſtantiâ niſus fuiſſet, inter tot procerum diſſenſiones non tranſcripſiſſet imperiũ Cæſaribus. *Avertuntur* autem per deſperationem, qua quisq; nimis preſſus vires accipit, quas non habet. Qua quod ſub Cæſaribus Populus Rom. non ſit uſus, factum quibusdam ſvaviludiis, quibus effectum, ut Populus adhuc in libertate ſe eſſe putaret. Præterea ſpe melioris Principis jactantur ſubditi; at v malum Principem ſequitur potiùs, quàm ſpem amittat melioris futuri Principis.

Diximus §. 40. ſeqq. *non facilè malos principes pro tyrannis accipiendos* aut dejiciendos eſſe. Indoles enim animi humani id ſuadet; Nemo ſe omninò bonus. Itaque ſi in uno deficiat, non debet amittere omnium autoritatem. Benè hanc in rem PLINIUS *Paneg. c* 4. §. 5. alius in publico acceptam gloriam domi perdidit, & nullus extitit, cujus virtutes non confinio vitiorum læderentur. Et à DEO ſæpè mali Principes dati, qui ferendi. Modeſtiâ ergo opus, adverſus quam peccarunt Stoici in imperio Romano, qui nec in minimis rebus volebant Cæſaribus gratificari, inde etiam tot cædes ſub Cæſaribus irritatis. Neque etiam uſui crebræ mutationes, quia qui ſæpè mutat imperia, ipſe quoque mutationes autoritatis ſuæ experietur. Quicquid enim aliquis alicui facit, in ſe exemplum ſtatuit.

Diximus §. 45. *Ubi nihil modeſtiâ profectum & deventum ad ſummum iniquitatis, tyrannos ejici & tolli licere.* Ut enim non niſi deſperatos ad caſus urendo & ſecando utuntur medici; ita non ante exuenda obſequia, donec ad extremam deventum eſt neceſſitatem. Deus enim, cujus imago princeps eſt, vult, ut etiam iniquis pareatur. Sic pro Nabuchodonoſore Judæi Deum orant. Peccarunt itaque illi, qui malos Principes ejecêre, cum adhuc non eſſent peſſimi.

Diximus §. 48. *juſtum cauſam tollendi Tyrannos*

rannos eſſe extremum diſcrimen libertatis, quod in contemtu ſubditorum & legum verſatur, qui contemtus oritur ex proprio Tyrannis vitio, ſuperbiâ. Quod intellexit P. Romanus, qui cum vellet oſtendere, juſtam ſe cauſam expellendorum Regum habuiſſe, omnia eorum vitia ſub nomine ſuperbiæ comprehendit, & ultimum Regem Tarquinium Superbum dixit.

Diximus §. 54. *Autoritate publicâ hanc imperii mutationem inſtituendam eſſe, neq́, privatis permittendam.* Hæc adverſus Hiſpanor. & Pontificiorum quorundam ſcripta, quales Marianæ commentarii, multis in locis meritò ob id flammis exuſti. Quos omnes quare damnemus, multæ ſunt rationes. Privati enim ſæpè ſunt depravatæ opinionis. Privati ignari ſunt conſiliorum publicorum & arcanorum imperii. Privati odiſſe ſolent imperantium actiones. Exemplum Reverentiæ in Principes eſt in V. T. ubi David noluit Saulum ut ut pesſimum Principem interficere. Quem locum ubi D. Ambrosius attingit *l. 3. Offic.* quærit, cur noluerit? & reſpondet, primò habuit rationem pietatis, quia noluit in Dei unctum manum attollere; habuit quoque rationem prudentiæ, quia noluit dare exemplum ſubditis in futurum, itaque pro DEO & pro ſe fecit.

Diximus §. 57. & 58. *Non debere curare ſubditos, ſi alter Princeps eos à juramento fidelitatis ſolvat.* Ubi reſpicimus ad excommuni-

cationes Pontificum, per quas ſæpè Principes abſoluti imperii imperiis dejecti, quod tamen hodiè minùs frequens. Veneta tamen Reſp. & Eliſabetha & Jacobus VI. Anglor. Rex fuerunt excommunicati, ſed id nullo fundatur jure, quam in rem legendus Jacobi Regis Apologeticus, & quæ Paulus Venetus pro ſua ſcripſit Republicâ.

Diximus §. 59 *Sublato tyrannorum imperio præſtare formam quoq; imperii mutari.* Sic Romani cum Regibus Regium quoque exuêre imperium, adeò, ut maximum maleficium cenſeretur, ſi quis à populo Romano Rex vocatus fuiſſet. Relictum tamen nomen penes *Regem ſacrorum,* quia cum Diis inſtitutos Reges crederent, metuebant, impingere in Decreta Divinitatis, ſi nullam Regum reliquiſſent memoriam. Sed nulla vis ejus erat, ita ut nec verba ei ad populum facere liceret.

Diximus §. 62. ſeq. *ſi non expediat mutari imperii formam, mutandam eſſe familiam Principum.* Familiâ quippe mutatâ vix ullus erit vindictæ aut ultionis met9, qui ferè ex illis eſt, qui ſe referunt ad illos majores, qui aliquando è faſtigio principatus ob Tyrannidem deturbati. Ea enim ambitio magnorum Principum, ut ſæpè læſos ſe exiſtiment à ſuis, priusquam ſint nati, in majoribus. Sic Oriẽs Regibus adſvetus, ejectis Tyrannis, Regium retinuit imperium, unde tot ibidem tyrannorum imperia & expulſiones legimus. Di-

Diximus §. ult. *ejectis tyrannis decerni aliquid pro rep. & quod decretum fuerit, perpetuò ſerbari oportere.* Ita animati Romani, apud quos veluti capitale erat, de revocandis Regibus agere, unde Bruti filii ſupplicio affecti *Liv. l. 2. c. 5.* Ne enim mutationis primum exemplum alias mutationes ſecum trahat, conſtituendum eſt aliquid, quod certum ſit & immutabile. Quæ res multis in negotiis habent locum. Sic Veneti ejectis Jeſuitis, capitale conſtituerunt, ſi quis de reſtituendis illis in Senatu impoſterum ageret.

CAPUT V.

De Polyarchia ſive imperio plurium, imprimis de Ariſtocratia, ſive optimatum ſtatu, & diverſis ejus ſpeciebus.

§. I.

POſt Monarchiam ſive unius Imperium deſcriptum ſequitur illud Imperium plurium, quod Græcorum ſapientes Polyarchiam appellarunt.

§. 2. Quod qui non eſſe aut benè, ac pro utilitate publica habere ſe nō poſſe arbitrati ſunt, nimio vel amore Monarchici ſtatûs, vel ſiniſtro judicio functi

admodum falluntur. Quanquam enim, ut apud Tac. *Ann. 1. c. 12. §. 4.* eſt: Unum ſit Reipublicæ corpus, & unius animo regendum, ille unus idemq; animus inter plures poteſt obtineri, excitato ſcilicet eodem inter eos conſenſu, eademque in publico bono conſpiratione.

§. 3. Equidem multitudo omnis diſcors, rectæ Imperiorum adminiſtrationi adverſa eſt, optima tamen, ſi in unum quodammodo coaleſcit, quandoquidem neque multitudo ulla diu conſiſtere queat, niſi utilitate aliqua contineatur, ac proinde civilis quoq; ſocietas diſſipatur, quæ unitate quadam, tanquam anima, conſtat, niſi quapiã ratione multitudo unita efficiatur.

§. 4. Unio verò illa ex plurium inter ſe concordia reſultat, cùm autem concordia illa difficulter obtineri poſſit inter plures, ſuo arbitrio, judicioque relictos, ac diverſis proinde ſententiis obnoxios, excitari tamen illa ac contineri facillimè poteſt legibus certis

tis ac non movendis, in omnia, quæ ſummam imperii concernunt, definitis.

§. 5. Quanquam enim in omni Imperio utilisſimæ ſint leges, in illo plurium maximè neceſſariæ ſunt, quibus plurium animi, ut numero, ita ſtudis diverſi, unicè conciliari posſint.

§. 6. Vis igitur præcipua & pax Polyarchici omnis ſtatus ſit, ac ad ejus imprimis facit æternitatem, paucisſima, hoc eſt, ea tantùm, quæ legibus comprehendi non poſſunt, imperantium arbitrio permittere.

§. 7. Sic enim futurum eſt, ut plures iſti, quoad capita rerum, planè inter ſe conveniant, & à pluribus quaſi quoddam unius Imperium referatur, non aliter atque ex diverſis numeris collectis & conjunctis, unum aliquod, idque ſingulis majus, validiusque conficitur, quod ſummam appellamus.

§. 8. Cæterùm duæ ſunt Polyarchici omnis Imperii ſpecies, Ariſtocratia, ſive optimatum, & Democratia

ſive totius populi imperium, de quarum iſta primò nobis eſt dicendum.

§ 9. Ariſtocratia autem ea imperii forma eſt, in qua in partem civium minorem, eamque genere, cenſu, & virtute imprimis excellentem, ſuprema omnis poteſtas eſt translata, adeò, ut eam indepti, diverſis, ubi opus eſt, inter ſe muneribus & curis, in ſingulos alios ex populo, etiam genere & privatis fortunis ſimiles ſibi Imperium poſſint exercere.

§. 10. Alibi illi Senatores, alibi ordines, Patricii nonnunquam, plerunque optimates appellantur.

§. 11. Iſtorum verò certus eſt numerus, major alibi, alibi minor definitus, neque de eo certi quid licet præſcribere. Sunt quidem, qui putant, quò numero iſti fuerint pauciores, durabilem magis & pacatum eſſe optimatum ſtatum, quòd pauci faciliùs inter ſe, quàm plures, poſſint ſententiis convenire. Quibus tamen ex adverſo regere-

re

re licet, paucos faciliùs corrumpi poſſe, quàm plures, atque iterum unum ex paucis, ſi male forſan velit, & in ſe transferre omnem Imperii ſtatum, faciliùs poſſe paucos quàm plures ſuperare, atque in eos & populum Tyrannidem uſurpare. At in iſta, ubi plures præficiuntur, plura conſilia ſunt, & plus habent autoritatis, & plurium, qui illuſtris generis, & fortunæ & maximè virtutis, Imperii cupiunt eſſe participes, votis ſatisfacere licebit, inde ubi multi tales ab Imperii adminiſtratione excluſi, & paucis quibusdam ejusdem ſecum conditionis, obnoxii ſunt, facilè motus & res novæ excitantur.

§. 12. Porrò ſpecies Ariſtocratici Imperii diverſæ exiſtunt, quales quidem inter veteres etiam fuiſſe, 4. Polit. Aristoteles diſertam injicit mentionem, quibus prætermiſſis, eas modò, quæ noſtra ætate in uſu ſunt, hîc ſpectaturi ſumus.

§. 13. Sunt enim aliæ, in quibus

Digitized by Google

ex totius populi multitudine, cujuſcunque ſint conditionis, generis aut fortunæ, meliores ſummæ Rei præponuntur, quæ quidem laudatisſimæ meritò debent judicari. Non modò enim optimè in eam Rempublicam ſunt animati, in qua quoad ſupremas dignitates omnium virtutis ratio habetur, ſed & ad virtutis cultum tantò acriùs omnes animantur.

§. 14. Nemo autem exiſtimet, eas Ariſtocratici Imperii ſpecies, etiam in Democratia ſeu populari imperio eſſe: Quanquam enim id inter ſe habeant commune, quod ex tota multitudine populi delecti Imperio imponantur, id tamen intercedit diſcrimen, quod in Democratia ex populo delecti, non tàm ipſi præſint, quàm præſit populus, ex cujus mandato, arbitrio ac conſenſu omnia debent adminiſtrari, ubi verò in Ariſtocratico Imperio, ex populo delecti ad Regimen Reipublicæ vocantur, populo illi obno-

xii

xii non ſunt, ſed exercent ſupremam in ſe translatam poteſtatem.

§. 15. Sunt aliæ, in quibus, non ex totius populi multitudine, ſed tantùm certis quibusdam ejus ordinibus & claſſibus leguntur, qui ſummam Reipublicæ ſunt curaturi, in quibus nimirum aut generis tantùm aut divitiarum ratio habetur, nunquam interim excluſa nobilium aut divitum virtute, quæ ubi abeſt, & generis tantùm & divitiarum habetur ratio, vitium ejus ſtatus eſt, quem Ariſtocraticum appellamus. In his igitur aut tantùm nobiles, aut divites, aut tales, qui certum poſſident legibusque præſcriptum cenſum, ad ſupremam curam evehuntur. Atque ea quidem Reipublicæ adminiſtrandæ ratio, in qua tàm multi genere ignobiles ac tenuioris fortunæ excluduntur, turbatur facilè, niſi à nobilibus aut ditioribus quàm blandiſſimè Imperium exerceatur.

§. 16. Sunt & aliæ, in quibus ut au-

toritate, ita honore, loco,& reverentia optimates omnes inter ſe ſunt pares; Sunt etiam, in quibus unus aliquis Principis nomine atque inſignibus ſupra cæteros excellit, in quo uno externa ſpecies Majeſtatis totius Reipublicæ repræſentatur, ita, ut vis interim ejus penes omnes maneat, unusque ille non majoris, quàm cæteri ſunt, autoritatis exiſtat.

§. 17. Ex quo quidem manifeſtè apparet, Ariſtocratica quædam imperia exiſtere, & eo nomine meritò appellanda eſſe, in quibus tamen Regium nomen & Regia inſignia, ut in Monarchico ſtatu inveniuntur. Non enim ex nomine aut externis inſignibus, ſed ſupremæ autoritatis vi, prout illa penes unum, aut inter plures diviſa eſt, de Monarchicis & Ariſtocraticis Imperiis eſt judicandum.

§. 18. Quænam verò ex iſtis Ariſtocratiæ formis debeat cenſeri optima, non una omnium ſententia eſt. Ex rationis

Digitized by Google

tionis tamen præſcripto ita fuerit judicandum: divitias quidem & nobilitatem ad augendum publicum ſplendorem, externamque pompam admodum eſſe comparatas, nihil tamen ſolas ad rectam cordatamque Reip. conferre adminiſtrationem. Populum verò quod ſpectat, cujus nonnulli in Ariſtocratico ſtatu habuêre rationem cum optimatibus, illo conjuncto aliter fieri non poteſt, quin ex diverſitate fortunæ, diverſa quoque conſtitutione judiciorum ſæpè numero atrociſſimi motus, ſemper autem exiſtant partium diſſenſiones, itaque eam Ariſtocratiæ optimam formam exiſtimamus, in qua in deferenda ſuprema dignitate præcipuè ad magnitudinem & excellentiam ejus virtutis attenditur, quæ non tantùm bonum virum, bonum civem, ſed bonum etiam Magiſtratum conſtituit. Ea enim virtus in Ariſtocratia totius imperii caput eſt, unde & ab ea huic imperio factum cognomentum.

§.19. Nec

Digitized by Google

§.19. Nec tamen ideò poſtponimus opum & generis rationem, namq; ita ſtatuendum, bonos diviteſq; ſimul & generoſos illis, qui tantùm boni aut divites, præponi oportere; nam ut in virtute omnia ſunt, quæ ad imperii ſpectant æquitatē; ita in generis ſplendore & magnitudine opum maxima præſidia ſunt civilium virtutum. Eſt enim ex imperantium generis gloria plùs in Remp. dignitatis; eſt etiam in opibus imperantium, quæ ærarium Reip. reſpectu ſuſtentandæ eorum neceſſariæ pompæ ſublevare poſſunt. Ad pacem quoq; publicam id plurimùm facit. Si enim tantùm optimi ſummæ Reip. præficerentur, excluſis optimis præter virtutem nobilitate & divitiis inſtructis, hi ob natam ex contumelia indignationem in præſidiis virtutis præſidium occupandæ dominationis collocarent.

§.20. Atque ita inſtitutis optimatibus eorum tanquam optimorum, non populi ſuffragio ſuffectio aliorum e-

lectio-

lectioque tribui debet; Nam id non eſſet agnoſcere præſentem Reip. formam & tueri, ſi aliquæ hîc eſſent populi partes, cùm ſummi imperii loco ſit conferre ſummas imperii dignitates. In hac verò electione nihil dandum factionibus, per quas quarundam tantùm familiarum, quibusdam paris loci excluſis, ratio habetur: id enim ad concitandos motus, & adeò à poſtpoſitis ſubvertendum ſtatum optimatum plurimùm facit.

§. 21. Expedit etiam perpetuam Optimatum adminiſtrationem eſſe, quàm mutari: namque mutatio factionibus latisſimum aperit campum, dum quisque, quod ſit vacuum, mutatione ſibi deberi arbitratur. Quod de ſupremo imprimis accipiendum optimatum ſenatu. Is enim perpetuus & quoad imperantium perſonas immotus eſſe debet. Aliter enim judicandum de aliis ſupremis adminiſtrationibus, in quibus unus aut pauci optimatum occupen-

cupen-

cupantur, in queis perſonæ etiam mutandæ, ne ſoli in iis & à cœteris diviſi ea acceptarent, quæ cum cœteris conjuncti, neutiquam ſibi poſſent præſtare. Sed interea hic ſumma lex mos patriæ & munimentum tutiſſimum libertatis, ex cujus præſcripto diverſas inter nationes diverſa optimatibus imperia mutabilia aut æterna permittuntur.

EXPLANATIO.

DIximus §. 1. & 2. *Polyarchiam* eſſe, ubi *plures ſummæ rerum proponuntur.* Eſſe autem tales experientia probat, & docet, & eſſe poſſe bonas ratio oſtendit. Negat tamen id MACHIAVELLUS eo argumento, quod nulla ſit concordia inter pares potentiâ, & ſic nihil poſſit pro communi bono decerni. Sed hoc inde non ſequitur. Nam hîc attendendum 1. *ad numerum plurium.* Hoc reſpectu plures non poſſent benè adminiſtrare, cùm tamen optimè ratio conſtet, ſi uni reddatur, ut ap. TAC. inquit *Salluſtius l. 1. A. c. 6.* 2. *ad conſenſum*, per quem plures ad eundem ſcopum tendunt. Poſſunt itaq; plures unius imagine imperare, & tamen uni quaſi redditur imperandi ratio, cum omnes tanquam unus, & unius Imperii omnes habeant rationem.

Mu-

Munia ergò plurium pariter imperio fungentium dupliciter conſideranda. *1. Reſpectu ipſorum inter ſe*, & *2. reſpectu ſubditorum*. *Reſpectu ipſorum inter ſe* ut *conjuncti* ſunt & *dujuncti*. *Conjuncti* quidem ita, ut quoad ſententiam, ſcopum imperandi, ac finem planè inter ſe conveniunt, & omnes unum referentes magiſtratum, unum & eundem imperandi habent animum, unam & eandem imperandi poteſtatem & voluntatem. *Disjuncti* ita, ut, cum variæ ac diverſæ ſint ſupremæ Reip. partes, munia inter ſe dividant, & adminiſtrationem, ut ordinem ſuum & locum pro donorum & meritorum in Remp. ratione quisque teneat, ut denique in deliberationibus ordine quisque conſiliorum ſuorum exponat rationem, ex quibus omnibus una omnium & communis ſententia conſtituatur. Ut enim in ædium ſtructura diverſæ ſunt partes, diverſi uſus, quæ cum ſibi invicem in abſolvenda ſtructura reſpondeant, pro iisdem ferè, & quanquam diverſæ & diviſæ ſunt, pro conjunctis habētur. Ut etiam diverſæ corporis partes, diverſarumque formarum, earum tamen actiones ad totius diriguntur conſervationem: ſic dum multi optimates unum Reip. bonum intendunt, pro uno quaſi habentur Magiſtratu. *Reſpectu ſubditorum* conſiderandi ſunt, ut *conjuncti* & *disjuncti*. *Conjuncti*, ut omninò ſtatuere poſſint ſubditi, ſe non multos habere Dominos, ſed multos quidem nume-

numero Principes, amore tamen & affectu omnium in ſubditos pari unum. *Dejuncti*, ut, quandocunque occaſio rerum & neceſsitas id expoſcit, unum dignitate & peritia præ cæteris pollentem ex ordine ſuo eligant, qui quaſi Monarcha, & ad quem omnes tum reſpiciant, locum tueatur, quod ubi bella gerenda ſunt, cum unum tantùm Imperatorem eſſe expediat, non alibi, in his Rerump. formis locum habet. Hujus enim conjunctionis & disjunctionis uſus ad ſubditos referri debet. Conjunctione enim fit, ut licet diverſæ ſint perſonæ, non diverſæ earum ſententiæ, ne vacuum inde aliquod in Rep. relinquatur, quo ante tempora Cæſarum Romani non reſpexerunt. Disjunctione autem fit, ut unus inter cœteros dignitate præcellens Reip. neceſsitati provideat, qui tamen omnia ad ejus incrementa dirigere debet, & dirigere tenetur. Malè ergo Cæſar, Pompejus, Sylla, Cinna omnia ad imperium trahebant ſuum, quo extirpata eſt Polyarchia Romana.

Diximus §. 4. & 5. *In Polyarchico* præcipuè *ſtatu neceſſarias eſſe* bonas *leges*. Contra quod præceptum profectò peccatum à *Romanis*, qui quoad fundamentum imperii omnia potiùs Magiſtratibus quàm legibus fidebant. *Veneti* meliùs, qui ab initio leges conſtituerunt, quæ hactenus immotæ adverſus ſuorum ambitionem & externam invidiam ſtetêre.

Diximus §. 8. *Duas eſſe Polyarchiæ ſpecies,* *Ari-*

Ariſtocratiam & *Democratiam*. Ac primâ quidem fronte duo iſti Reip. ſtatus vix commodè diſtingui poſſe inter ſe videntur. Nam in utroque pauci ſunt præpoſiti rerum ſummæ, in Ariſtocratico pauci optimates;in Democratico pauci ex populo delecti, interea immane inter utrumque diſcrimen. Cum enim populum in Democratia vocamus, quotquot ſunt, omnes; cùm in Ariſtocratia Optimates, partem tantùm populi notamus. In Democratia pauci omnium nomine, in Ariſtocratia pauci, ſed ſuo nomine denotantur. Pauci hi in Democratia non ſibi, ſed toti populo adminiſtrationis atq; rerum ſuarum judicium debent; Optimates verò aliorum ſecuri & ſibi ſolis pares ſatis habent, ſi ſibi ipſis de ſe & publicis actionibus judicium relinquant. Ita non perſonæ, ſed & ipſum imperium ejuſque modus palàm hîc inter ſe diſtingvuntur. Porrò autem *Ariſtocratia dupliciter conſideranda,* habito *reſpectu* ad eos, *qui imperant*, & *qui obſequuntur*. Quod Optimates imperantes concernit, ita de iiſdem ſtatuendum: quandoquidem intermedii ſunt inter Principem & Populum, propiùs tamen à principum, quàm populi imperio abſunt. Ipſa quippe adminiſtrationis ratio hoc evincit. Cùm enim minùs libertatis ſub Principibus, quàm totius populi imperio ſit, optimates non quidem ſinguli, ſed omnes juncti veluti Principes quidam ſunt,

ſunt, & propemodum par ſubditorum conditio ſub optimatibus quàm ſub unius Principis eſt imperio, niſi quod libentiùs & faciliùs, pro utilitate ſua expeditiùs ſubditi ſe relinquant virtutibus judiciisque multorum, quàm unius. Quod enim providere unus aut ſolus non poteſt, alter velut in partem curarum bono Reip. vocatus providet & impendit, unde maximè laudabilem hanc Reip. formam exiſtimamus & optimam ARISTOT. appellat. Cæterùm ut in omni ſtatu Polyarchico, ita in Ariſtocratico pręprimis bonas eſſe leges convenit. Eſt autem & vocatur bona conſtitutio legum non quatenus ex æquitatis & virtutis dictamine tanquam optimæ conſtitutæ ſunt leges, ſed quod ita conſtitutis debitum obſequiū defertur. Quamobrem in omni hac Ariſtocraticarū legum conſtitutione duo ſunt obſervanda 1. *ut, qui ſunt in Rep. legibus parere velint. 2. ut ipſæ, quibus parent, leges optimè conſtitutæ ſint atq; excogitatæ.* Nam, ut non raró fit, ut bonæ ſint leges, & nemo eis pareat, ita & evenire poteſt, ut legibus quidem omnes pareant, & tamen nihil magis propterea ſint bonæ. Videtur autem maximè conveniens eſſe Reip., quam tenent optimates, ut in ea optimæ & exquiſitisſimæ ſint leges: namque in Monarchia non tàm æquitas quàm unius voluntas eſt, in Democratia propter multitudinem & varietatem conſiliorum potiùs confuſio quædam, quàm rectè & ex ordine

dine conſtitutæ leges eſſe videntur. Proprium igitur & peculiare quid optimatum eſt, non ſe ſibi ſeorſim, ut Principes, non aliis extra ſe, ut illi, qui ex populo electi, ſed ſibi ſuorumq; ſuffragiis accommodare ſeſe, atque ita diſponere acceptam poteſtatem, ut iſti, qui parent, nec dominationem unius, nec confuſionem tanquam omnium experiri videantur. Ex quibus apparet, quid de ſubditis Ariſtocratici ſtatûs ſtatuendum: Namq; liberiores ſunt, quàm ſi à principibus, pacatiores quàm ſi à populo regerentur. Parent, ſed ita, prout vident æquitati congruum eſſe: quam æquitatem præſtant illi, quibus imperium delatum in cœteros, quo pacto parere fermè idē eſt quod imperare. Quando enim leges benè ſunt conſtitutæ (uti tales hîc deſideramus) nemo ignorat ad parendum ſe obſtringi, nemo eſt, qui ſibi ipſi ſponte ſua veluti imperium ad obſequendum non imponat; quippe unusquisq; id, quod videt bonum eſſe, amat, nec amat tantùm, ſed per obſequium amplecti etiam conatur.

Diximus §. 12. *Ariſtocratiæ diverſas quasdam eſſe ſpecies*, quarum prima eſt, in qua viri ex amuſſim boni, ſpectatæ virtutis & integritatis ſola ejus habita ratione gubernant, atq; dominantur, in qua proinde fit, ut idem dicatur eſſe, & ſit bonus vir, bonus civis, bonus Reip. adminiſtrator, adeoq; in ejusmodi ad imperium vocandis nulla fortunæ, nulla generis, nulla divi-

divitiarum, ſed tantummodò boni animi & excellentisſimarum quarumvis virtutum habeatur ratio. Sed quia rari in mundo boni, faciliùs eſt, hanc deſcribere quàm invenire.

Diximus § 15 præter illam primam *alias* quoque *dari Ariſtocratiæ ſpecies*, ubi tamen nunquam excludenda ſit virtus. Omnis enim Ariſtocratia ſemper virtutem intendere debet, quæ anima eſt ejus imperii, ſed præter hæc reſpiciunt quædam opes, genus, populum, quo reliquæ formæ à prima differunt. Exemplum Ariſtocratiæ ex poſteriore genere eſt ap. *Carthaginenſes*, in quorum Rep. occurrebat Ariſtocratia, quia virtute præditi, Democratia quia è populo, Oligarchia, quia divites & pauci eligebantur ad Magiſtratus gerendos. Et *Batavor.* Reſp. ferè ad iſtam Ariſtocratiæ ſpeciem accedit. Nam & virtutis, & opum, & populi habetur ratio, unde in antiquisſimis conſtitutionibus Principum duo dicuntur de ſcabinis & conſulibus, debere eos ditisſimos è populo eſſe, & optimos. Erat quoque apud Spartanos quædam Ariſtocratiæ ſpecies; quorum Reſp. conſtitit ex Ariſtocratia, quia optimorum, & Democratia, quia inter optimos populi ratio potiùs habita quàm nobilium.

Diximus §. 18. & 19. optimam hanc formarum iſtarum eſſe, quæ virtutem reſpicit, non poſtponendas tamen opes & generis ſplendorem, ita tamen ut primario ad bonos attendatur.

datur. Bonum verò in publicis conſiliis non ita conſiderandū, prout eſt in animo uniuscujusque, ſed quatenus hoc bonum commodum in Remp.confert. Itaque præſidiis opus virtutis, quæ in opibus & dignitate generis, quo referendum illud, quod ARIST. in *Ethicis* ait: Pauperem quidem liberalem eſſe, reſpectu animi & affectus benefaciendi, ſed magis liberalem eſſe, qui cum ſit opibus præditus, reipſa declarat liberalitatem. Hoc inſtitutum fuit Romanorum, qui eligebant ſuos Conſules & Prætores, qui tamen nihil ex publico habebant. Et hodiè ap. Batavos Scabini & Conſules nullum accipiunt ſtipendium, quod ipſum PLATO quoque ſuadet *in 1. de LL.*

Diximus §. 20. electionem & ſuffectionem aliorum optimatibus permittendam. Nihil interim dandum factionibus, quarum vi quarundam tantùm familiarum ratio habetur. Factiones ejusmodi omne ævum tulit, & exempla malorum inde exortorum. Nam cœteri contumelia accenſi novarum rerum occaſionem inde arripiunt, quod periculum præcipuè ibi, ubi multi nobilitate & divitiis excellunt. Qua de cauſa malè quidam ominantur Reip. Venetæ, quæ cum ingentem vim habeat divitum & nobilium, officiis & Magiſtratibus ſatisfacere non poteſt omnibus.

Diximus § 21. & ult. præſtare perpetuum eſſe optimatum imperium, quàm id mutari. Sic

ſit ap. Venetos & Genevates, quod pro arcano ejusdem Reip. habetur. Quod ipſum præcipuè de ſummo Optimatum ſenatu intelligendum. Aliter enim judicandum de illis adminiſtrationibus, in quibus unus aut pauci ex optimatibus occupantur, in quibus etiam perſonæ mutandæ. Contra apud Batavos ſummis hic ſenatus triennio ferè mutari ſolet, cum Veneti perpetuum Ducem habeant, ſed nullum inde periculum, cum Dux ſub legibus agat, iisque valdè ſit aſtricta ejus poteſtas.

CAPUT VI,

De arcanis ſeu interioribus conſiliis, quibus Ariſtocraticus ſtatus, ille imprimis in quo Patricii ſoli Reipublicæ præſunt, adverſus totius plebis conjurationem, & Patriciorum ſingulorum ambitionem confirmatur.

§. 1.

ATque ita de arcanis Optimatum conſiliis eſt dicendum, quibus cavetur imprimis, ne aut in populum, aut in unum aliquem vel paucos ex Optimatibus ſuprema Imperii poteſtas devolvatur.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2. Nam niſi hæc imprimis impediantur, plebs avida libertatis, quam in occupâta vi & licentia poteſtatem conſiſtere arbitratur, & ambitio ſumma affectantium, & in ſe omnem autoritatem collegarum transferre conantium collegarum, non diu ſtabit Respublica.

§. 3. A collegis & optimatibus, ut primo loco dicam, quæ imminere poſſint diſcrimina, his ferè rationibus depelluntur.

§. 4. (I.) Sicut optimatum ſenatus immortalis eſt, in eumque ſemel adlectum, quamdiu ſupereſt, neque moveri loco promeruit, haberi oportet, ita publicæ aliæ majorisque momenti dignitates, ad tempus tantùm geſturis deferuntur.

§. 5. Ita enim futurum eſt, ut nemo ad vi invadendam publicam dignitatem autoritate abutatur.

§ 6. (II.) Quod privatam & publicam pompam & alia ejusmodi ju-

dicia ſpectat, quibus capiuntur & acquiruntur judicia vulgi, certi eorum modi, ultra quos exorbitare nemini, quamvis majoris, quàm collegæ, autoritatis, liceat, immota lege deferuntor.

§. 7. Nam hoc pacto illi fortuna majores, in judicio vulgi haud majores, quàm cæteri, habebuntur.

§ 8. (III) Arces munitas iis præſertim in locis, in quibus momentum aliquod rerum ſit, privata autoritate nemini optimarum extruere liceto.

§. 9. Sunt enim ſedes ad invadendum Imperium & aliorum inhibendam autoritatem comparata.

§. 10. (IV.) Non ipſi, neque eorum liberi cum Principis liberis matrimonium inire permittuntor.

§. 11. Talibus quippe familiis illigati, in pari cum collegis autoritate nolunt conſeneſcere, & à propinquis impulſi, eorumque robore ſuſtentati ad eadem exempla & ſumma Imperii aut ipſi impelluntur, aut Principes, quibus

Digitized by Google

quibus juncti ſunt, aut ſuos junxerunt, cupiunt promotos.

§. 12. (V.) Tituli & ejusmodi nomina & inſignia majorum, quæ ab exteris Principibus ſunt delata, non admittuntor.

§. 13. Nam iis donati ſupra pares ſe evehunt, & alii potiùs, quàm ſuæ Reipublicæ obſtringuntur.

§. 14. (VI.) Sed & publica Optimatum autoritate novi inuſitatique tituli in neminem collegarum, quamvis præ cæteris optimè meritum, conferuntor.

§. 15. Nam in plurium imperio id fixum maneat, quæ ab ſingulis Optimatum benè geſta ſunt, non in unius virtutes conferri, ſed omnium pariter auſpiciis debent æſtimari.

§. 16. (VII.) Haud plures ejusdem familiæ, quàm unus ſupremo ſenatui Optimatum interſunto, neque in majoribus dignitatibus multi ejusdem ſanguinis loco eodem, aut tempore occupantor.

 §. 17. Ali-

Digitized by Google

§. 17. Aliàs quippe ex mutua & pietate expreſſa conſpiratione animorum adverſus præſentem ſtatum Reipublicæ facilè oriri poſſunt perniciosæ conſpirationes.

§. 18. (IIX.) Certus Optimatum numerus, extra quem irrita habeantur decreta, conſulta & leges, pauciorum imprimis definitor.

§. 19. Ita enim fiet,ut pauci nihil facilè pro ſe adverſus alios decrenant, vel ſi decreverint, nullarum virium decreta ejusmodi habeantur.

§. 20 (IX.) Ubi majoris momenti curæ ſe offerunt, & rerum indoles id permittit,plures potiùs ex optimatibus, quàm unus ex iis occupantor.

§. 21. Ea enim ratio plurium præſertim optimatum Imperii eſt, ut in eo majora pluribus tutiùs quàm uni committantur.

§. 22. (X.) Nullarum nobilium familiarum, eorumque, qui in honoribus publicis olim poſiti fuêre, poſteri

ri excluduntor aut opprimuntor, quavis potiùs ratione juvantor, promoventor.

§. 23. Excluſi enim & oppreſſi cupidine vindictæ plebem adverſus rerum potientes concitaturi ſunt.

§. 24. (XI) Si cujus unius autoritas apud populum, bonis licet artibus quæſita, nimia jam facta fuerit, & cœteris formidoloſa, non tàm indicto Oſtraciſmo, Græcorum olim majoribus laudato, aut aliis ejuscemodi iniquis modis, ſed eo in poſterùm in his, in quibus gerendis, aut acceptam autoritatem augere, aut accepta abuti poſſet, non occupando cœteri optimates occurrunto.

§. 25. Ut enim nocere nunquam poſſunt Reipublicæ ſummæ eam adminiſtrantium virtutes, ita facilè nocere poteſt, præſertim in plurium optimatum Imperio, in quo de ſingulis paria expedit eſſe judicia ſubditorum major fama ex iis reportata.

§. 26. (XII.) Denique ubi ea placuit Ariſtocratici Imperii forma, in qua penes unum, quaſi Principem, reſidet ſpecies & pompa externa Majeſtatis, accuratis ſingularibusque & ad augendum, & ad confirmandum optimatum ſtatum comparatis legibus, veluti vinculis, facilè vincire auſuris, ejus ambitionem cæteri conſtringunto.

§. 27. Leges enim & inſtituta, quæ uni alicui in plurium Imperio plurima permittunt, ne quis ea in perniciem convertat libertatis, aliis continuò frænari debent & cohiberi.

§. 28. Atque his quidem ita ſe habentibus inter ſe Patricii ſecuritatem ſibi poſſunt polliceri.

§. 29. Quare jam reſtat, ut ea quoque, quibus plebis adverſus patricios conjurationes præveniri poſſunt, perſequamur, quæ quidem, omiſſis iis, quæ Ariſtoteli memorata olim politicum uſum habuerunt, præcipua iſta ſeſe offerunt.

§. 30.

§. 30. (I.) Patricii cum plebejis matrimonia non ineunto, aut ſi inierunt, aditus eis ad honores præcluſus eſto.

§. 31. Ejusmodi enim imparibus connubiis fit, ut quæ patriciis ſolis debita ſunt, plebs ſibi etiam deberi arbitretur, & per patricios ad ſummam rerum irrepat, & dignitas ac æſtimatio patriciorum haud parùm imminuatur.

§. 32. (II.) Injurias ac contumelias Patriciis à plebejis illatas ſeveriſſimè vindicanto.

§. 33. Ita enim in ſingulis metu pœnæ omnium autoritas conſervatur.

§. 34. (III.) Injuriæ & contumeliæ à Patricio plebejo illatæ haud minùs ſeverè puniuntor.

§. 35. Quisque enim odit, mutatumque cupit eum Reipublicæ ſtatum, ubi imperantium ſuperba & iniqua ingenia ſubditi experiuntur.

§. 36. (IV.) Patricii, qui jam rerum potiuntur, difficillimis quantumvis temporibus, ſedem Imperii & curas non deſerunto.

§.37. Aliàs enim plebs quaſi vacuam Rempublicam eſt invaſura.

§.38. (V.) Si quæ patriciæ familiæ imminuantur, atque ad pudendam paupertatem dilabantur, publica liberalitate ſuſtentantor, & ad tollendos liberos ea ratione invitantor.

§. 39. Sic enim qui Rempublicam gerere posſint, non facilè ſunt defuturi.

§. 40. (VI.) In Patriciorum nobilium, vel equeſtrem ordinem, nunquam aut rarò ob exquiſitisſima merita plebeji cooptantor, atque ab exteris Principibus cooptati, ſupremorum tamen honorum gerendorum capaces non agnoſcantur.

§. 41. Aliàs enim plebeji emendicato aut empto nobilium titulo circumveſtiti, veris patriciis tandem exclusis & ſuperatis totam tandem Rempublicam nullo ſibi negotio vindicabunt.

§. 42. (VII.) Prædia nobilium, ex quibus hac ætate nomina & tituli deſumun-

Digitized by Google

ſumuntur, quocunque tandem titulo plebejis posſidere non liceto.

§. 43. Si enim aliter hoc fiat, progreſſu temporis plebejorum poſteri, iisdem nominibus aſſumtis pro Patriciis ſeſe incipient venditare.

§. 44. (IIX.) Sed & nobilium familiarium cenſores, quos Heroldos vulgò nunc vocant, conſtituuntor, hique ſingulorum ex iis matrimonia ac poſteros cum cura ac fide annotanto.

§. 45. Ea quippe ratione futurum eſt, ut veri à falſis patriciis nobilibusque ſtatim dignoſcantur.

§. 46. (IX.) Plebejorum invicem conventus non admittuntor, aut ſi admittere ſubinde neceſſum ſit, quidam ex patriciis Magiſtratibus iis præſunto.

§. 47. Hoc enim pacto multitudinis adverſus patricios conjurationes commodisſimè præveniuntur.

§. 48. (X.) Si quæ patriciorum inter publica conſilia extiterint diſſenſiones, illæ in vulgus non propa-

ſunt, & propemodum par ſubditorum conditio ſub optimatibus, quàm ſub unius Principis eſt imperio, n ſi quod libentiùs & faciliùs, pro utilitate ſua expeditiùs ſubditi ſe relinquant virtutibus, judiciisque multorum, quàm unius. Quod enim providere unus aut ſolus non poteſt, alter velut in partem curarum bono Reip. vocatus providet, & impendit, unde maximè laudabilem hanc Reip. formam exiſtimamus & optimam ARISTOT. appellat. Cæterùm ut in omni ſtatu Polyarchico, ita in Ariſtocratico pręprimis bonas eſſe leges convenit. Eſt autem & vocatur bona conſtitutio legum non quatenus ex æquitatis & virtutis dictamine tanquam optimæ conſtitutæ ſunt leges, ſed quod ita conſtitutis debitum obſequiũ defertur. Quamobrem in omni hac Ariſtocraticarũ legum conſtitutione duo ſunt obſervanda 1. *ut, qui ſunt in Rep. legibus parere velint. 2. ut ipſæ, quibus parent, leges optimè conſtitutæ ſint atq; excogitatæ.* Nam, ut non rarò fit, ut bonæ ſint leges, & nemo eis pareat, ita & evenire poteſt, ut legibus quidem omnes pareant, & tamen nihil magis propterea ſint bonæ. Videtur autem maximè conveniens eſſe Reip., quam tenent optimates, ut in ea optimæ & exquiſitisſimæ ſint leges: namque in Monarchia non tàm æquitas quàm unius voluntas eſt, in Democratia propter multitudinem & varietatem conſiliorum potiùs confuſio quædam, quàm rectè & ex or-

dine

dine conſtitutæ leges eſſe videntur. Proprium igitur & peculiare quid optimatum eſt, non ſe ſibi ſeorſim, ut Principes, non aliis extra ſe, ut illi, qui ex populo electi, ſed ſibi ſuorumq; ſuffragiis accommodare ſeſe, atque ita diſponere acceptam poteſtatem, ut iſti, qui parent, nec dominationem unius, nec confuſionem tanquam omnium experiri videantur. Ex quibus apparet, quid de ſubditis Ariſtocratici ſtatûs ſtatuendum: Namq; liberiores ſunt, quàm ſi à principibus, pacatiores quàm ſi à populo regerentur. Parent, ſed ita, prout vident æquitati congruum eſſe: quam æquitatem præſtant illi, quibus imperium delatum in cœteros, quo pacto parere fermè idē eſt quod imperare. Quando enim leges benè ſunt conſtitutæ (uti tales hîc deſideramus) nemo ignorat ad parendum ſe obſtringi, nemo eſt, qui ſibi ipſi ſponte ſua veluti imperium ad obſequendum non imponat; quippe unusquisq; id, quod videt bonum eſſe, amat, nec amat tantùm, ſed per obſequium amplecti etiam conatur.

Diximus §. 12. *Ariſtocratiæ diverſas quaſdam eſſe ſpecies*, quarum prima eſt, in qua viri ex amuſſim boni, ſpectatæ virtutis & integritatis ſola ejus habita ratione gubernant, atq; dominantur, in qua proinde fit, ut idem dicatur eſſe, & ſit bonus vir, bonus civis, bonus Reip. adminiſtrator, adeoq; in ejusmodi ad imperium vocandis nulla fortunæ, nulla generis, nulla divi-

divitiarum, ſed tantummodò boni animi & excellentisſimarum quarumvis virtutum habeatur ratio. Sed quia rari in mundo boni, faciliùs eſt, hanc deſcribere quàm invenire.

Diximus §. 15 præter illam primam *alias* quoque *dari Ariſtocratiæ ſpecies*, ubi tamen nunquam excludenda ſit virtus. Omnis enim Ariſtocratia ſemper virtutem intendere debet, quæ anima eſt ejus imperii, ſed præter hæc reſpiciunt quædam opes, genus, populum, quo reliquæ formæ à prima differunt. Exemplum Ariſtocratiæ ex poſteriore genere eſt ap. *Carthaginenſes*, in quorum Rep. occurrebat Ariſtocratia, quia virtute præditi, Democratia quia è populo, Oligarchia, quia divites & pauci eligebantur ad Magiſtratus gerendos. Et *Batavor.* Reſp. ferè ad iſtam Ariſtocratiæ ſpeciem accedit. Nam & virtutis, & opum, & populi habetur ratio, unde in antiquisſimis conſtitutionibus Principum duo dicuntur de ſcabinis & conſulibus, debere eos ditisſimos è populo eſſe, & optimos. Erat quoque apud Spartanos quædam Ariſtocratiæ ſpecies; quorum Reſp. conſtitit ex Ariſtocratia, quia optimorum, & Democratia, quia inter optimos populi ratio potiùs habita quàm nobilium.

Diximus §. 18. & 19. optimam hanc formarum iſtarum eſſe, quæ virtutem reſpicit, non poſtponendas tamen opes & generis ſplendorem, ita tamen ut primario ad bonos attendatur.

datur. Bonum verò in publicis conſiliis non ita conſiderandū, prout eſt in animo uniuscujusque, ſed quatenus hoc bonum commodum in Remp.confert. Itaque præſidiis opus virtutis, quæ in opibus & dignitate generis, quo referendum illud, quod ARIST. in *Ethicis* ait: Pauperem quidem liberalem eſſe reſpectu animi & affectus benefaciendi, ſed magis liberalem eſſe, qui cum ſit opibus præditus, reipſa declarat liberalitatem. Hoc inſtitutum fuit Romanorum, qui eligebant ſuos Conſules & Prætores, qui tamen nihil ex publico habebant. Et hodiè ap. Batavos Scabini & Conſules nullum accipiunt ſtipendium, quod ipſum PLATO quoque ſuadet *in 1. de LL.*

Diximus §. 20. electionem & ſuffectionem aliorum optimatibus permittendam. Nihil interim dandum factionibus, quarum vi quarundam tantùm familiarum ratio habetur. Factiones ejusmodi omne ævum tulit, & exempla malorum inde exortorum. Nam cœteri contumelia accenſi novarum rerum occaſionem inde arripiunt, quod periculum præcipuè ibi, ubi multi nobilitate & divitiis excellunt. Qua de cauſa malè quidam ominantur Reip. Venetæ, quæ cum ingentem vim habeat divitum & nobilium, officiis & Magiſtratibus ſatisfacere non poteſt omnibus.

Diximus § 21. & ult. præſtare perpetuum eſſe optimatum imperium, quàm id mutari. Sic

ſit ap. Venetos & Genevates, quod pro arcano ejusdem Reip. habetur. Quod ipſum præcipuè de ſummo Optimatum ſenatu intelligendum. Aliter enim judicandum de illis adminiſtrationibus, in quibus unus aut pauci ex optimatibus occupantur, in quibus etiam perſonæ mutandæ. Contra apud Batavos ſummis hic ſenatus triennio ferè mutari ſolet, cum Veneti perpetuum Ducem habeant, ſed nullum inde periculum, cum Dux ſub legibus agat, iiſque valdè ſit aſtricta ejus poteſtas.

CAPUT VI,

De arcanis ſeu interioribus conſiliis, quibus Ariſtocraticus ſtatus, ille imprimis in quo Patricii ſoli Reipublicæ præſunt, adverſus totius plebis conjurationem, & Patriciorum ſingulorum ambitionem confirmatur.

§. 1.

ATque ita de arcanis Optimatum conſiliis eſt dicendum, quibus cavetur imprimis, ne aut in populum, aut in unum aliquem vel paucos ex Optimatibus ſuprema Imperii poteſtas devolvatur.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2. Nam niſi hæc imprimis impediantur, plebs avida libertatis, quam in occupâta vi & licentia poteſtatem conſiſtere arbitratur, & ambitio ſumma affectantium, & in ſe omnem autoritatem collegarum transferre conantium collegarum, non diu ſtabit Respublica.

§. 3. A collegis & optimatibus, ut primo loco dicam, quæ imminere poſſint diſcrimina, his ferè rationibus depelluntur.

§. 4. (I.) Sicut optimatum ſenatus immortalis eſt, in eumque ſemel adlectum, quamdiu ſupereſt, neque moveri loco promeruit, haberi oportet, ita publicæ aliæ majorisque momenti dignitates, ad tempus tantùm geſturis deferuntur.

§. 5. Ita enim futurum eſt, ut nemo ad vi invadendam publicam dignitatem autoritate abutatur.

§ 6. (II.) Quod privatam & publicam pompam & alia ejusmodi judicia

dicia ſpectat, quibus capiuntur & acquiruntur judicia vulgi, certi eorum modi, ultra quos exorbitare nemini, quamvis majoris, quàm collegæ, autoritatis, liceat, immota lege deferuntor.

§. 7. Nam hoc pacto illi fortuna majores, in judicio vulgi haud majores, quàm cæteri, habebuntur.

§ 8. (III) Arces munitas iis præſertim in locis, in quibus momentum aliquod rerum ſit, privata autoritate nemini optimarum extruere liceto.

§. 9. Sunt enim ſedes ad invadendum Imperium & aliorum inhibendam autoritatem comparata.

§. 10. (IV.) Non ipſi, neque eorum liberi cum Principis liberis matrimonium inire permittuntor.

§. 11. Talibus quippe familiis illigati, in pari cum collegis autoritate nolunt conſeneſcere, & à propinquis impulſi, eorumque robore ſuſtentati ad eadem exempla & ſumma Imperii aut ipſi impelluntur, aut Principes, quibus

quibus juncti ſunt, aut ſuos junxerunt, cupiunt promotos.

§. 12. (V.) Tituli & ejusmodi nomina & inſignia majorum, quæ ab exteris Principibus ſunt delata, non admittuntor.

ſ. 13. Nam iis donati ſupra pares ſe evehunt, & alii potiùs, quàm ſuæ Reipublicæ obſtringuntur.

ſ 14. (VI.) Sed & publica Optimatum autoritate novi inuſitatique tituli in neminem collegarum, quamvis præ cæteris optimè meritum, conferuntor.

§. 15. Nam in plurium imperio id fixum maneat, quæ ab ſingulis Optimatum benè geſta ſunt, non in unius virtutes conferri, ſed omnium pariter auſpiciis debent æſtimari.

ſ. 16. (VII.) Haud plures ejusdem familiæ, quàm unus ſupremo ſenatui Optimatum interſunto, neque in majoribus dignitatibus multi ejusdem ſanguinis loco eodem, aut tempore occupantor.

§. 17. Aliàs quippe ex mutua & pietate expreſſa conſpiratione animorum adverſus præſentem ſtatum Reipublicæ facilè oriri poſſunt perniciosæ conſpirationes.

§. 18. (IIX.) Certus Optimatum numerus, extra quem irrita habeantur decreta, conſulta & leges, pauciorum imprimis definitor.

§. 19. Ita enim fiet,ut pauci nihil facilè pro ſe adverſus alios decrenant, vel ſi decreverint, nullarum virium decreta ejusmodi habeantur.

§. 20 (IX.) Ubi majoris momenti curæ ſe offerunt, & rerum indoles id permittit,plures potiùs ex optimatibus, quàm unus ex iis occupantor.

§. 21. Ea enim ratio plurium præſertim optimatum Imperii eſt, ut in eo majora pluribus tutiùs quàm uni committantur.

§. 22. (X.) Nullarum nobilium familiarum, eorumque, qui in honoribus publicis olim poſiti fuêre, poſteri

ri excluduntor aut opprimuntor, quavis potiùs ratione juvantor, promoventor.

§. 23. Excluſi enim & oppreſſi cupidine vindictæ plebem adverſus rerum potientes concitaturi ſunt.

§. 24. (XI) Si cujus unius autoritas apud populum, bonis licet artibus quæſita, nimia jam facta fuerit, & cœteris formidoloſa, non tàm indicto Oſtraciſmo, Græcorum olim majoribus laudato, aut aliis ejuscemodi iniquis modis, ſed eo in poſterum in his, in quibus gerendis, aut acceptam autoritatem augere, aut accepta abuti poſſet, non occupando cœteri optimates occurrunto.

§. 25. Ut enim nocere nunquam poſſunt Reipublicæ ſummæ eam adminiſtrantium virtutes, ita facilè nocere poteſt, præſertim in plurium optimatum Imperio, in quo de ſingulis paria expedit eſſe judicia ſubditorum major fama ex iis reportata.

§. 26. (XII.) Denique ubi ea placuit Ariſtocratici Imperii forma,in qua penes unum, quaſi Principem, reſidet ſpecies & pompa externa Majeſtatis, accuratis ſingularibusque & ad augendum, & ad confirmandum optimatum, ſtatum comparatis legibus, veluti vinculis, facilè vincire auſuris, ejus ambitionem cæteri conſtringunto.

§. 27. Leges enim & inſtituta, quæ uni alicui in plurium Imperio plurima permittunt, ne quis ea in perniciem convertat libertatis, aliis continuò frænari debent & cohiberi.

§. 28. Atque his quidem ita ſe habentibus inter ſe Patricii ſecuritatem ſibi poſſunt polliceri.

§. 29. Quare jam reſtat, ut ea quoque, quibus plebis adverſus patricios conjurationes præveniri poſſunt, perſequamur, quæ quidem, omiſſis iis, quæ Ariſtoteli memorata olim politicum uſum habuerunt, præcipua iſta ſeſe offerunt.

§. 30.

§. 30. (I.) Patricii cum plebejis matrimonia non ineunto, aut ſi inierunt, aditus eis ad honores præcluſus eſto.

§. 31. Ejusmodi enim imparibus connubiis fit, ut quæ patriciis ſolis debita ſunt, plebs ſibi etiam deberi arbitretur, & per patricios ad ſummam rerum irrepat, & dignitas ac æſtimatio patriciorum haud parùm imminuatur.

§. 32. (II.) Injurias ac contumelias Patriciis à plebejis illatas ſeveriſſimè vindicanto.

§. 33. Ita enim in ſingulis metu pœnæ omnium autoritas conſervatur.

§. 34. (III.) Injuriæ & contumeliæ à Patricio plebejo illatæ haud minùs ſeverè puniuntor.

§. 35. Quisque enim odit, mutatumque cupit eum Reipublicæ ſtatum, ubi imperantium ſuperba & iniqua ingenia ſubditi experiuntur.

§. 36. (IV.) Patricii, qui jam rerum potiuntur, difficillimis quantumvis temporibus, ſedem Imperii & curas non deſerunto.

§.37. Aliàs enim plebs quaſi vacuam Rempublicam eſt invaſura.

§.38. (V.) Si quæ patriciæ familiæ imminuantur, atque ad pudendam paupertatem dilabantur, publica liberalitate ſuſtentantor, & ad tollendos liberos ea ratione invitantor.

§. 39. Sic enim qui Rempublicam gerere posſint, non facilè ſunt defuturi.

§. 40. (VI.) In Patriciorum nobilium, vel equeſtrem ordinem, nunquam aut raró ob exquiſitisſima merita plebeji cooptantor, atque ab exteris Principibus cooptati, ſupremorum tamen honórum gerendorum capaces non agnóſcantur.

§. 41. Aliàs enim plebeji emendicato aut empto nobilium titulo circumveſtiti, veris patriciis tandem exclusis & ſuperatis totam tandem Rempublicam nullo ſibi negotio vindicabunt.

§. 42. (VII.) Prædia nobilium, ex quibus hac ætate nomina & tituli deſumun-

ſumuntur, quocunque tandem titulo plebejis posſidere non liceto.

§. 43. Si enim aliter hoc fiat, progreſſu temporis plebejorum poſteri, iisdem nominibus aſſumtis pro Patriciis ſeſe incipient venditare.

§. 44. (IIX.) Sed & nobilium familiarium cenſores, quos Heroldos vulgò nunc vocant, conſtituuntor, hique ſingulorum ex iis matrimonia ac poſteros cum cura ac fide annotanto.

§. 45. Ea quippe ratione futurum eſt, ut veri à falſis patriciis nobilibusque ſtatim dignoſcantur.

§. 46. (IX.) Plebejorum invicem conventus non admittuntor, aut ſi admittere ſubinde neceſſum ſit, quidam ex patriciis Magiſtratibus iis præſunto.

§. 47. Hoc enim pacto multitudinis adverſus patricios conjurationes commodisſimè præveniuntur.

§. 48. (X.) Si quæ patriciorum inter publica conſilia extiterint diſſenſiones, illæ in vulgus non propa-

lantor;ſed inter ea, quæ incognita plebi eſſe oportet,diligentisſimè habentor.

§. 49. Enimverò, niſi id fiat, Plebeji in ſtudia abituri, & Imperium, ut diviſum invaſuri ſunt.

§. 50.(XI.) Ubi id obtineri poteſt, armata plebs non eſto, & arma civium ſub patriciorum cuſtodia ſunto.

§. 51. Expedit enim, ut in plebejorum manu non ſint inſtrumenta invadendæ dominationis.

§. 52. (XII.) Quemadmodum Patricios ſingularibus quibusdam privilegiis ſupra plebejos eminere haut abſurdum eſt, ita populo gravibus non gaudento, & in judicio paribus cum plebejis ambulanto.

§. 53. Nam ſi in his quodam jure plebeji cum Patricis non contineantur, horum imperium immotum ſtabileque haud eſſe poterit vel diuturnum.

§. 54. (XIII.) Denique ad tributa & veſtigalia præſtanda ad plebejorum inſtar patricii tenentor.

§. 55. Cum

§. 55. Cum enim patriciorum agri plerique ſint & majores opes, ægrè fert reliqua multitudo ſubditorum, ſuis tantùm iisque tenuioribus fortunis ærarium publicum juvari.

§. 56. Atque hæc potisſimùm illa capita ſunt, quibus obſervatis, & cum blando Imperio conjunctis, ſuum plebi Imperium maximè probant, & adverſus quaslibet conjurationes tutiores ſemper conſiſtunt.

EXPLANATIO.

AD arcana Ariſtocratiæ nos jam vocat rerum ordo, Horum II. § 6. eſſe docuimus, ne quis ullâ in re, quæ vulgo accepta, exorbitet. Aliàs enim unius major ſit gratia, cum omnium par eſſe debeat. Ea enim natura humana, ut nemo quicquam gratis agere velit, nedum ut gratis ſit liberalis, quod in ejusmodi pompis fieri amat. Itaque procul dubio largitor habet ſcopum ſuæ liberalitatis, & eſt ſemper in hoc liberalitatis uſu corruptor & corruptus, ut ait TAC. *l.5.A. c.54.* nec immeritò has largitiones vocat LIVIUS irritamenta temeritatis apud plebem. Non excludimus tamen hanc virtutem, ſed dicimus, liberalitate & magnificen-

tia utendum pro modo honorũ & abundantiæ (ut Tac. in *Agric. c. 6.*)id autem eſt no excedere præſentem & communem cum aliis dignitatẽ, ſed eam tantam, quantã habemus, declarare & confirmare. Virtus manet,cũ ipſa preciũ ſui manet; Virtus eadem vitium eſt,ubi aliquid per eam extra virtutem quæritur & affectatur.

§. 8. Dictnm eſt optimates non debere arces extruere in locis opportunis,privatâ auctoritate. Sic Romani Valerium Conſulem in ſuſpicionem regni vocarunt, quod in Velia ædificaſſet,apud Liv. *l. 2. c.* 7. & cautum , ne quis Patricius in Capitolio aut arce habitaret,quia munitum Capitolium, quod apparet ex eo, quod defenſum adverſus Gallos.

§. 10. Matrimonia cum principum familiis prohibentur. Non ſunto itaque inter patricios, qui originem regiam, & majora optimatibus nomina in republ. poſſint crepare. Cæſar,qui Juliæ gentis erat, & originem ad primos Albanorum Reges referebat, cœteris par eſſe noluit. Athenienſes & Epheſii tales cives citiſſimè in exilium pellebant, quorum hæc lex erat : Nemo noſtrûm ſuper cœteros excellat, vel tales ſi ſint, illi apud cœteros agant. Sic omnes Tarquinii ejecti, ne ſeditionis per gentilitatem, ut ait Varro, ſpeciem haberent.

Diximus §.16. plures ejusdem familię ſupremo ſenatui intereſſe non debere, ne excitetur Respubl. in Republ, Impediendæ itaque nimiæ affi-

affinitates. Apud Venetos in conſilio Decemvirûm, & conſilio D. Marci, quod ſupremum, nulli cognati reperiuntur. In Batavia quoque ne ſcabini quidem poſſunt eſſe cognati.

§. 24. Diximus, aliquo modo removendos vel minuendos, qui jam nimiæ per rerum feliciter geſtarum gloriam facti ſunt autoritatis. Quod ne quis poſtulet iniquitatis, ſtatuendum hoc in optimatum Rep. juſtum eſſe, non reſpectu ad magnitudinem virtutis, eo enim reſpectu eſſet injuſtum, ſed reſpectu conſervandæ publicæ omnium ac paris autoritatis & libertatis. Res enim optimæ etiam peſſimæ ſunt, cum ex illis periculum eſt futurum, ut Reipubl. ſtatus commutetur. Et hæc res tanti periculi exiſtimata eſt, ut multi boni & magni viri ſibi ipſis exilium imponerent, quod Scipio Major fecit; Ut vix permittant res ſuas geſtas pro Rep. Panegyrico celebrari.

Dictum eſt §. 29. Arcana optimatum adverſus plebem eſſe abdita ſeu recondita quædam conſilia, per quæ in Republ. plebs ineſcatur, ut putet ſe habere id, quod non habet, ut imperii non amplectatur, quamvis primo complecti poſſit, adminiſtrationẽ. Plebs enim decipi mavult, quàm coli. Quæ arcana Patriciorũ ſophiſmata *l. 4. Pol. cap. 13.* ARIST. appellavit. Et olim majorem uſum habuerunt in rebusp. quàm nunc. Horum arcanorum generale in eo conſiſtit fundamentũ, ut id poſſit agere plebs, quod

quod nolit, ut velle debeant Patricii & cogantur, quæ poſſunt in Reipubl. & imperii ſummi adminiſtratione, adeò ut agendorum omnium neceſſitas patriciis impoſita ſit, non autem plebi ſeu illis, qui ſunt loci inferioris. Cæterum ad quinque capita ARIST. revocavit, ad Comitia, ad Magiſtratus, ad judicia, ad arma, ad armorum denique uſum & meditationem, de queis poſtremis §. 50. Comitia I. quod ſpectat, omnes iis ſc. omnis ordinis patricii & plebeji interſunto, ſed patricii ſi abſint, puniuntor, non item plebeji Neque enim occludenda eſt ad imperium via plebi, ſed potiùs ita excludenda, ut excludi non ſentiat, cum tamen ſenſim excludatur. Contumelioſum quippe eſt præteriri; ex quo ne ſit indignatio & odium plebis adverſum optimates, præſtat, ut ipſam ſe prætereat plebs, quàm ut à patriciis prætereatur. Hoc autem fit pœnæ beneficio, per quam ut aſtrictis Reipubl. optimatibus, ita per eam rem ſtam plebejis ad tractanda publicorum comitiorum negotia Patricii incitantur. Pœna quippe hæc remittenda plebi, ut hac fallacia veluti faſcinata operis domeſticis, inq; ſuis ſuſtentandis occupata ad comitia publica non accedat. Plebejorum enim eſt, ut magis ſatagant privatorum quàm publicorum negotiorum. Comitia autem ſunt generalis quidam conſenſus, in quo res imperii pertractantur. Ab initio ergo Rerump. plebs ab iis non eſt removenda,

venda, aliàs quot plebejos, tot hoſtes Respubl. habet. Itaque aditus ad comitia ab initio plebi permittatur, ſed ita, ut liceat abſint, non puniantur. Plebs igitur poſſe debet, ſed ita, ut ſubinde nolit, cum ratione ſocordiæ ob honores non omninò denegatos ſibi movere nihil poſſit. Sic in Republ. Romana antequam plebs ſuum haberet magiſtratum, turbas frequenter ciebat, datis tribunis tacuit, ſicque ei ſocordia ingenerata, quæ, ut ait TAC. *Agric.c.3.* inviſa initio, poſtea etiam amatur. Homines quoque plebeji potiſſimùm ad ſua attendunt, quod expreſſit TAC. *Hiſt.1.c.90.* ubi de Othonis temporibus ait, privata cuique ſtimulatione vile decus publicum fieri. Quod verò de pœnis nobilium diximus, id in Batavia obſervatur, ubi quis delatum Magiſtratum recipere tenetur, aliàs exilii pœna punitur.

2. Magiſtratus quod ſpectat & ſupremas dignitates, his qui magnum cenſum habent, renunciare Magiſtratui non liceto. Inviti igitur Patricii & nolentes ad gerendos Magiſtratus hîc compelli poſſunt ac debent. Plebs non item. Namque ſic fit, ut nunquam ſint vacui Magiſtratus. Et cum Magiſtratus omnis cum arduo quodam onere ſit conjunctus, plebs non adſtricta, ut patricii, onus id quàm maximè volet declinare. Sic Veneti gravisſimè puniunt Patricios, qui non accipiunt patrias dignitates.

3. Judicia quod ſpectat, pœnæ patriciis niſi

civi-

civibus jus dicant, decernuntor, plebi id impune eſto. Ita enim fiet, ut jurisdictionem, quæ ferè odioſa eſt, plebs nolit exercere. Jurisdictionis autem hîc magna habenda ratio, quia inibi ſæpè res & jura pertractantur, à quorum cognitione & uſu quantum fieri poteſt, infima illa plebs debet deterreri.

Patriciorum cum plebejis matrimonia interdiximus §. 30. Cum origine ferè Reip Romanæ hoc cautum in ll. XII. Tabb. & rectè obſervant patricii apud LIVIUM, hoc neglectum eſſe fomitem malorum, quia hoc ſemine nati dimidii ſunt plebis, dimidii patrum *l. 4. c. 2.* Fitque hac confuſione 1. Confuſio ſanguinis. 2. Minus agunt pro patriciis ex tali connubio orti. 3. Plebs imperium quoque pro ſua parte vult. 4. Polluuntur patricii. Id verò magnum eſt, quicquid impollutum, ut ait CIC. Ideoque apud multas gentes nobilitatẽ perdit, qui quoquo modo cum plebejis conjunctus. Ideò nec permiſſum nobilibus, vilia tractare opificia, ut vel ſic tantò magis Reip. curis indulgeant. Agricultura tamen permiſſa, ob ejus antiquitatem, & Itali nobiles ob opes mercaturam exercent. Dicat verò quis pauperes nobiles prohibitis opificiis reddi. R. ſubveniri illis publica liberalitate poſſe, juxta §. 22. & 38. Si verò deficiant, familiæ aliæ ſunt ſubrogandæ, ne per penuriam nobiliũ ad plebejos devolvatur imperium. Sic Cæſares multos in civitatũ recepe-

runt

runt, exhauſtis plurimis per bella civilia, imò ob eandem cauſam quidam hortati patricios ad procreandos liberos, uti exemplum ſuppetit Auguſti apud Tac. *l. 2. A. c. 37.*

§. 32. Diximus ſeveriſſimè vindicandas injurias patriciis illatas. Ut enim Princeps, ſic Optimates deſpectum alterius pro ſuo reputare debent.

§. 36. Cavetur, ne Senatores, Conſules & Patricii urbem deſerant. Benè ita ue Cicero reprehendit Pompejum & Pompejanos, quod fugerint Roma, & nullos urbi Magiſtratus reliquerint: Veneti quantū id obſervent, apparuit antè hos 30. circiter annos. Cum enim graviſſima peſtilentia in urbe graſſaretur, & multi nobiles in terram firmam, ut vocant, commigraſſent, publico diplomate juſſi ſunt in urbem redire, hâc pœnâ conſtitutâ, ut aliâs amitterent decus & inſignia nobilitatis. Et multi illorum, dum peſtem metuunt, nobilitatem amisêre.

Privati plebis conventus non debent admitti, juxta §. 46. Nihil enim magis in hoc ſtatu periculoſum. Tales conventus prohibiti ſunt per totum Hiſpanorum Regnum, & hoc eſt, quod Livius *l. 2. cap. 28.* dicit: Conſules veluti rem periculoſam ad patres retuliſſe, nocturnos conventus quosdam celebrare.

Arma, armorumque uſum etiam juxta *Ariſt. l. c.* plebi habere aut exercere non liceto in Republ. optimatum, ſi modo obtineri id commodè

modè poteſt, ut diximus §. 50. Patricii niſi habeant exerceantque, puniuntor; ſic enim ſit, ut hi metu pœnæ arma tractent, quibus Majeſtatem ſuam & dominationem poſſunt tueri. Plebeji arma negligant & impuniti, quippe jus omne armorum publicum eſt, non privatum.

Et hoc fundamentum patriciorum poteſtatis, quia qui arma nō habent, ſervi eorum ſunt, qui arma habent. Apud Romanos capitale ferè erat, ſi homo plebejus arma tractaret, & ita id accuratè obſervatum, ut ſeditione ſervili plebem noluerint armare. Veneti etiam id agunt, unde tàm celebratum Reipubl. hujus armamentarium, in poteſtate patriciorum eſt; Romani etiam patricios exercitari in armis imprimis volebant, præcipuè in equeſtri militia, unde poſtea ex nomine hoc militiæ factum eſt nomen dignitatis & nobilitatis: & ideò illi ipſi Romani minus ſtudiorum liberalium permisêre nobilibus, ut plus temporis & ſtudii ad arma conferrent. Et Cretenſium lex huc facit, qui prohibuerunt, ne quis arma ex ſervis tractaret, teſte PLUTARCHO.

CAPUT VII.

De vitiis Ariſtocratici ſtatus Oligarchia & Tyrannide, & ejusdem everſione, ſive in Monarchicum aut Democraticum ſtatum converſione.

§. 1.

CUm ea proximè expoſita nobis ſint, qui-

quibus recta Optimatum Reſpublica conſtituitur & confirmatur, morbos quoque ejus, ſi vitia & exceſſus, ſive converſiones videamus.

§. 2. Sunt autem in quibus maximè corruptus ille eſt, vitia imprimis duo, Tyrannis & Oligarchia.

§. 3. Neque enim tyrannis in unius tantùm, ſed & in plurium Principatu ſubinde invenitur. Eſt autem illa, cùm Optimates evertunt leges, quibus ſunt aſtricti, & cum pernicie ſubditorum proprii tantùm commodi augendi ſtudio feruntur.

§. 4. Oligarchia idem eſt, ac ſi tu dixeris, Imperium paucorum; Eſt autem illa, cum pauci quidam ex proceribus per injuriam, vim, ambitus, aliasque ſubdolas artes in ſe ac ſuos cõtinuò transferunt Imperii ſummam, cæteris ejusdem conditionis & æquè ac iſti regundæ Reipublicæ capacibus cum contumelia præteritis atque excluſis.

§. 5. Ita ut Oligarchia hîc dicatur, non

non tàm quod pauciores numero,quàm legibus definitum eſt, adminiſtrationi imperii imponantur, quàm quod non admiſſis aliis,quibus id jure etiam debetur,imponantur tantùm, qui aut ejuſdem vel cognatæ familiæ ſunt, aut ejusdem factionis.

ſ. 6. Adverſus Tyrannidem magno ſe animo opponit populus, ac Democratiam ferè ſtatim eligit, cumque eo ſibi reddit libertatem.

§. 7. Adverſus Oligarchiam vires, animosq́; pariter conjungit populus, & qui à cœteris præteriti ſunt Optimates, ex quo quidem ſæpè fit, ut mixtum aliquod naſcaturImperium,cui præſunt partim populus, partim Optimates.

ſ. 8. Sed & aliud etiam nunc ſupereſt, quo hæc Reipublicæ forma evertitur,& in aliam commutatur. Ambitio nimirum unius inter plures, qui cùm pares pati non poſſit,in ſe unum transferre vim omnem contendit. Et cùm populus, progreſſu temporis opibus

bus atque potentià magis magisque auctus, idcircò ab Imperii adminiſtratione diutiùs ſeſe haud patitur excludi, unde Ariſtocratia in Monarchiam aut Democratiam facillimè tranſire conſvevit.

§. 9. Quomodo ejusmodi ambitioni frænum imponi, & converſiones iſtæ præveniri poſſint, præcedenti capite ita explicatum eſt, ut ea hic denuò repetere non ſit neceſſe.

CAPUT VIII.

De Democratia ſive Imperio Populi & genuina ejus conſtitutione.

§. 1.

SEquitur jam ut poſtremam Imperiorum ſpeciem, Democratiam nimirum, id eſt, ſtatum popularem inſpiciamus.

§. 2. Eſt autem Democratia ejusmodi Reipublicæ forma, in qua omnes, quotquot ſunt, & cujuscunque ſint conditionis, pari æqualitate ſummorum honorum participes ſunt, & Reipubli-

cæ

cæ gubernationis, in qua manente interim penes populum vi Imperii & majeſtate, à paucis idoneo numero, à populo ex populo electis, ex arbitrio populi, (qui per convocatas concíones, collegia, claſſes, centurias, aut tribus, vel pariter de creandis Magiſtratibus & publicis conſiliis, vel de creandis tantùm Magiſtratibus ad tempus Rempublicam geſturis conſulitur,) Imperiū exercetur, quam quidem æqualitatem Arithmeticam rectiſſimè Ariſtoteles appellavit, utpote in qua non generis aut aliarum ejusmodi rerum, quibus cives à civibus diſtingvuntur, ſed viritim ſingulorum ratio habetur, non qui pariter in Democratia imperēt, quotquot ſunt ex populo (id enim confuſio multitudinis eſſet non Imperium) ſed cum ſuffragio & autoritate totius populi, aut eorum, quibus eam partem populus demandavit, quidam viciſſim imperent quidam viciſſim obſequantur.

§. 3 Nam in Democratico ſtatu non con-

continuantur Magiſtratus, ſed ambulant, dumque quis deponit publicam perſonam, privatam iterum induit, eſtque quaſi quædam Imperii atque obſequii viciſſitudo.

§. 4. Porrò ita ab omnis ævi ſapientibus fuit judicatum, omnium formarum gerundæ Reipublicæ minùs idoneam eſſe illam, quam *δημοκρατίαν* appellamus.

§. 5. Eſt enim Democratia detrimentum veluti quoddam publicæ Majeſtatis, quæ tantò minor eſt & apparet in populi multitudine, quantò magis elucet, cum non tantùm cum paucioribus, ſed cum uno tantùm communicatur.

§. 6. Scatet inſuper Democraticum imperium conſiliorum, quæ pro Republicâ capienda ſunt, difficultate ac varietate. Leges enim & contumaces pariter populi animi ſunt, tàm mutari ſubinde faciles, quàm tenaces aliquando eorum conſiliorum, quæ pro Republica aliquando mutari præſtaret,

 quod

quod notatum Tacito Annalium XIV. c.60. ubi tradit vulgo minus eſſe ſapientiæ,& propter privata commoda minus publicæ curæ,& propter tenuitatem, quæ in plerisque eſt, fortunæ, non tantam eſſe æſtimationem periculorum Reipublicæ incumbentium.

§.7 Accedit quod, ubi conſulenda eſt tota populi multitudo, nihil extemplò, nihil pro neceſſitate & occaſione rerum, vix quicquam pro publica Majeſtate decerni poſſit aut obtineri.

§. 8. Cæterum, quantò minus apparet in Democratia Majeſtatis, tantò plus eſt libertatis. Nam populi Imperium juxta libertatem eſt, paucorum autem dominatio Regiæ libidini propior eſt, quemadmodum VI. Annal.c.42. Tacitus eſt locutus.

EXPLANATIO.

DE Democratia, quantum ſatis eſt, diximus. Cujus optima ſpecies eſſe videtur, in qua maxima ratio in deferendis Magiſtratibus habetur eorum civium, qui mediocritate opum

ſunt

ſunt inſtructi, unde eam rempubl. firmam ARIST. appellavit, unde etiam hoc inter arcana Democratiæ §. 4. *cap. ſeqq.* retulimus. Enimverò in ea cives mediocres duobus prævalent extremis, divitibus nimirum & pauperibus, adeò, ut medii cives ferè ſint potentiores, quàm Divites & pauperes ſeparatim. Neque timendum eſt futurum, ut extremæ illæ divitum & pauperum partes conſpirent adverſus medios iſtos cives, quia mediis ejectis deberent aut ſoli divites, aut ſoli pauperes imperare, quod neutra pars tolerandum exiſtimabit, quia nunquam alteri ſubjici alteris patiuntur, ſed cupiunt potiùs cives medios imperare, quàm alteros eorum alteris ſubjici & ſubmitti. Quotquot igitur requiſiverint eam Reipubl. formam, quæ Divitibus & pauperibus ſit accommodata, nullã aliam invenient, quàm hanc mediorum civium in Democratico ſtatu gubernationem. Eſt enim optima Reſpubl. illa, quæ cives habet obedientes rationi, talis autem iſta eſt, quam ex Democratiæ ſpeciebus nunc maximè laudamus. Divites enim ſuperbi ſunt, & contumaces, pauperes ob penuriam ſæpè ad delicta invitantur, à quibus duobus malis in imperio abſunt illi, in quibus mediocritatem cenſus commendamus. Accedit, quod optima ſit illa Reſpubl, quæ ſeditionibus & diſcordiis minimè agitatur, ita autem res in illa mediorum civium gubernatione ſeſe habet,

eum ex ſententia ARIST. magnæ civitates, quæ majorem partem habent mediocrium civium, minùs ſeditionibus ſubjiciantur, quàm parvæ, quæ modicam habent copiam eorum civium, qui à mediocritate opum hîc laudantur. Eſt igitur finis Democratici imperii omnium libertas, forma ejusdem, aditus & ſpes omnium ad imperium, præſens autem imperium paucorum, qua ratione Democratiæ ab Ariſtocratiis optimè diſtinguuntur.

CAPUT IX.

De Arcanis ſive Interioribus conſiliis, quibus Democraticus ſtatus maximè continetur & conſervatur.

§. 1.

CUm Democratico Imperio præcipuum immineat diſcrimen, partim ex iis, qui opibus & genere præ cæteris excellunt, partim ab adverſo ex iis, qui vilioris & abjectisſimæ conditionis, moribus plerumque turbulentis & corruptis, ne ſumma imperii in horum aut iſtorum poteſtatem redigatur, accuratisſimè eſt providendum.

§. 2. Itaque hîc etiam operæ pretium

tium erit,neceſſaria conſilia opponere, quibus & ambitioni primorum, & licentiæ infimorum pariterque peſſimorum obviam eatur.

§. 3. Adverſus conatus eorum, qui excellentioris ſunt fortunæ,hæc imprimis ſunt factu neceſſaria.

§. 4. (I.) Mediæ fortunæ ac conditionis homines,iique meliores ad curam Reipublicæ promoventor.

§. 5. Illi enim nec ea ſunt potentiâ, ut vim rerum ſibi ſolis poſſint vindicare, nec ejus paupertatis, ut ejus diſpellendæ causâ ad mala conſilia animum ſint applicaturi.

§. 6. (II.) Sin verò eminentioris fortunæ homines pacis publicæ causâ ad curam Reipublicæ ſimul cum aliis Reip.admovendi videatur, numero eos mediæ fortunæ homines ſuperanto.

§. 7. Ita quippe & illis erit ſatisfactũ & hi,ut numero, ita vi & autoritate& ſuffragiis futuri ſunt ſuperiores.

§. 8. (III.) Ne verò ambitu & hono-

rum prenſatione plures ex majoribus iſtis irrepant, tota multitudo, ubi mutandi ſunt Magiſtratus, aliquot inſigni virtute & gravitate viros eligito, ab hīs autē à populo electis ſtatim, morâ non interpoſitâ, Magiſtratus eliguntor.

§. 9. Sic enim ambitus hîc non inveniet locum, cum ſcire non poſſint ambitioſi, quos populus electores, ut ſic dixerim, Magiſtratuum creaturus ſit.

§. 10. (IV.) Plures prudentiâ & ſanctitate probati viri à populo inſtituuntor, veluti cenſores, hi nomine populi adminiſtratæ Reipublicæ rationes frequenter poſcunto, in vitam Magiſtratuum, acta, conſilia, judicia diligenter inquirunto.

§. 11. Nam qui dependent à judicio & cenſurâ alienâ, quibusque non licet, quicquid libet, & ob malè geſtam Rempublicam parata eſt pœna, quique obtegere jam non poſſunt adverſa ſua libertati conſilia, non facilè vim rerum ac multitudinis autoritatem invadent.

§. 12.

§. 12. (V.) Leges populares, hoc eſt maximè publicæ & communes, quæ nimirum totius potiùs multitudinis, quàm paucorum habeant rationem, & auſa paucorum eminentium impediant, eisque occaſionem invadendæ Reipublicæ eripiant, conduntor atque immotè ſervantor.

ſ. 13. Legum enim autoritate impediti, intra limites ſuos facillimè ſe continebunt, & leges ad inſtar hominum precio aut aliis malis artibus, quibus maximè valent eminentes, non corrumpuntur,

§. 14. (VI.) Civium multitudo tota armorũ uſui & meditationibus vacato.

ſ. 15. Supra quorumvis quippe ambitionem ſemper futuri ſunt armati.

§. 16. (VII.) Magiſtratus in Democratico ſtatu accuſare cuivis è populo conceſſum eſto.

ſ. 17. Hoc enim pacto futurum eſt, ut malæ eorum artes deſtinationesq; in apertam lucem continuò producantur.

§. 18.

§. 18 (IIX.) Cuivis denique è populo, qui in ſe ſuisve lædi Rempublicam aut libetatem exiſtimabit, â Magiſtratu ad populum provocare liceto.

§. 19. Ita enim fiet, ut adverſus Magiſtratus injuria aut iniqua uſurpantes omnium libertas in ſingulis & omnibus defenſa maneat intemerata.

§. 20. Ad infimæ ſortis hominum licentiam ambitionemque inhibendam iſta ferè ſunt obſervanda, quæ nunc ſubjungimus.

§. 21. (I.) Ne plebs inferior cum penuria rerum neceſſarium conflictetur, quin econtra, ut rerum affluentia quædam ſit, imprimis Magiſtratus hîc providento.

§. 22. Ea enim afflicta aut ipſa affectat ad clavum Reipublicæ ſedere, meliùs, ut putat, ſibi proſpectura, aut captat gratiam eorum, qui eminent inter cives, eosque ſpe meliorum ſub his temporum quavis oblatâ occaſione imperio præficere contendit, Unde & facilè

cilè fit, ut Democraticus ſtatus in Ariſtocraticum convertatur.

§. 23. (II.) Demagogos, quique infimos quosque ad nova conſilia impellunt, eisque inviſos reddunt Magiſtratus conſvetos, & è populo meliores, procul è Republica amovento, aut ut præſentem Magiſtratum magis quàm corruptam multitudinem ament, vi & beneficiis aſtringunto.

§. 24. His enim aut amotis, aut ita Magiſtratibus obſtrictis, autores factionis aut Duces plebs non eſt habitura.

§. 25 (III.) Delicta quævis ſummâ pœnarum ſeveritate, nullo gratiæ aut impunitati relicto loco iidem Magiſtratus excipiunto.

§. 26. Ita enim fiet, ut metu pœnæ melioribus artibus aſſvefactus inferior ille inque turbas pronior ordo, malas artes non conferat, ad promovendam peſſimorum autoritatem.

§. 27. Atque hæc præcipua conſiliorum capita ſunt, in quibus pax, ſalus & ſecuritas eſt fundata.

EXPLANATIO.

SIcut facilimum eſt in Monarchia imperare, difficilius autem in Optimatum Republ. ita longè difficilimum eſt, populum populari modo regere ac gubernare ex omnium voto, idque vel maximè ob diverſitatem ac multitudinem judiciorum. Idcirco attendendum ad propria arcana, quibus ſtatus Democraticus retinetur ſimul & ſtabilitur, quæ rectè obſervata facilimum reddunt, quod aliàs cum ſumma difficultate eſt conjunctum.

Sunt autem hæc arcana duûm generum: vel enim reperta ſunt adverſum inconſtantiam populi, aut mobilitatem, vel adverſus affectantes novarum rerum, & inſidiantes libertati. Contra hos quæ faciant, dictum §.4. ſeq.

Inter ea loco IV.§.10. poſuimus rationis per certos cenſores repoſcendæ facultatem. Ad æternitatem Democratiæ plurimùm ea facit. (Rationem ſcil. colit, qui ſcit reddendam ſibi eſſe rationem, aliàs prætextibus tantùm vanis res cooperiuntur.) Et eo fit, ut ſi quid mali lateat in Magiſtratuum adminiſtratione, mora interpoſiti longi temporis non fiat valentius remedio malum.

Loco V.§ 12. leges populares commendantur, quales inter alias ſunt, quæ opibus & agris ſingulorum modum præſcribunt. Apud Romanos lata erat lex Licinia, qua cavebatur, ne quis ultra 500. jugera agri poſſideret.

Loco

Loco VI. §.14. poſuimus armorum in plebe ſtudium. Plebs inermis cymbalum eſt inane. Inde in Democratiis ſæpè plebi viritim arma permiſſa. Apud Helveticos & Leodienſes certè etiam opifices armati ad operas accedunt.

Loco VII. §.16. poſita eſt accuſandi poteſtas. Accuſationes ut in Regio ſtatu ſunt peſſimæ, ita hic optimæ. Illæ enim meræ ſunt adulationes; per has fit, ne Magiſtratus conſutis dolis agant.

Plebis infimæ licentia prævenitur, ſi neceſſaria iis ſuppetant, ſique cum penuriâ non conflictentur, aliàs ad ditiores inclinat. Sic Sp. Caſſius & Sp. Melius annona populum corrumpere voluerunt. Liv. *l. 2. cap. 41. & l. 4. cap. 13.* Et Cæſares eodem ad eam occupandam ſunt uſi artificio. Plebs verò amat illud imperium, in quo ſe benè habet.

§. 23. Conſilium dedimus contra Demagogos, & flabella plebis, per quod futurum exiſtimamus, ut cum commodi ſui cauſa omnia agant, nihil agere velint in gratiam corrupti populi, à quo majora beneficia non poſſent reportare.

Pœnarum ſeveritatem commendavimus §. 25. Hæc enim antiquisſimis temporibus plurimis populis neglecta non unius Democratici imperii ruinam ſecum traxit, & exitium. Et ætate noſtra Helvetiorum Reipubl. robur ac fir-

firmamentum exiſtimatur immota illa conſtantia, qua in delictis populi proſequendis continuò utuntur.

Hiſce ſequentia præcepta adhuc videntur addenda: 1. Semel ex neceſſitate Reipubl. conſtituta juris jurandi ſanctiſſima religione confirmanda ſunt, quo adacta & conſtricta populi conſcientia non facilè mutet id, quod ſemper ſervandum teſtes Deos ac vindices invocavit. Quippe apud quos, ut ferè apud populum ratio non valet, in rationis locum neceſſitas ſuccedit, quæ ſumma imponitur beneficio juramenti, adeò ut tàm immobilis hîc ſit populi conſcientia in commovendis, quæ non moveri debent, quàm fluctuantia & incerta aliàs eſſent judicia populi, in ſubvertendis illis, quorum vis & fructus in conſtantia rerum verſatur. Id à Junio Bruto obſervatum, qui jure jurando populum adſtrinxit, ut nunquam de regibus revocandis ageret; Aliàs populus oblitus regiæ ſuperbię, & ex propria mobilitate potuiſſet eos revocare. Juramenti verò quanta vis ſit, vel ex eo apparet, quod flagitioſi in conjurationibus majus putent ſcelus, fallere fidem juramenti, quàm nocere Reipubl.

2. Non prorogare imperia Magiſtratibus, eſt prorogare Democratici ſtatus æternitatem. Nam prorogatio Magiſtratuum hîc tollit æqualitatem, & in eo, qui gerit Magiſtratum, & in illis, qui jure Democratici imperii adſpirant

rant ad eosdem magiſtratus. Rectè enim Livius *l. 4. c. 24.* inquit: Temporis modum imponendum illis, quorum Magiſtratui modus juris imponi non poteſt.

3. Ab inteſtinis bellis cavendum imprimis, nam ea nova & magna imperia ut plurimùm, & minus libertatis habentia ſolent parturire. Ubi enim factiones, ibi factionum ſunt Duces, & ſinguli vel pauci adſpirant ad Dominationem: quicquid igitur tandem in aliis rebus ſit diſſenſionum: quoad ſummam Reipubl. infractum & immobilem omnium conſenſum flagitamus. Inteſtina bella vocat ARISTOTELES dolores, quales parturientes ſolent experiri, quia ſemper aliquid pariũt. Quanquam itaque in aliis rebus plebs inter ſe diſſentiat, quoad ſummam Reipubl. conſentire debet. Ita in Veneta Republ. quidam cives ſunt, qui magis Rempubl. curant, quàm Pontificis autoritatem, qui Statiſtæ vocantur, & tamen omnes, quoad ſummam rerum, conveniunt. In Helvetiorum quoque Republ. quidam Cantones ſunt Pontificii, quidam reformati, & omnium una Reſpubl.

4. Conducit in tribus diſtribuere omnem plebem, in claſſes, in Decurias, in Collegia ejusdem artis, iisque capita imponere & ſupremos moderatores, ſic enim futurum eſt, ut ſi ex inſtituto Reipubl. de Republ. plebs conſulenda ſit, unius capitis relatione ſententia ma-

gnæ partis populi poſſit obtineri, quo confuſio, ubi omnes conſuluntur viritim, præveniri poteſt, & averti confuſus conſulendi modus, & ejusmodi tribuum & collegiorum diſtributio fuit in Rep. Romana.

5. Hoc agendum Magiſtratibus, ut non tàm populi, quàm publicæ utilitatis habeant rationem. Populi rationem habent, qui in adminiſtratione imperii cœteros, qui divites, aut nobilitate majores ſunt, populo poſtponunt. Publicæ utilitatis habent rationem, qui unius imperii dulcedine ac fructu pacem omnium, ſeu divites, ſeu pauperes, ſeu ignobiles, ſeu generoſi complectuntur. Quæ res ad ſtabilitatem in Democratia Magiſtratuum plurimùm conferre exiſtimatur.

CAPUT X. & ultimum.

De vitiis Democratici ſtatus Ochlocratia, ſive Imperio viſima & corruptæ multitudinis & Anarchia, ſive nullo Imperio.

§. 1.

DEmocratici Imperii haud melius, quàm cœterorum fatum eſt, in quibus, quemadmodum vitia, in quæ degenerant, à nobis jam deſcripta ſunt, ita

ita quoque corruptam ejus formam proponere aggrediamur.

§. 2. Quantò enim in eo plus eſt libertatis, tantò promtiùs in licentiam deflectit, infimorum imprimis hominum judicio & opinione, qui in licentia quidvis impunè agendi, & melioribus opprimendis vim libertatis ſitam eſſe arbitrantur.

§. 3. Quo fit, ut duo imprimis vitia lædant & evertant Democratici ſtatûs integritatem, quæ à ſapientibus Græcorum Ochlocratia & Anarchia dicuntur.

§. 4. Ochlocratia eſt, quaſi tu dixeris, infimi populi & corruptioris vulgi in meliores Imperium, in quo non tantùm ab adminiſtratione Reipublicæ omninò arcentur virtute & fortunis præſtantiores, ſed à peſſimis habenas publicas pro libitu moderantibus quavis ratione opprimuntur.

§. 5. Unde quidem abundè patet immane illud, quod inter Democratiam

tiam & Ochlocratiam eſt diſcrimen, In Democratia enim cura Imperii eſt penes illos ex populo delectos, qui honeſtatis æqualitatisque maximè obſervantes ſunt, & cordati. In Ochlocratia autem penes eos ex infimo populo, qui dignis Imperio virtutibus deſtituuntur. In illa, æqualiter ad omnium commoda, in hac verò ad horum tantùm augendas fortunas, ditioribus oppreſſis, contenditur. In illa recta æqualitas iſta creditur, in qua æquales civium fortunæ æquali curâ obſervantur: In hac æqualitatis vis in eo creditur verſari, ut qui inæquales ſunt fortunis, per nefas & injurias ditioribus illatas æquales reddantur, In illa denique, ut præclarè Ariſtoteles judicat, imperium eſt quaſi penes Dominos, in hac ècontra quaſi penes ſervos, per Dominos paribus Reipublicæ gerendæ, per ſervos factis ad obſequium à natura, & fortuna denotatis.

ſ. 6. Enimverò propter reſpectum meliorum civium, de quibus ſupprimendis

mendis continuò laboratur, Ochlocratiam omnium immaniſſimam tyrannidem judicamus, cum haud dubio gravius ſit, plurium infimorum iniquam tyrannidem experiri, quàm unius principis aut aliquorum Procerum.

§. 7. Interim cùm in ea omnia furibundè convertantur, ordo omnis ſenſim tollatur, & deſpectui infimis ſint ex infimis delecti Magiſtratus, & cùm peſſimi ſint etiam peſſimis metuendi, tandemque precariò imperent, & pro acceptâ à peſſimis autoritate, reddere & præſtare peſſimis quævis agendi licentiam cogantur, haud illa perſiſtere poteſt, & ut per Ochlocratiam Democratia corrumpitur, ita Ochlocratia per Anarchiam tandem tota debellatur.

§. 8. Eſt autem Anarchia, quaſi tu dixeris, nullum Imperium, funus ipſum, ut ita loquar, Imperii, & cadaver, in quo peſſimi, quorum major ferè eſt multitudo ubique, non jam juſſa diutiùs ſibi

Magi-

Magiſtratuum ſimilium,ſed veſanæ libidinis ſuæ impetum ſequuntur.

§.9. Quod omni tyrannide & corrupto Imperio majus malum eſt, cum omnium etiam bonorum interſit, malos potiùs,quàm nullos Rempublicam adminiſtrare.

EXPLANATIO.

OChlocratiæ,cujus à Democratiâ differentiam § 5.exhibuimus,nulla Respubl.illuſtrius documentum exhibuit,quàm illa Athenienſium temporibus,nimirum Periclis,qui proculcata ſupremi Areopagitarum ſenatûs autoritate promiſcuæ multitudini, & in ea peſſimis aditum fecit ad publicos Magiſtratus, Imò à cœteris Magiſtratibus ad eam tanquam ad ſupremum tribunal voluit provocari, quæ res florentiſſimam Rempubl. excidit & evertit, dum nihil eorum geſtum, quæReipubl. bono & Majeſtatis debebant.

IN-

INDEX CAPITUM

Prior numerus caput, poſterior paginam indicat.

I. DE Politica, ejusque ſcientia & uſu. 1
II. Quid Reſpubl. ſit, & quæ prima ejus origo. 10
III. De prima origin. Magiſtratuum; de conſenſu Imperii ac obſequii. 22
IV. Quid Majeſtas, quæ Imperantium & Reipubl. Majeſtas. Quæ lex Majeſtatis, quomodo debeat conſervari Majeſtas? 33
V. De libertate, quid & quotuplex ſit; populi, quàm illa ſit diverſa, in quo maximè conſiſtat, quo modo denique illa ſit conſervanda. 58
VI. De Jure Dominationis, quid illud ſit? quomodo id, ſalva æquitate, ab æquitate ordinarii juris deflectat? qui denique ejus ſupremi termini & leges? 86

VII. De

VII. De Religione, de ejus in Republ. uſu, de una & pluribus, & quomodo admittendis. 101
VIII. De minoribus magiſtratibus, & geſtoribus publicorum negotiorum, qui ad ejusmodi dignitates ſint evehendi, quid in iis obſervandum, quomodo denique eorum autoritas conſervetur maximè. 120
IX. De legibus, earum origine, & diverſa in omni Republ. ratione, de earundem abrogatione & promulgatione. De tribuendis præmiis. Denique de pœnis juſtè & cautè imponendis. 105
X. De opibus Reipubl. acquirendis & conſervandis, de Vectigalium ac Tributorum, Aerariorumque in Republ. ratione. 178
XI. De fœderibus, eorumque diverſa ratione. 203
XII. De jure belli, de bellorum recta atque cauta ratione. 225

XIII. De

XIII. De pactis quæ nomine publico cum hoſtibus ineuntur, præſertim Induciarum ac pacis, quibus tantùm differuntur bella, aut penitùs tolluntur. 262
XIV. De bellis civilibus, eorum cauſis, deque eorum præveniendorum, & ſi exorta ſint, componendorum ratione. 273
XV. De Arcanis in Genere, de Arcanis Rerumpubl. de Arcanis Dominationis, de ſimulacris Imperii, denique de Arcanis conſiliorum. 293
XVI. De Mutationibus, ac Everſionibus Rerumpubl. ac præcipuis cauſis. 323

LIB. II.

I. DE Diverſis Rerumpubl. formis, de Theocratia ſeu Republ. Hebræorum. 333
II. De Monarchia, de Principatu ac Dominatu, de Electione atque Succeſſione 341

III. De

III. De Monarchici ſtatus arcanis, ſeu interioribus conſiliis. 352
IV. De Vitio Monarchici ſtatus, Tyrannide: De artibus, quibus ad Tyrannidem callidè graſſantur, & eam tandem crudeliter exercent principes: Quomodo item ſub Tyrannis, & adverſum eos quisque ſe gerat. 379
V. De Polyarchia ſeu imperio plurium, imprimis de Ariſtocratia ſeu optimatum ſtatu, & diverſis ejus ſpeciebus. 415
VI. De Arcanis ſeu interioribus conſiliis, quibus Ariſtocraticus ſtatus, ille imprimis, in quo patricii ſoli Reip. præſunt, adverſus totius plebis conjurationem & patriciorum ſingulorum ambitionem confirmatur. 434
VII. De Vitiis Ariſtocratici ſtatus Oligarchia & Tyrannide, & ejusdem everſione ſive in Monarchicum

aut

aut Democraticum ſtatum converſione 452

VIII. De Democratia ſive Imperio Populari,&genuina ejus conſtitutione. 455

IX. De Arcanis ſive Interioribus conſiliis, quibus Democraticus ſtatus maximè continetur & conſervatur. 460

X. De vitiis Democratici ſtatus, Ochlocratia, ſive Imperio infimæ & corruptæ multitudinis,& Anarchia, ſive nullo Imperio. 470

Digitized by Google

INDEX RERUM.

ABactoris pœna 194
Accuſatores 318. 405. miniſtri tyrannorum 405. *accuſatio* in Monarchiâ eſt adulatio 467. in Democratiâ potisſimùm obtineat 463. 467
Adoptio 346. 352
Adulatores 68. 79. 80
Ædilitia poteſtas qualis Magiſtratus ap. Roman. 143
Ægyptus Romanorum granarium. 48. 214. 375. Ægyptii Apin ſpecie bovis coluerunt 113. Ægyptii opificis filium cur etiam opificem fieri voluerint? 195
Ærarium publicum 178. quomodo debeat augeri? 180. 181. 182, diverſa inſtituenda 189. 202
Ætas aurea quæ? 164
Affectuum accuratâ in Rep. ratio habenda. 33
Affinitates inter Magiſtratus nimis pernicioſæ Reip. 446
Aggreſſoris cædes impunis 241
Agricola ingeniorum ſcrutator 20. nihil publici per ſervos aut libertos executus eſt 50. 136. quomodo à Ceriali inſtructus? 143. à domo ſuâ exorſus diſciplinam 168. 409. ſeditionem quomodo compoſuerit? 176. rerum geſtarum gloriam Domitiano aſcripſit 374. e-

374 ejus modeſtia 396. matrimonium 404. ſub Domitiano ad maxima provectus, 406
Albanus Dux 196
Alexander M. cur adeò rigidè parentis necem vindicaverit? 55. cur gentibus eum non lædentibus bellum intulerit? 253 ejus imperium poſt mortem cur adeò laceratum? 288. 351.
Ambitio 33. principum 67. cauſa civil. bellorum 270. 403. quid eſt? 270. quomodo præveniatur? 279. 344. præcipuè in Ariſtocratico ſtatu 440
Amicitia donis emtæ inſtabiles 56
Anabaptiſtæ in Rep. intolerabiles 107. 116
Anarchia quid? 473. omnium peſſima Rerump. pernicies 474
Ancræi cædes 54
Angli perperam maris imperium ſibi arrogant 245. fœmineum admittunt in Rep. imperium 352. eorum lex matrimonialis 404
Annius Baſſus 51
Annonariæ provinciæ 214. 376. annonæ ratio habenda 287. eâ corrumpi plebs gaudet 467
Antwerpienſis arx 290
Arcanorum neceſſitas in Rep. 293. 306 nomina 308. quid ſunt? 293. finis 294. ſunt quadruplicia 294. eorum ratio formalis 294. 295. efficiens 296. ſemper ſint tecta 296. 310. eorum tegendorum rationes 296. 310. eorum uſus

uſus quandoque differendus 297. 311. non nimis ſint affectata 297. 311. eorum potisſimum requiſitum 297. 312

(I.) *Arcana* Rerump. in ſpecie ſic dicta quæ? 297. 298. eorum ſubjectum 298. 312. ratio appellationis 298. eorum à jure imperii differentia 298. ſpecies 299. 314. uſus 300. 315. 316. 317

(II.) *Arcana* Dominationis 301. quid ſint? 301. eorum uſus 301. diverſitas 302. in quibus verſentur? 302. 303. 317

(III.) *Simulacra* Imperiorum 294. 321. quotuplicia? 304. 321

(IV.) *Arcana* conſiliorum quid? 305. 322.

Arcana Monarch. vide Monarch.

Arces. Vide Fortalitia.

Ariſtocratia 334. 337. ejus origo 337. quando in regnum mutatur? 403. quid eſt? 418. Ariſtocratici magiſtratûs nomina 418. eorum numerus 418. 438. Ariſtocratici imperii ſpecies 419. 431. 432. 440. quænam noſtrâ ætate in uſu? 420 earum à Democratiâ differentia 420. 429. quænam ſpecies optima? 421. 423. 432. magiſtratuum creatio in hoc ſtatu non dependeat à populi ſuffragio 425. 433. nec à factionibus 425. 433. eorundem adminiſtratio ſit perpetua 425. 433. 434. Ariſtocrat. ſtatûs ſumma lex 426. legum optimarum in hoc ſtatu ſumma neceſſitas 430. optimates ſunt intermedii inter populum &

Principem 419. ſubditi hujus ſtatûs 431. Ariſtocrat. *arcana* quæ ? 434. pericula ex optimatibus proventura quomodo præcavenda? 435. 436. item, ex ſubditis 440. Ariſtocrat. vitia 421. 453. 454
Ariſtotelis Reſpublica 268
Arma vetita 254. arma in pace altisſimâ etiam exercenda 273. arma civibus domi non niſi magiſtratûs indultu concedenda 281. 284. 290. 291. 313. in Ariſtocratico ſtatu imprimis 444. 451
Armiſtitia. Vide Bellum.
Auguria Romanorum 116
Auguſtus quibus plebem detinuerit ? 21. 56. 378. ſolo aſpectu terruit Actiacas legiones 43. 290. quomodo Remp. in ſe traxerit ? 82. 83. 86. nomine Principis cur uſus ? 83. quâ ratione viliores ad honores evexerit ? 136. Tiberium ante imperium aſſuefecit ad imperium 144. propter inſcitiam quosdam è ſenatu movit 149. ærarium militare inſtituit 189. unde nomen Auguſti introductum? 191. ejus mos in imponendis tributis 200. ejus cura in procurandâ annonâ. 287. 375. ejus mors cur disſimulata ? 287. cur teſtamento imperii coërcendi conſilium addiderit ? 330. ſpecie recuſationis imperium filiis concupivit 369. ejus cura in mandandis magiſtratibus 372. 373. cur Conſulum morem abeundi, poſt Conſulatum, in provinciam, im-

immutârit? 373. vitæ fuit continentiſſimæ 409
Athei in Rep non tolerandi 106
Athenienſium Reſp. tempore Periclis 474
Autoritas ante leges pro lege fuit 151. 164. cur poſtea contemni cœpta? 165. ejus in magiſtratu contemptus 283. autoritas in uno quàm pluribus validior 341. ea præ omnibus Principi ſtabilienda 365. nimia in ſtatu Ariſtocr. quomodo coërcenda? 439. 447
Auxilia quibus cautelis à fœderatis accipienda? 206. 207. 208 2 8. quando admittenda? 219. eorundem incommoda & pericula 219
B*atavi* fratres quondam Romanorum dicti 221
Belgæ in libertate & ad libertatem nati 4. 22. eorum munimentum 22. nullum ſtatum à Rep. excludunt 31. eorum comitia quinam conſtituant? 31. quibus pactis cum Hiſpano ad tractatus deſcendant? 57. ſuos quondam habuêre reges 78. item Comites. ibid. 167. umbrâ libertatis ab initio decepti ab Hiſpanis 83. 85. ex nobilibus Comites facti ad paupertatem recidunt 84. iis privilegiorum uſus in Hiſpaniâ nunquam negatus, in Belgio nunquam conceſſus. 85. in Belgio unde tanta hominium frequentia? 115. cur divites plerumque imperiis præficiant? 139. imperii geſti ratio quomodo apud Belgas reddi ſoleat? 145. eorundem ratio decernendi in rebus

bus vel majoris vel minoris momenti 150. cur ab Hiſpano defecerint? 169. 403. eorum mos in colligendis tributis 184. 185. 196. 197. 199 200 Belgici motus unde? 196. eorum cura circa publicam pecuniam 203. eorum fœdus cum Moſcorum Imperatore 215. quomodo Hiſpano reſtiterint? 216. Anglorum auxilio perperam aliquando ſe permiſerunt 219 duplices in ſuâ Rep. habent ordines 221. eorum cum Embdanis fœdus unde? 221. cur ab initio belli Hiſpanici coiverint cum Gallis & Anglis in fœdus? 221. 222. arcanum eorum bellicum 258. eorum fœdus duodecennale cum Hiſpano perperam initum 272. cur ex eadem familiâ Principem ſemper eligant? 351. eorum Reſp. ad quam ſpeciem Ariſtocratiæ referenda? 432. eorum Scabini & Conſules cur nulla ſtipendia accipiant? 433 eorum Senatus triennio fermè mutatur 434. delatum ap. Belgas magiſtratum nemo civium ſub pœnâ detrectare debet 449

Belli munia quandoque peregrinis committenda. 122. bella vicina extinguenda 216. in belli communionem cum quibus deſcendendum? 217. belli incommoda 233. 255. externa ſæpè cauſæ internorum 257. maritima 259. 260. eorum cauſæ ſunt partes majeſtatis 270. in bellis quænam expendenda? 225. Bellum omni jure eſt licitum. 225. 240. 252. præcipuè neceſſarium. 226. 242. 246. juſtum bel-

bellum quodnam? 241 242. belli juſtitia revocatur ad tria capita 226.243. (I.) *Defenſio* quid 226.227.241.245. publicæ à privatâ differentia 227.243. (II.) *Exactio* quid? 226. 244. III.) *Pœna* quid? 227 230.250. Belli indictio 227. minæ bellorum etiam bello vindicandæ 243. injuſtum bellum quod? 228. 242. ejus extenſio, recuperatis rebus, an licita? 228.229.247. bella finiri intereſt ſocietatis humanæ 229.249. bello quænam vindicanda? 230. 246. 250. 251. 252. 253. unius vel paucorum culpa quando bello vindicanda? 231.253. jus quando bello perſequi expedit? 233.255 Modus bello jus proſequendi 237.25.. quibus bellis abſtinendum? 233.234.247. occaſio inferendi. 234.257.270. in bellis rerum capita aggrediamur 235.258. ea quæ ſint? 235. prælii unius caſui tota Reip. vis non eſt committenda 236. 258. *Imperatoris* bellici neceſſitas 236 ei conſiliis potiùs quàm manu agendum. 236 259. liberâ potiùs quàm aſtrictâ ſit poteſtate 236.259. miles ſit potiùs domeſticus, quàm extraneus 237. militaris diſciplina 237. 260. ejus vis in quo ſita? 237. belli neceſſarii tranſitus ferro aperiendus 246. belli ex uno in alium locum translatio 272. Belli finis 239.269. obtinetur per PACTA cum hoſte 262. ea cautè cum hoſte ineunda. 263.269. ſuntque duplicia 263. quænam ſecuriſſima? 263. eorum duratio. 264. ARMISTI-

TIA quid? 164. in iis quæ obſervanda? 165. 271. INDUCIÆ quid? 265. earum leges 265. 271. pacta ineuntium arcana duplicis generis 267. 273

Beten quid in inſtrumentis apud Batavos ſignificet? 79

Bonorum diviſio ſubſecuta eſt imperiorum diviſionem 190. in eâ & Reip. & privatis proſpectum ibid.

Bonum publicum perpetuò augendum 191. ſolùm reſpiciendum 433

Britannia 191. Britannorum de Romanis querelæ. 250. Britannia cur ab Auguſto & Tiberio intacta manſerit? 257. eam Cæſar quoque appetiit 257. fœmineum imperium admisêre 352

Buckinghamus cur interfectus? 101

Bulla aurea 166

C*Æſares* Romani quorum Magiſtratuum in Rep. Rom. poteſtatem acceperint? 27. cur plerique à Prætorianis interfecti? 56. ſubditos potiùs promerebantur, quàm habebant. 56. cur ſervos ad honores publicos promoverint? 136. cur in donandâ civitate tàm largi? 138. 450. cur duos tantùm in provinciis magiſtratus habuerint? 140. ſub iisdem honor præmiorum collapſus 174. exilio loco pœnæ ſæpiſſimè in ſontes uſi 175. cur ſemper veterem Remp. prætulerint? 198 cur civilibus bellis non triumphârunt? 285.

cur

cur populum congiariis, militem donativis demulſerint? 287. cur prætorianis militibus uſi? 288. arcanum dominationis eorum 307, 312. vacua imperii jura invaſerunt 315. bimeſtres quinam? 318. cur Imperatoris, non Regis nomen aſſumſerint? 319. perperam prætorianos priorum Cæſarum occiſores impunitos dimisêre. 370. cur peregrinos civibus prætulerint? 406 eorum imperium quo reſpectu tyrannis nominanda, & quo non? 407. cur Pontifices appellari voluerint? 409. tot ſub iisdem cædes unde? 412

Candidati ap. Rom. 144

Canutus Angl. & Daniæ Rex 52

Capitolium 446

Carthaginis exſcindendæ conſultatio anceps. 7. eorum Resp. mixta 432

Catilina 285. ejus conjurationis cauſa 370

Catonis de Carthag. exſcindendâ ſententia 7

Cenſores 82. eorundem approbatio ibid. Cenſor Cn. Pompejus vituperatur 98 171. cenſura magiſtratuum 145 ea quomodo inſtituenda? 145. cenſoriæ leges 154

Cerialis 143

Civilis uſus 18. *civiles* quinam dicendi? 377

Civilia bella 277. eorum pericula 278. 285, 291. evitatu difficilia 278. damna 278, 433. ſunt triplicia 278. 286. cauſæ 278. 279. 280. 281. hæ quomodo præveniendæ? 279. 280. 281. 282. 283. 284, civilia bella in Democratiâ 469

Claudii vituperium 50. cur peregrinos in Senatum aſciverit? 137. leges non neceſſarias ſanxit 169. ejus mors cur diſſimulata? 287
Clementia 163. ejus lex 239. requiritur in magiſtratu 283. 288
Climacterici anni Rerump. 329
Columbus 111
Comitas 378
Comitia veterum Germanorum in templis habita 19
Commercia quomodo promovenda? 192. 214. quomodo corruant? 195. eorum fœdera 214. 215. eorum uſus denegatus vel ipſo bello juſtè expeti poteſt 245
Commune quid? 244. 245
Commutatio prima emendi vendendíque ratio fuit 193
Cognatio nimia Magiſtratuum Reip. pernicioſa 446
Conciones turbulentæ 254. 375. de iis edictum Juliani 375
Concordia 113 136. magiſtratuum 283. 289. ſubditorum 395. multitudinis quomodo obtineatur? 416. 417. 426. 427
Confiſcatio bonorum 248
Conſcientiarum libertas non violanda. 117. 118
Conſiliorum ad futura accommodatio 9. conſilium nemini ſit fraudi 148. in iis nimia obſtinatio vitanda. 149. modus procedendi in colligendis ſuffragiis rerum vel majorum

vel

vel minorum 149.150. conſiliis in magnis quænam attendenda? 234.256.318. conſilia ex oblato caſu interdum capiuntur, 259. eorum incertitudo 268. arcana 305.318. deliberare interdum periculoſius, quàm audere. 393. deliberationis ratio in Ariſtocratico ſtatu 427. conſulta non facilè mutanda 284
Conſules in Rom. Rep. qualis Magiſtratus? 27. Tribunis plebis rationẽ geſti imperii cogebantur reddere 83. iis ſumma libertas imperii tradita fuit certâ quadam formulâ 99. fuit magiſtratus perpetuus 128. labefactatus à Cæſaribus 137. cur duo tantùm? 140. 411. quâ ætate creati? 142. illis cur faſces & ſecures prælatæ? 251. cur nihil ex publico habuerint? 433
Contemtus Principum unde? 404
Contractus inter quosnam ineantur? 66
Conventicula privata non toleranda 290. 443. 452
Corona obſidionales, civicæ 173
Crimen non defendendum 249
D*Amnum* perpeti quandoque Reip. utile 268. 274
David cur Saulem interficere noluerit? 413
Decemviratus ap. Rom. qualis magiſtratus? 128
Decimatio 99
Deditio 254
Defectionis cauſa 109
Defenſio privata 227. ſui in caſu neceſſitatis

non prohibetur 240. quando illicita? 243. 315. defenſione criminis crimen augetur 248
Delicta ſummorum virorum quomodo puniénda? 160. 175. plurium? 161. 175. inveteratis lentæ pœnæ applicandæ 162, noxiorum & lapſorum diſtinctio 163. delictorum & pœnarum, jure privato, ſit proportio 171. 249 publico jure pœna ſit major delicto 247. 249. atrocisſima quæ? 252
Demagogi 465. 467
Democratia poſterior Regno & Ariſtocratiâ 28. 334. 455. & ignobilior. 74. 457. & difficilior 466. ex quibus ſignis cognoſcenda? 74. origo 337. 338. 453. quid eſt? 455. ejus fundamentum 74. 75. 430. ejus cum cæteris Rerump. formis comparatio 75. ratio magiſtratuum in illâ 456. quò minus habet majeſtatis, eò plus libertatis 457. 458 ejus libertas cur à quibusdam gentibus reſtricta? 75 ejus ab Ariſtocratiâ differentia 420. 429. ejus optima ſpecies quæ? 458. finis 460. forma 460. ejus pericula quomodo præcavenda? 460. *arcana* 460. 461. 462. 463. 464. 465. ſuntque duplicia 466. ejus in Ariſtocratiam converſio 464. vitia 470. 471
Deſperatio interdum pro fortitud. 249. 411. nec de præſentibus nec de futuris deſperandum 270
Dictatura ap. Rom. qualis magiſtratus? 28. cur noctu creari ſolitus *Dictator*? 140. 141. quibus

bus legibus? ibid. ejus cum Regibus Lacedæmoniorum convenientia 348
Diffidentiæ in Rep. magna utilitas 219
Dignitates. Vide Honores, Magiſtratus.
Dionyſius 409
Diſciplina militaris. Vide Bellum.
Diſcordia in Rep. 284.325 329 338. hoſtium inter ſe 286 cur à tyrannis excitetur? 405. inter optimates non propalentur in vulgus 444
Diſſimulatio 251
Divinitatis opinio Magiſtratibus olim cur affingebatur? 40.112.320. item aliis rebus 112. 376
Divites pauperibus in collatione dignitatum præferendi. 124 139. divitiarum in Ariſtocrat. uſus 423 424. in Democratiâ 458.459. 461
Dolus 307
Dominationes ſenſim provenerunt 10. dominiorum diviſio unde? 12.244.245. dominationis odioſæ & ſuperbæ formulæ fugiendæ 30. Domini & Principis oppoſitio 79. dominationis jus ab ordinario quandoque jure deflectit 86. dominationis jus impugnantium ſententia 87. *Dominationis* jus quid? 88 90. *Dominatio* quid? 301. Vid. Monarchia. Ejus neceſſitas & frequens uſus 88. Dominationis juri quænam jura cedant? 89. 90.97.109. ejusdem æquitas unde metienda?

da? 90. eſt populo inviſum 90. non eſt legitima tyrannis 91 96. poteſt facilè degenerare in tyrannidem 91. æquitatis in jure dominationis limites quinam? 92. 98. juris dominationis fræna 95. 101. 18. Dominationis flagitia quæ? 94
Dominus quando ſervi cauſá teneatur? 255. quid ſit? 343
Domitianus 95. ſpecie honoris Juvenalem in exilium miſit 175. ſuppliciorum ſpectaculis delectatus 177. unde poſſimùm invidiam contraxerit? 350. falſos triumphos cur duxerit? 375. peſſimus Princeps 396. hoſtis bonarum artium 404
Druſus 111. 372
Dubitatio 273
Duellorum origo 240. ſublata hodiè malè defenduntur. 241.
Ducatio 26

E

Egeſtas quomodo in Rep. ſublevanda? 281. 282
Electio quid? 22. eſt populi 23 344. quarum gentium fuerit? 28. ei plus libertatis ineſt 28. 29. 344. in electione Principum cur veteres ad formam externam attenderint? 43. electionis vota intra eandem familiam ſemper continenda. 345. 351
Eliſabetha Angl. Reg. cur perperam Scotiæ reginam ſupplicio affecerit? 47. 370. ejus in deſignando regni hærede prudentia 351 371. à Pontifice excommunicata 414

Elocatio 184
Eloquentiæ in Rep. utilitas 31.310
Equeſtris ordo cur inventus? 173
Errata minora jure civili non puniuntur 251. magiſtratuum tegenda 316
Excommunicatio 413.414
Exemplis bonis in Rep. non uti ſæpè expedit 8. exemplum unius ejusdemque rei probatum & improbatum 9. exemplum magnum quidnam Tacito? 94. bonum quid? 97. exempla quorundam pro legibus 164. exemplis magiſtratuum populus regitur. 188. omne publicum eſt fœcundum. 331.332
Exilium cur in Rep. introductum? 175. ejus in compeſcendis ſeditionum autoribus uſus 291. ejus ap. Athenienſes & Corinthios cauſa 446. cur ſibi ipſi quidam impoſuerint? 447
F*Ama* cura 36.48.49.252
Factiones. Vide Civile bellum.
Familiæ primis temporibus erant inſtar Rerump. 17. omnis dominationis ſemen ſunt complexæ 17. præcipuè regiæ 337
Familiarum in electione Principum mutationes periculoſæ 345. earum defectus quomodo ſupplendus? 351. quando mutandæ? 401.414
Feudalia bona unde? 192
Fides quibus ſervanda? 210.222.223
Fiſcus 63
Flumina 180

Fœde-

Fœdera ſunt vel inter amicos vel hoſtes 277
Fœderum origo 203 213. eorum neceſſitas 204 fœdus quid ſit? 204. eſt triplex 213. quinam principes & populi fœdera contrahere poſſint? 204. fœdera cum quibus ineantur? 205.214.215.221. quibus cauſis? 205. fœdera vicinorum 206. commerciorum 214. quænam tutiſſima? 209 220. ſuntque vel æterna, vel tempori aſtricta 210.221 fœderum fides ſanctè ſervanda, & cui? 210.211.222. ob leve commiſſum non ſtatim infringenda 211 223. fœderum leges planis & apertis verbis concipiendæ 211.224. fœdera quando finiantur? 212.222. fœderum ſolennia 222. 269. fœderibus an liceat nocere fœderatis? 277
Fœmina cur ad imperium quoque admittendæ? 347
Formæ decor 43 plerumque magnis animis à naturâ attributus 44
Fortalitia quibus miniſtris commendanda? 48. 375 eorum extruendorum jus 246 376. 436. 446. uſus contra ſeditioſos in Rep. 284.290
Fortunæ lubricitas 249.258.268. fortunæ ſupremus apex in Rep. ejus interitꝰ indiciū 326 336
Fundi 179. nobilium non poſſideant in Ariſtocr. plebeji 443
Furius Camillus 136
Furti pœna jure divino 98.248. apud Anglos, 98. nocturnum furem cur liceat interficere?

re? 241. item cum ferro deprehenſum 248 privato quando liceat furem interficere? 54

Futurorum cura 256 274

G*Albæ* percuſſores interfecti 55. ejus vox honeſtisſima 56.317. ejus inconſtantia 318. in Hipania cur non debuerit eligi? 371. ejus in electione peccatum 372. ejus avaritia 375. cur mœnia civitatum in Galliâ & Hiſpaniâ deiecerit? 376. guloſus 409

Gallici Regni libertas 77. Galli pretio magiſtratus vendunt 146. lex Salica 166 352. quomodo ſemper duos habere Reges dicantur? 350

Generis ſplendor quid in Rep. conducat? 414

Geneuenſes 218. 434

Gentium ab initio diviſio & conjunctio 12.13.14 18. gentium ingenia quoad libertatem & ſervitutem 20.62.74.333 349. earum diverſa exercitia 21 gentium vinculum 18. Gentium libertatem amantium leges fundamentales ferè triplices 63. Gentium quarundam inhumanitas juſtè bello vindicata 253

Germanicus 286. 288. 289. 310 312. 321. 372. 374.

Germanorum veterum comitia cur in templis habita? 19. eorum ſub Regibus libertas 78. adverſus Germaniam Cæſaris irriti conatus 257. in bello cum Romanis cur attriti? 259. 292

Glorioſa utilibus ſæpè præferenda 36

Grachi leges agrariæ cur nunquam in Rep. Rom. obtinuerint? 168. Grachanarum ſeditionum fomentum 289

Gra-

Græci 317.335.339
Guſtavus Suecorum Rex cur à Belgis pecuniâ adjutus? 215
H*Anſeaticarum* civitatum fœdus 216
Hæretico etiam fides ſervanda 210.212
Hebræorum Reſp Vid. Theocratia.
Helvetii 22. ſtabilitas eorum Reip. 22. eorum munimentum 22. eorum inter ſe fœdus 216. pagi 220. quâ cauſâ libertatem arripuerint? 403. arma etiam opificibus geſtare licitum 467. ratio pœnarum apud Helvet. 467.468. religionis ap. eos diverſitas 469
Henricus M. Galliarum Rex 51
Hercules 253
Heroës cur ap. antiquos inter Deos relati? 114. 310. eorum filii quandoque peſſimi 344
Heroldi in Ariſtocratiâ 443
Hieroſolyma 339
Hiſpani quamdiu fortalitia ſuis miniſtris committant? 48. Hiſpania quondam in plurima parva regna diviſa, quomodo hodiè in unum redactum? 73. Hiſpani Belgas ex ſuo ingenio perperam æſtimant 79. iisdemque perperam peregrinos magiſtratus præficiunt 137.406. frequentisſimè ſontes exilio multant 175. bella eorum in Indos injuſta 241. ars eorundem fœderibus fallendi 276. eorundem Dominatus in Belgio intolerabilis 350
Homo difficulter regitur 5.24. & cur? 19. homines in peccata proclives 250

Honorum pompa civibus & nobilibus quandóque concedenda in Rep. 33.373. in honoribus deferendis ad Remp. attendendum 85. bonis ad eos pateat aditus 123 præprimis nobilibus 124. honorum collatio ob rem benè geſtam in Ariſtocratiâ qualis eſſe debeat ? 437
Horatius cur cædis abſolutus ? 100
Hordeonius Flaccus 290
Hoſti an fides ſervanda ? 210. cum eo fœdus commerciorum iniri poteſt. 215. in victos quando ferro & flammis agendum ? 239. eorum deſperatio ſæpè pro fortitudine 249. quomodo exhauriendi ? 249. vitia hoſtium optima occaſio belli inferendi 257. hoſtis reconciliatus cavendus 263.273. item ſubjugatus 269.270. eorum commodis nihil indulgendum 272.276 ei quomodo commoditas optima invadendi Remp. tribuatur ? 286
Humanitas propria Magiſtratuum virtus 363
J
Jacobus Rex Angliæ 414
Jeſuitæ Rerump. pernicies 311. à Venetis cur ejecti ? 415
Imperator belli 277. Vide Bellum.
Imperiorum res generatim conſideratæ ſunt fundamentum Politicæ ſcientiæ 2. imperandi diverſæ rationes unde ? 3 imperandi modus ingeniis & moribus ſubditorum attemperandus 5. item temporibus 9. Imperia ſenſim provenerunt 10.12.17
Imperium primum unde, & quid ? ibid. in

qt os? ibid ejus vis in quo conſiſtit? 11. quorum? *11.* ejus uſus? 11
Imperium ſecundum unde? 11. 17. quid eſt? ibid in quo conſiſtit? ibid. ejus uſus, ibid. eſt origo peculiarium Rerump. 17
Imperium tertium quid? 11. ejus vis in quo conſiſtit? 12. origo. 12
Imperiorum incrementum & faſtigium unde? 13. imperantium & ſubditorum nexus 25. imperii ſedes nunquam vacua relinquenda 36. 257. 314. 451. Imperiorum vires majores, quàm reverà ſunt, omnibus perſuadendæ 49
Imperia vel ſunt primæva, vel ab his deducta 72. Imperia primæva potisſimùm occupationibus conſtituta. 72. Imperiorum libertas quomodo mutata? 73
Imperia per electionem conſtituta 74 imperii juſti & injuſti convenientia 95.. imperio quando non utendum? 171. 172. imperiis ſummis nihil negligendum 243. imperii amplificandi causâ bellum non ſumendum 247
Imperii jura quomodo ab arcanis Imperii differant? 298. 312. ea quænam ſint? 299. eorum uſus 300
Imperii ſimulacra quid? 304
Imperiorum fatales periodi 325. translationes unde? 328. imperium quò usq; augendum? 330. imperii forma quænam optima? 334. impe-

imperiorum denominatio unde deſumenda? 338. imperium fœminarum 347. 352
Inæqualitas in Rep. quid? 280. 287
Inclementia 283
Inconſtantia 289. 290
India orientalis cur ſegetibus & oleis non conſeratur? 48. Indos quomodo *Columbus* terruerit? 111. utriusque Indiæ ſocietas cur à Belgis confirmata? 194. 195. 214 Indi injuſtè ab Hiſpanis debellati 242. 247
Induciæ. Vid. Bellum.
Ingeniorum humanorum diverſitas 3. 114. unde? 21. ad hanc in fundandis & adminiſtrandis Rebusp. maximè attendendum. 20. 335. arguit imperiorum diverſitatem 21. 74. 333
Ingenia maxima cur ad Reip. gubernationem minùs idonea? 331. ingenia nimis civilia 377
Iniquũ quando in Rep. tolerandũ? 98. 99. 168. 175
Injuria eſt duplex 244. facilè infertur 266. ſeverè patriciis contra plebem vindicanda 441. 451
Innocentibus quando interdum non parcendum? 99. 255. cuiusque innocentis defenſio ſuſcipienda. 241
Inquilini 123
Inquiſitio Hiſpanica 4. quando & cur introducta? 4. 405. eſt proditioni ſimilis 405
Inſignia gentilitia quid? 173. dominationis 303 319. eorum ſpecies 319
Judæorum Reſp. Vide Theocrat.

Ju-

Iudicis arbitrio quidnam permittendum? 97.153
Itinerum ſecuritas 195.213
Junius Brutus cur pop. Rom. de non revocandis Regibus juramento aſtrinxerit? 468
Juramentum 113. fidelitatis juramento non poſſunt abſolvi ſubditi ab alio Principe 413. quid valeat in Democratico ſtatu? 468
Jus naturæ 51. corrigitur à jure gentium 89. violatum bello vindicandum. 252. Vide Natura.
Juris Civilis anguſtia 89 corrigitur jure dominationis ibid. 94.96
Juris privati & publici differentia 96. privatum 90. poſtponitur publicæ utilitati 91.92 idque propter maximum Reip. emolumentum 94 ejus ignorantia non excuſat peccantem 149
Jus publicum 97. ejus ignorantia non excuſat magiſtratum 149
Jus gentium violatum bello vindicatur 230.252 non ſilet inter arma 240. eo ſuum cuique tueri licitum. 241
Jus decimationis. Vid. Decimatio.
Jus Feudi. Vid. Feud.
Jus fiſci 182
Jus adeundæ hæreditatis 182
Jus venationis 191
Jus repreſſaliorum 211.223.
Jus ſuũ nõ ſtatim perſequi interdũ expedit 256
Jus ſummum 261

Lace-

L*Acedæmoniorum* magiſtratus 83. reges 348. Reſpubl. 432
Legatorum cura in tuendâ majeſtate 57. ſeculares & Eccleſiaſtici 57. jus violatæ legationis 230
Legiſlatores veteres cur ſe Deorum conſiliis uti finxerint? 19. Legiſlatorum requiſita 168
Legum diverſitas 151. unde? 3.5. lex ſuprema 29 Leges in Rep. vel ſunt majeſtatis vel à majeſtate profectæ 52. leges ſunt poſteriores majeſtate. 54. ideoque in caſibus extremis ſequeſtrandæ, ibid. 88
Leges gentium fundamentales 63.78.152. earum origo 165 166. neceſſitas 166. augeri plerunque ſolent 167
Leges conſtanter ſervandæ. 81. Legum munia in ſe trahere quid ſit? 82, veteres quando antiquandæ? 93. 167. 170. Lex ſit domina magiſtratûs 127. leges ſunt vel divinæ vel humanæ 167, Legum neceſſitas 151. 417. origo 151. 164. 335
Leges annales 130
Leges civiles 153. debent augeri, corrigi & illuſtrari 153. 154. mutari 154. 156
Leges cenſoriæ 155, eorundem argumentum 155 objectum ibid.
Leges ſumtuariæ 182, 192 193
Leges populares 466
Lex Licinia 466
Legum autoritas unde? 156, 167. 168, quomodo minuatur? 170

Leges quomodo inter arma ſilere dicantur? 240
Leges per vim non ferendæ. 157.171
Leodienſes 217.467
Lepidus 395
Liberalitas publica 281. eâ quando maximè utendum? 287. Liberalitatem quis optimè exerceat? 433 ejus ratio in Ariſtocr. 445
Libertas eſt vel obſequii, vel imperii 58
Libertas obſequii quid? 58.59 60 ejus vis eſt vel tacita, vel expreſſa 60.62. ejus ab umbrâ libertatis diſtinct. 71.83. ejus impedimenta 67.68
Libertas Imperii quid? 58.72
Liber populus qui? 59
Libertas & principatus ferè opponuntur 62.76. Libertatis occaſio ejusdem cupidis gentibus nunquam negligenda. 65. 402. libertatis tuendæ præcepta 70 346. umbra libertatis quid? 72.83.85. libertas Democratica facilè in licentiam degenerat 74.471
Libertas populi in Democr. 74.75.334.458
Libertas pop. in Ariſtocr. 75.334
Libertas pop. in Monarchiâ 76.333
Libertas reſtricta 76.77.78.79
Libertatis uſus 85
Libertas amiſſa quàm difficulter recuperetur? 86
Libertatis beneficium à ſubditis non intelligi, intereſt Reip. 313. Libertatis & vitæ par ratio 398. Libertatis extremum 399.413
Li-

Licentia 74.471.473
Lugdunum Batavorum 194.195
Luſitania 352
M*Agiſtratus* conſtituendi formula ap. Arragonios 16
Magiſtratus quid? 22. duabus cauſis inſtituti 22
Magiſtratus ſubalterni qui? 24. eorum poteſtas qualis? 27
Magiſtratus imperium ſit cum ratione conjunctum 30. magiſtratûs reverentiam quidnam excitat? 39. Deum æmulantur 40. ex geſtoribus precium accipit 50. 122
Magiſtratus conſtituendi aut abrogandi ratio ap. gentes liberiores 64
Magiſtratus ſupremi dupliciter conſiderandi 252
Magiſtratus ſint arbitri motuum civilium 282
Magiſtratus legum munia in ſe nõ trahat 82.88
Magiſtratus ſummus à civilibus Ll. quandoque deflectere poteſt 88
Magiſtratuum jura 313.314.315
Magiſtratus ſunt tutores populi 181.192
Magiſtratus quando à populo pecuniam mutuò ſumere debeant? 189
Magiſtratuum minorum neceſſitas 120. diviſio 121. cautione ſummâ eligendi 121.135.372. eorum requiſita 122.135.373. quinam eligendi? 122.124.135.136.138. ſinguli ſingulis Reip. muniis imponendi 125.139. eorum numerus receptus non facilè augendus 126. interdum

novi, & quando creandi? 140. iisdem limites curæ & mandati deſcribendi. 116. eorum arbitrio quidnam relinquendum? 126. limitibus mandatorum diligenter inhæreat 127. caſus graviores ad ſupremum deferat 127. eſt vel perpetuus, vel temporarius 128. ex perpetuis quinam continuandi, & qui non? 128. 129 372. perpetui quidam in plures diſtribuendi, & quos? 129. temporariis non omnes ſimul geſtores removendi 130, nec proximi ſuccedant ibid.

Magiſtratus quanam ætate conferendus? 142

Magiſtratus quinam juvenibus permittendi? 130. magiſtratus inferiores quinam? 143. inferiores ſint gradus ad majores 131. 143. pretio non vendendus 131. 145. eorum geſtores quorum & quibus ſtipendiis alendi? 131. quanam poteſtate debeant eſſe inſtructi? 132 133. de iis ſubditorum querelæ quo diſcrimine admittendæ? 133. 134. 147. eorundem neglectus ſeveriſsimè vindicandus. 133. 147. quà talis non puniendus 134 148 nec conſilii aut ſententiæ, ſed Reip. malè geſtæ tenetur 134. 148 eorum inſolentia quomodo refrænetur? 135. eorundem æſtimatio quomodo excitanda? 136 eorundem probatio 144. cenſura ibid. eorundem inſcitia magnum vitium 149

Magiſtratus iniqui an bello ſubigendi? 241. eorum conſtantia, concordia & prudentia remedium

meditum factionum in Rep. 283.284.289. ejus potentia eſt in obſequio populi 291. eorum errata coram populo tegenda,316.de juribus imperii non diſceptent 316. metus iisdem contemnendus 319.magiſtratum creare Principis ſit 372
Majeſtas penes quem ordinem in Rep.ſit,quomodo agnoſcendum? 15. ſit obſequio juncta 16. dupliciter conſideratur 34.40.43,in unius imperio elucet maximè 35
Majeſtatis lex 35. eo quando utendum? 37. 54. quodnam ejus jus generatim? 37
Majeſtatis rectus uſus ibid.
Majeſtatis poſſeſſor eandem in alio non lædat 26, majeſtas in quos transfundenda?36,50. majeſtatis miniſtri, ne ipſam invadant,providendum. 36,50. majeſtas ſit aſtricta legibus majeſtatis 36.ut & gentium & naturæ 37. *Majeſtas* quid? 40,42.43, majeſtas in maximis,in minimis & quavis fortunâ debet obſervari 40,252. formulæ ex majeſtate natæ 42, quo diſcrimine à Principibus uſurpentur? Majeſtas in quo conſiſtit? 42. Majeſtatem habet quodvis imperium, cujuscunque formæ, modò ſit liberum 42
Majeſtas Reip. quænam? 38.41.59
Majeſtatis nomen ignotum primis temporibus 39
Majeſtatis læſæ rei ſeveriſſimè puniendi. 39.55. 252. crimen læſæ Majeſt. quomodo à cæteris criminibus differat? 44. inter crimina læſa maje-

majeſtatis an etiam verba, & quo diſcrimine referenda? 45 majeſtas in prædeceſſoribus tuenda. 55. majeſtatis ſpecies ab ipsâ majeſtate diſtinguenda 44. Majeſtati quandoque utilitatem moderni principes præferunt 49. majeſtatis ſumma non niſi in extremis & difficilibus impendenda 53. majeſtas ab inferioribus, paribus & ſuperioribus agnoſci debet. 57

Majeſtas ante leges fuit 54. adnexum ſibi habet jus dominationis 86

Magnificentia & pompa externa requiſitum imperantium 43

Mali cujusdam tolerantia in Rep. ſæpè utilis 8. 331. 255. malum primâ ſpecie bonum 275. malorum occaſio præſcindenda 401. 255. 331

Mandatorum ratio in bellis 260

Mare 191. ejus proprietatem nemo ſibi arrogare poteſt. 245

Mariani ſcripta cur multis in locis exuſta? 413

Mariæ Scotorum Reginæ Epitaphium 47

Marius ſolo aſpectu terruit ſicarium 43. 320.

Matrimonium 245. 404. 405. 436. 450.

Mercatura nobilibus Italis permiſſa 450

Metalli fodinæ 180

Metus frænum principum 79. metus mali eſt ſæpè cauſa boni 80. quod metu geſtum, aut omiſſum, privato licet reſcindere 211. metus quando contemnendus? 319

Miles legendus, non emendus 56. Ejusdem exercen-

xercendi acceſſio 272. tumultus 53.289.290. 292

Militiæ leges 261

Miniſtris rerum præcipuè attendat princeps 403

Minimum quando maximè curandum? 224.243 319.320

Miſericordia 164. ejus ratio quando habenda? 249

Mœnia cur antiquis ſancta? 376. eorum erigendorum jus pertinebat ad Principem 376

Monarchia eſt form. Reip. antiquiſſima 334. 337.341. ejus cum paterno imperio ſimilitudo 337. an optima regiminis forma? 338. quid eſt? 341.348 eſt facillima 341. tutiſſima 342. eſtque vel Dominatus, vel principatus 342. 349. PRINCIPATUS quid? 342. ejus forma 343. DOMINATUS quid? 342. ejus forma 343. apud quos hodiè obtineat? 343.349. in eo quidnam peſſimum? 350. ſemper inviſus 350. 351

Monarchiæ arcana 352. à paucis veterum tradita 267. everſio 379. 401. 403. quibus cauſis fiat? 379.403. Vid. Tyrannis.

Monetæ uſus in Rep. 182. ejus accurata ratio habenda 193 ejus materia reſpectu pretii non ſit nimia, nec nimis modica 193. aurea quomodo ſuperiori bello damnum attulerit? 194. ejus adulteratores graviſſimè puniendi & cur? ibid. ejusdem cudendæ

dendæ jus nulli privato concedendum 194. ejus jus 314
Monopolium Reip. 214
Mores gentilii 20.114 eorum diverſitas unde? ibid quondam fuêre pro legibus 164
Mores corrupti in Rep. indicium interitûs ejusdem 326
Moſchi 349. bonarum artium oſores 404. eorum imperium, ibid.
Motus. Vide Civile Bellum.
Multitudo quomodo uniatur? 416.426
Munimenta ſeu arces. 246. Vide Fortalitia.
Mutationes rerum humanarum 266.268.323.327 330.331
Mutationes in Rep. periculoſæ 284.289.326.329. 330.331.345.397.412.426. quomodo præveniantur? 352.415.447.468
N*Atura* quandoque noverca cur tamen benigna dicatur? 99. ejus ſingularia beneficia 179. ea beneficia Reſp. ſibi ſolis, exceptis privatis, retinuêre & cur? 190
Natura beneficia negata ſæpè in alium ſunt translata locum 318
Natura cuique regioni aliquid peculiare dedit 191.213. cur animalia bruta armârit? 240. omnium conſervationem intendit 240
Natura jus cuilibet tuendum 252
Neceſſitas novas agendi rationes novasque leges inducit 93.99. 100.258,292. interdum in Rep. fingenda, 186.197. in extremis præ ratione

tione obtinet 219. locum rationis ap. populum ſupplere debet 468.
Neceſſaria quænam dicantur? 240. neceſſariarum rerum affluentia in Rep. procuranda 281.287. Neceſſaria bello tueri licet 240
Negocia publica ſunt vel vera vel ficta 295. eorundem ratio Magiſtratibus ſemper, licet quandoque ficta, reddenda 309.322. eorundem adminiſtratio in Ariſtocratiâ pluribus potiùs quàm uni permittenda 438
Nero cur vectigal emtoribus remiſerit? 170. ſupplicia non ſpectavit 177. cur Torquatum Silanum morti adjudicaverit? 377. cur urbem incenderit? 406
Neutralitas 207
Nobiles ad imperium nati videntur 32. ſolâ quandoque honorum pompâ mitigantur 33. iis ad honores aditus pateat præ plebejis 138. 139.373 nobilitatis jus cur inventum? 173. nobilitati ſoli cur quibusdam locis jus venationis conceſſum? 191. in egeſtatem lapſi præcipuè ſublevandi 287.450. in Ariſtocratiâ nobilium familiarum poſteri magiſtratu non excludendi 438.439. matrimonia cum plebejis cur inire non debeant? 450. nec vilia opificia tractare? 450. agricultura tamen cur permiſſa? 450.
Nocere ſibi quando referat? 268.275
Noſtra quænam dicantur? 244
Novum 198. vulgus amat 324. eorum occaſionem

nem quando nobiles & vulgus arripiant? 433

O*Bſequium* ſit conſtans & æquale 170. quomodo ap. ſubditos obtineatur? 309 non facilè exuendum ſub tyrannis 395.412.413

Obſidionis hodiernæ leges 254. *Oſtendana* 171

Occaſiones rerum non præveniendæ. 256. res conſtituit felices 256. ad eas in Rep. attendendum. 270

Occupatio 23. eſt principum aut optimatum 23. non omnis fuit illicita 28 frequentior antiquis temporibus, quàm electio 28. ei plus ineſt imperii 28. in occupantem nemo jus prætendere poteſt 72 244. occupatio eſt in re terminatâ 245. occupationum diverſitas 337

Ochlocratia quid? 471. ejus à Democratiâ diſcrimen 472. eſt omnium immaniſſima tyrannis 472 convertitur in anarchiam 473. exemplum 474

Oligarchia quid? 453. cur ſic dicta? 453. ejus ſubverſio 454

Opes Reip. ſplendorem conciliant 139.190. eidem ſunt neceſſariæ 178 ſuntq; vel cum Rep. natæ, vel ex ſubditis collectæ 178. quomodo augendæ? 183

Opificia quomodo promovenda? 194.195

Opinione in Rep. non peccatur 148.149. modus tamen hîc figendus ibid. *Ejus* à ratione diſcrimen 310. ejus perſuaſio difficilis 310. quo-

310. quotuplex 320. omnium gentium fuit 320. ratio eas conſervandi. 320
Optimates. Vid. Ariſtocr. & Patricii.
Orientalium populorum ſervilia ingenia 4. regio aſſueta imperio 337.414
Otium plebi noxium 367. 378

P*Arlamentum* Galliæ 77
Patientia quænam à Chriſto commendatur? 240. ſub tyrannide 395.396.397
Patricii 418. eorundem privilegia 441. 442. 443 444. quænam cum plebe habere communia debeant? 444
Pauperes utiliter à divitibus reguntur 139
Pauperum admiſſio Reip. proficua 195. quomodo ſublevandi? 281. pauperes cur faciant ſubditos tyranni? 405. quomo liberales dici poſſint? 4?3
Pax quando concedenda? 249. durioribus conditionibus quando concedenda? 254. quid eſt? 266. ejus inter homines inſtabilitas 266. 267. bonâ fide omninò habenda 266 278 nec tamen abſque ſuſpicione belli 267. 273. ejus ap Romanos ſignum 269
Peccata bellorum ſeveriùs quàm civilia punienda 268
Peculatûs crimen quomodo antevertendum? 190
Perduellionis crimen extraordinariè puniri poteſt 54
Peregrini 122. non facilè ad magiſtratus admitten-

tendi 137. tributis magis quàm inquilini onerandi 185.196. à tyrannis præferuntur civibus 406
Pericles Reip. Athen. everſor 474
Perſa 349
Perſecutiones Chriſtianorum ſub Impp. unde? 116
Perſonarum dignitas & indignitas 50.121
Philippi II. Hiſp. Regis prudentia in dirigendis ad futurum tempus conſiliis 9.276
Pirata 253
Piſo 372.375.406
Platonis Resp. 268. quamnam religionem in Rep. admittendam cenſuerit? 114. ejus harmonia 29. numeri & Muſica 325.329
Plebs ad Reip. munia quoque admittenda & cur? 31.32.136.448. externis plurimùm movetur 43. cur jus dominationis averſetur? 90. magiſtratuum ignoret disſidia 119.443. plebem legitimè fallere quid? 197. ejus in res aut perſonas diverſa ſtudia quomodo componenda? 281.287. otium ei negandum. 367. plebejorum in Ariſtocratiâ ratio quænam habenda? 440.441.442.443. plebis infimæ in Democratiâ quænam ratio habenda? 467. plebs in claſſes cur dividenda? 469
Pœna 157. earum in Rep. uſus 157.248. pœnæ publicæ ſunt duplices 251. quâ æquitate & emolumento infligendæ? 158. legibus definiendæ 158. graviores ante exactionem indi-

can-

candæ 159 circumſtantiæ in puniendis non inſerendæ legibus 159. pœna in exactorem redundatura non infligenda. ibid. 176. pœnarum remiſsio quorum eſſe debeat? ibid. pœnæ & criminisſit proportio 160. 251. ſingularis delicti pœna qualis? 160. ſummorum virorum qualis? 160. item plurium 160. item multitudinis? ibid. item omnium 163. pœnis exactor non videatur delectari 162. 176 pœnarum modus 163. eſt duplex ibid. pœnæ finis 161. 175. pœnis quidam redduntur deteriores 175. omnia ſcire, non omnia exequi 176. pœnarum ſigna ap. Rom. 251. pœnarum ratio in Democratia 465 467

Pœnitentia interdum loco pœnæ acceptanda 162. 176

Politica quid? 1. ejus ſcientia ab uſu non divellenda. 2. 3. Politicæ ſcientiæ fundamenta ibid. ad quamvis Remp. & ejus bonum ſe extendit ibid. eſt perpetua ibid. ingeniis & temporibus accommodanda 9

Polonici regni diſſenſiones unde? 117

Polyarchia 415. 426. cur à quibusdam improbata 415. 426. quomodo ſtabilienda? 416. 428. in eâ quænam arbitrio imperantium permittenda? 417. ejus ſpecies 417. 429. Vid. Ariſtoc. & Democrat.

Pompejus 98. ejus cum Cæſare bellum 286. cur à Cicerone reprehenſus? 451

Pontifex Rom. ob prætenſionem juris in Eccleſias

ſias Orientales, earum titulos retinet 41. quomodo diſſidia religionis Pontificiæ componat? 119. cur donationem Conſtantini fingat? 369. excommunicatio eorum iniqua 400.413

Pontius Pilatus quâ ratione injuriam fecerit Rom. Imperio? 316

Populorum diviſio à diſſidiis & injuriis fuit domeſticis 12.13

Populi ſalus 60.62.92.98

Populus regitur exemplis magiſtratuum 188 ejus tumultus quomodo à magiſtratu compeſcendus? 183. ejus mutabilitas 457

Portus 191

Poſſeſſionum diſtinctio 17. inſecuta eſt imperiorum diviſionem 190

Præcepta generalia Politica in Rep. ſæpè mutari debent 9

Prælio quando decernendum? 258. 259. Vid. Bellum.

Præſcriptio ubi non detur? 256

Prætoriani milites 288.314.370. prætorio præfecti ſub poſterioribus Impp. cur ex JCtis creati? 374

Principis vocab. quam poteſtatem ſignificet? 67

Principes Oriental. populorum ferè legibus ſoluti 4

Principis autoritas quibus modis labatur? 8

Principes ap. priſcos quoque ſacerdotes ſimul 19. 112. principibus divinitatis opinio olim affin-

affingebatur. 19. eorum mores vulgus ſequitur.21. non ſint incurioſi majeſtatis 41. Principes in malâ fortunâ conſtituti titulos tamen mordicus retinent 41.271.319. magnificentiâ & pompâ externâ opus habent 43. item formæ & oris majeſtate 43

Principes ad famam debent attendere 48. aſtringuntur ad leges naturæ & gentium 51. an, & quâ ratione legibus ſoluti? 53.60. Principi interdum ſine reſpectu legum in ambiguis procedere licet.54. ſubditos & obſequium potiùs habeat, quàm mereatur 56. quinam imperio indignus? 61. Principum inter liberas gentes poteſtas 63. ejus cum ſubditis contractus 66. reverentia Principum 413. principi, quod libertati adverſatur, nil concedendum.71. ab adulatoribus corrumpuntur 68.70. cavendum iis, ne umbrâ libertatis decipiantur 84. eorum arcana non ſcrutanda 96. eorum artes fallendi 172. vel *eliguntur*, vel *ſuccedunt* 344. benè natus beneque electus Princeps quinam dicatur? 344. Principis cura in demandandis magiſtratibus 372. quomodo odium ſubditorum declinet? 393. Principatus cum peſſimo Principe amovendus 401. 414. Princeps juſto titulo teneat Principatum 354. 368. augurationis ſuæ ſolemnia cautè & certis legibus fieri procuret 355 358 371. nocituros præoccupet 355. acta priorum Principum

rata habeat 356.370. juratis à ſe legibus ipſe obſequatur 356. Majeſtatem prioris Principis læſam ſummè vindicet. 356 370. majeſtatem in aliis non lædat 356. fœdus cum iis populis, qui Principes ſuos imperio exuerunt, non ineat 357. ſedem imperii non facilè omittat 357 remotis in terris nō bellū gerat 357.370. imperii modum ſtatuat 358. corpus ſuum & aulam cuſtodiā militari muniat 358. 371. hæredem certum deſignet 359. 371. liberos & cognatos maximis dignitatibus imponat 359. nimis eminentium dignitates commutet 360. gloriam rei præclarè geſtæ nemini concedat 360.374 honores quæſitiſſimos cum nemine communicet 361. quæ gratiæ ſunt, ſolus ſibi vendicet 361. ditionum præcipuarum præfecturis nimis potentes non imponat 362.376 humanitatis quæ ſunt, non negligat 363.378. neminem unum præ cæteris extollat 363.364. conſultata cum paucis communicet 364. propriam autoritatem ante omnia ſtabiliat 364. conſilia multitudini ingrata non amplectatur 365. nec contumaciter & uſque ad arma ſubditorum deſideriis reſiſtat 365. nihil, quod ſpectat ad jus ſuum, differat 366. miniſtris inviſis non utatur. 366. otium plebi neget 367

Privatis quænam è Republ. elocanda? 184. eorum fortunæ non excedant publicas Reipubl. 190. 191. iis quomodo

do ſubveniendum, ut juvent poſteà Remp. 194.195 pede ſuo ſe metiri debent 217. quando ſe vindicare non poſſint? 243. duplex habent rerum ſuarum præſidium 243. eorum delicta quando univerſitati imputentur? 254. 255. privatarum perſonarum à publicis differentia 269. eorum arcana 308. privatis mutatio imperii non convenit 413. privata potentia quomodo coërcenda? 362

Proditio. Prodere civem 98

Promiſſis quando non ſtandum? 285.292

Providentia divina 324.327.338

Provocatio 147. in Democratiâ 464

Prudentia eſt fundamentum uſûs in Polit. 2. rerum & temporum diverſis conditionibus ſe applicat 154. *Bellica.* Vid. Bellum.

Publicani 187. defraudata eorum induſtria graviſsimis pœnis vindicanda 188. exoſi plerumque 199. iniquitas eorum in provinciis Rom. 199. injuriarum causâ conſtringendi 199

Q*Uæſtura* ap. Rom. 143. fuit poſtremis temporibus venalis 146. quæſtorum officium 203

R*Aptus* 97

Ratio olim pro legibus 164. eſt fundamentum legum 165.171. eſt univerſalis ibid. ac ideò pro cujusvis Reip. ſalute reſtringenda. 165

Rebelles libertatis nomen ſæpè prætendunt 84. iis etiam fides ſervanda 210

Regalia 63.180.181.191
Regni certus ſit hæres 288 345.346.359. regnorum origo 337
Regum origo 18.349. ſpeciei variæ 348. jura ſua non communicent 317
Religio unde dicta? 111. eſt vinculum conjunctionis gentium 19. Reipubl. 102. 111. ejus autoritas & timor ap. antiquos 19. ejus fictio quantum profuerit Reip. Rom. 19 potiſſimùm in metu conſtitit 19. *quid ſit?* 103. Magiſtratibus inprimis curæ ſit 103. ejus in Remp. commoda 103.104 105.112. neceſsitas 106. religio una 106.107.114. plures quo diſcrimine in Rep. tolerari poſſint? 106.107. 108.109.114.115.116 cæteris una prædominetur in Rep. 109 116.117. vi non eſt obtrudenda 109.117.118. religionum multitudo quomodo prævenienda? 110.118. quamnam Plato admiſſam in Rep. voluerit? 114. novæ uſus privatis cur non concedendus? 116. Religionis prætextu Remp. turbantes quâ ratione puniendi? 118. Religio non facilè immutanda. 119 In religionis disſidiis componendis Pontificiorum inſtitutum 119. Religio Remp. turbans exterminanda. 286
Reſpubl. quid? 10. Rerump. origo ex diviſione dominiorum 12. Reſp. ferè monarchiæ opponitur 14. Rempubl. antiquis temporibus etiam pauci conſtituerunt 14. Reip. finis 18. cauſæ 18. partes. 22

Reſp. quo ſenſu concordia & diſcordia appelletur? 22. Reip. majeſtas 15 38. ea definitur dupliciter 38 hujus majeſtatis lex. 39
Reip. ſedes vel locus nunquam vacuus relinquendus 48.315. Reſp. ſæpè mutant Principes, ſed cum Principibus 70. non mutant libertatem ibid. Reſp. quænam prudentiſſimè inſtitutæ? 79. Reſp. ſit norma omnium in eâ actionum 85. Reip. à familiâ differentia 99 Reip. concordia quomodo conſolidetur? 113.135 Reip. mutatio eſt ſæpè à mutatione religionis 119. Reip. amor quomodo excitandus? 123 135. Reſp. privatorum fortunas ſuperet 180. Reip. opes non minuendæ 180.191.192. Reip. opes quando & quomodo privatis poſſint oppignorari? 181. Reip. ſingularia jura 181
Reſp. non tantùm domeſticis, ſed etiam externis indiget auxiliis 203. Reip. ſua potentia cognita eſſe debet 217. Reip. cum corpore humano ſimilitudo 415.427. adverſus Remp. bis peccare non licet 249. Reip. cauſæ non facilè tranſcribendæ 270. Reip. ſtatus quinam optimus 304.459 Reip. cum ſcenâ ſimilitudo 306. ratio, quâ Reſp. æterna ſervatur. 306.
Reſp. omnes vel mutantur, vel evertuntur 323. 327. *Mutatio* Reip. quid? 323. *Everſio* quid? 323. ejus cauſæ 324
Rerump. diverſæ formæ unde? 333.337. quænam optima? 334.338. Reſpubl. perumq; ſunt

cõfuſi imperii 338 Rerump.arcana 352. Remp præſtat à malis, quàm nullis gubernari 474
Richelieu 170
Ritus externi in publicis multum nonnunquam valent 43. *rituales* libri Romanorum plebi vetiti 119
Romani quomodo etiam ad ſervitutem reges ineſcârint ?21. & gentes 220. Romana Resp. quando pacatisſima? 32.136 famæ accuratisſimam habuerunt rationem 49. certâ formula Reip. ſuæ majeſtatem fœderatos agnoſcere juſſerunt. 57 Romanæ Reip. libertas in primordio 75. ſub Regibus 76. ſub Auguſto & Tiberio 80. in Rep. Rom. ſenator primarius *Princeps* dictus 83. Romanorum Regibus cur non licuerit verba ſacrorum ad populum facere? 112
Romanorum ſacerdotum artes in devinciendis religione animis 113. Romani ritus externos ſæpè admiſerunt 115. cur iis Ebræorum ſacra exoſa? 115. Romani ritualibus libris cur plebem prohibuerint? 119. Rom. Resp. ad ſummum Imperium eluctata communis omnium gentium patria 137. cur ab initio plebejos à Reip. muniis prohibuerint? 139. cur neminem niſi cenſu ſenatorio inſtructum ad magiſtratum admiſerint? 139. tenuisſimis rebus cur magiſtratus impoſuerint? 140 cur Prætores plures habuerint? 140. vix reſpectũ ætatis in Rep habuerunt. 142. eorum juventus quomodo ad Remp. aſſuefacta? 144 magiſtra-

giſtratuum candidati 144. Romani temporibus poſtremis magiſtratus vendiderunt 146. nimia & immodica provincialibus impoſuerunt interdum 169. levibus impenſis præmia decreverunt 173. accuratam eorundem rationem habuerunt 174. quas provincias bello potisſimùm aggreſſi fuerint? 191. diſcordes cum vicinis gentes facillimè ſuperaverunt 216.219. formula fœderum ap. Rom. 222. Romanorum in Italos bella injuſta 242. cur ſæpè usque ad excidia gentium in bellis graſſati? 248. ſæpè ob nulla delicta bellum intulerunt 252. cur inter hoſtes vitia excitârint? 258. Romanorum in Germaniâ fortuna 259. eorundem diſciplina militaris 260. eorundem ſigna bellica 269. fœciales ibid. fœderibus plus quandoque nocuerunt, quàm armis 276. Romana plebs prona ad ſeditiones 287 307. iisdem feſſa poteſtati Auguſti ſe permiſit 287. ſpectaculis & ludis eorum cur magiſtratus præſens? 290. eorum coloniæ 290. cultum literarum cur ex Græciâ petierint? 312. Magiſtratus eorum in quinquennium cur non creati? 313. eorum Resp. cur ex Regio in optimatum ſtatum converſa? 315 ejus decrementum unde? 327. 328. dominatus Romanis indolerabilis 350. Lex Regia Rom. 368. Regnum cum Regibus mutârunt 414. 415. Rex ſacrorum qui? ibid. eorum Polyarchia quomodo extirpata? 428. plebejis ap. Rom. arma vetita 452. nobilibus

 injun-

injunctum eorum ſtudium 451. in quas claſſes pop Rom. diſtributus fuerit? 470

Sacerdotum disſidia cur occultanda coram plebe? 119. antiquorum arcanum 307.311

Salina 180

Scelus cogitatum pro conſummato in Rep. habetur 143

Scientiæ & uſus diſtinctio in Polit pag. 1.3 6, ex quibus conſtet? 3. ejus præcepta generalia in particularibus ſæpè falſa exiſtunt 3

Scipio Naſica. 7

Seditionibus non adeò periculoſis pars majeſtatis tantùm impendenda 53

Seditionibus jus dominationis applicandum 100. religione compeſcitur 111. interdum conniventiâ 176. ſeditio quando ipſi magiſtratui imputetur? 254 ſeditioſi loco diſtrahendi 284.290. ſeditionis autores præprimis compeſcendi 285.291. ejus autores inter ſe committendi 285. 291. in ejus graviſſimo motu ſeditioſis quædam concedenda 285. ſeditionibus vis abſtinenda 282. 288.291. periculoſisſimæ quæ? 291

Sejanus 51 286 314

Septentrionales populi libertatis amantes 5. ob id Reges ſuos legibus aſtringunt ibid.

Servilia ingenia 20. *Servitus* corporum 20. in ſervitute imponendâ Romanorũ calliditas 21. ſervis nihil publici committendum 50. 136. bella ſectari cur prohibiti? 136,453. ſervitutis extremum 399

Simu

Simulatio Politica 295. in quo verſetur? 295. non ſit nimis affectata 97. ejus à philoſophicâ differentia 309. tyrannorum 407
Simulacra Imperii. Vide Arcana.
Socrates cur ab Athenienſ. interfectus? 116
Spinola 175
Statua cur etiam demortuis poſitæ. 173
Stratagemata 307
Studia literarum 312.313
Subditi qui? 24. ſunt duorum generum ibid. ſubeſſe alteri eſt contra naturã 24. obſequii & imperii nexus 25. obſequii neceſſitas 28 ſubdito, in quo præcipuum robur majeſtatis eſt, imperium non eſt committendum 36. obſequii ſpecie, ne quis imperium invadat, proſpiciendum 36.51. Subditi inſtitutis ſituque diverſi unâ eademq; dominatione non poſſunt contineri 69. ſubditi de magiſtratibus & jure dominationis non debent ſeciùs judicare 87. ſubditis quidnam maximè obſequium extorqueat? 111. 112. ſubditorum & imperantium fidem mutuam quid ſtabiliat? 113. ſubditis non immodica imponantur 169 196. nec non neceſſaria 169. ſubditorum fœdera ſine ſupremi magiſtratûs conſenſu inita ſunt conjurationes 204. opinio de magiſtratibus quomodo iis perſuadenda? 310. beneficium libertatis ne intelligant, intereſt Reip. 312. uni quàm pluribus melius parent 342. ſubditorum ſub tyrannis & adverſus eos officium. 394

Succeſſio unde orta? 23 eſt poſterior electione 23. quid ſit? 344 in eâ nihil diſſidii, nihilque libertatis 344 eodem jure etiam fœminæ imperio admittendæ 347
Succeſſor in imperio Electitio quando eligendus? 345. in ſucceſſivo imperio, deficientibus conſanguineis &c. adoptandus 346. ſucceſſorum inſidiæ 371
Succini proventus 180
Superbia propria tyrannorum 412. ſubditis intolerabilis 441
Supplicium 248 Vid. pœna.
T*Aciti* vituperium 340
Thalaſſiarchi poteſtas qualis eſſe debeat? 260
Tarquinii omnes cur Româ expulſi 446
Theocratia fuit populi Iſraëlitici 115 335 339. ejus antiquitas 339 340 eſt præ reliquis ſingularis Reip. forma 335 336. quando defecerit? 336 340 341. *Iudæi* quo nomine Servatorem accusârint? 119. de iis teſtimonium Taciti 340. cæteras gentes contemnebant 339 340. unde rerum Iudaicarum ap. alias gentes ignorantia ibid.
Thuriorum mos 171
Tiberius 33. 45. 46 47 50. 53. 51 55. 370. 77. 316. 80. 142. 82. 84 320 95 117. 136. 141. 372 168 169 201. 256 310. 369 408. 311 321. 407 368 372. *Tituli* 303 319. juſtus regnandi titulus quinam? 354. 355 tituli ab exteris Principibus delati in Ariſtocratiâ nemini concedendi 437. *Trajanus* exemplar boni Principis 79. 95. 260. Remp. & Religionem diſtinguit 118. accuſatores quomodo puniverit? 405 *Trevirenſes* 217. *Tribuni* plebis ap Rom. 27 83. 145. 449 *Tributorum* neceſſitas 169. 182. 192 197. quomodo imponenda? 182 185. ſunt vel ordinaria 183. vel extraordinaria 183. vel definita 183, vel non definita ibid. à quibus colligi debeant? 184. quænam imponenda? 185 186 187 quibus rebus imponenda? 185, 196 215 ſemel impoſita non facilè tollenda 186. 197 inveterata potiùs augenda, quàm nova imponenda 198 æqualiter

liter imponenda 187 197. qua proportione? 188 201. ſine injuriis exigenda 187. 198. mollia nomina iiſdem imponenda ibid. 199. occaſio imponendorum quando captanda? 187. 200 ea à Magiſtratibus ipſis toleranda 188 200. juſta quæ? 188 201 opes ex tributis collectæ quantæ eſſe debeant? 189. 201 ſi ſatis gravia impoſita non ſufficiant? 189. 197. fraudes in iiſdem qu modo antevertendæ? 190. 202 quando remittenda? 194. quando differenda? 198 finis 201. eorum in Ariſtocrat. ratio 444. 445. *Turcæ* cur literarum oſores? 312 313. 404. eorum imperii arcanum quod? 313 everſores Græci Imperii 327. Imperatoris poteſtas 349. metus à filiis 371. *Typographia* cur à Turcis non admittatur? 6. *Tyrannis* non datur legitima 91. ejus à jure dominationis differentia ibid. 95. quid eſt? 380. in corrupta Ariſtocratiâ quid? 453. quomodo evertatur? 454. quænam immaniſſima in Rep. 473 tyrannicarum actionum ſpecioſi tituli 408. *Tyrannorum* à Regib9 differentia 349. duplices 381. eorum artes ſunt vel apertæ vel clandeſtinæ 381. 382. 383. 384 385 386. 387. 388. 389 390. 391 392. 404 quomodo eludantur? 392 393. 411 cur quidam, qui non ſunt, credantur? 393. ſub tyrannis & adverſus eos ſubditorum officium 394. quando è medio tollendi? 397 412. quâ autoritate? 399. 412.

V*Acua* fiunt occupantis 300. 315. 345 366. 425 442. *Veneta* Reip. vitia 32. 433 Venetus Dux ſpeciem ſaltem habet majeſtatis 44. Veneti interdum redimunt pecuniâ bellũ à Turcâ 49. reprehenduntur ob admiſſionem peregrinorũ belli Ducum 5 . eorum Proviſores ibid. illibatam ſoli ferè habent libertatem 73. hujus libertatis fundamenta ſunt duo ibid. Leges habent prudentiſſimas 73 quibus totam ſuam Remp. permiſêre 78 eas conſtanter ſervant 73. 428. ejus rei exemplum 81. Venetæ juventutis exercitia 144. quâ ratione magiſtratus vendant? 146 eorum ſumtuariæ leges 193. præcipuum eorum ex commerciis præſidium

dium 214. ratio belli gerendi cum Turca 244. non ſemper ex eadem familia Duces ſumunt 351. eorundem magiſtratus ſunt perpetui 434. nullam affinitatem in magiſtratibus tolerant 446. eundem ſub graviſſima pœna non detrectare debent 449. armamentarium eorum in poteſtate eſt optimatum 452. ſtatiſſimæ quinam ap. Venetos? 469. *Verba* qua ratione in crimen veniant? 45. ad illa nimis interdum attenditur 46. 224. quando oratione intorta involvenda? 297 311. *Veſpaſianus* 77 ſub eo lex regia lata 368 *Vicinorum* fortuna etiam noſtra eſt 205 215 216 241. vid. Fœdera. *Victori* quid liceat? 69 victoriæ precium 191. 239 261. lex 239. 261 victoria civili bello non meretur triumphum 285. *Virtutis* incitamenta in Rep. 214. 136 172. in Ariſtocr præcipuos honores meretur 423. 432 433. quando fiat vitium in Ariſtocr. 446 *Vitellius* 41 percuſſores Galbæ rectè interfecit 55 amicitias muneribus emit 56. *Vitia* remediis majora in Rep. interdum toleranda 8. 157. vitiis hoſtium uti 257 everſionis Rerump. cauſæ 328. *Voluntas* loco facti reputatur 148. 149. 243 *Vulgi* natura 18,306,309,448,21, 21,32,306,63,119,175,197, 223, 285, 457, 458. *Vſura* 274, *Vſus* & ſcientiæ in Politicis cognatio 1, à ſcientia diſcrimen ibid à ſe invicem divelli non debent 2 ejus fundamenta ibid difficultas 3 ejus præcepta omninò certa non ſunt, ob ingeniorum diverſitatem in Rep. 6, 7. *Vtilitates* privatæ conſtituunt publicam 21 utilitas obſequii mater 29, publicam magiſtratus promoveat 29. rationes privatæ & publicæ quænam? 90, utilitas publica præponenda privatæ 93, 173 quanam proportione? 94, utilitatis ſpecies quando præferenda? 169, utilitas innoxia 246, exigua 257 præſens interdum negligenda 274 privata interdum efficit publicæ 322 publica vinculum multitudinis 416 utilitatis ratio quænam habenda in Democratico ſtatu? 470.

F I N I S.

A01 1455 cc 2